

1

Angela Hill.

A

1870

14 1/2 m.

HISTORIA ERISINGENSIS.







HISTORIÆ FRISINGENSIS

TOMUS I.

PRIMA QUINQUE

AB ADVENTU S. CORBINIANI I. EPISCOPI
SÆCULA,

SEU
RES

AB ANNO CHRISTI DCCXXIV. USQUE AD ANN. MCCXXIV.
FRISINGÆ GESTAS
EXHIBENS.

PARS PRIMA HISTORICA.

In qua

Acta primorum XXV. Antistitum Frisingensium, à Divo
Corbiniano usque ad Geroldum, ordine vigesimum
quintum continuata,

Ac

Tum ex vetustissimis Codicibus, Membranis & Instru-
mentis, domesticis & extraneis, partim in hac, partim in Parte Altera
Instrumentaria recitandis: tum è Synchronis, aliisque
Scriptoribus deprompta,



JUSSU ET AUSPICIIS

Reverendissimi ac Celsissimi. S. R. I. Principis ac Domini,
DOMINI

JOANNIS FRANCISCI

Ex illustrissimis Baronibus Eckherianis

Episcopi Frisingensis,

Intermixtis, quantum opus videbatur, publicis Ecclesie atque Imperii Actis.

Cum erudito Orbe communicatur


A P. CAROLO MEICHELBECK, Benedictino Benedictoburano,
Celsissimorum S. R. I. Principum Episcopi Frisingensis, & Abbatis Campidonensis
Consiliario Ecclesiastico.

Anno Christi MDCCXXIV. ab Inchoato Episcopatu M. Sacerdotij Suz Celsitudinis Frisingensis L.

AUGUSTÆ VINDEL. ET GRÆCII

Sumptibus PHILIPPI, MARTINI ET JOANNIS VEITH, Fratrum,
ANNO M DCC XXIV.






REVERENDISSIMO
AC
CELSISSIMO
S. R. I.
PRINCIPI
AC
DOMINO,
DOMINO
JOANNI
FRANCISCO
EX ILLUSTRISSIMIS BARONIBUS
ECKHERIANIS
EPISCOPO FRISINGENSI,
SACERDOTI JUBILÆO,
&c. &c.

PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.




REVERENDISSIME
 CELSISSIME
 SACRÆ FRISINGENSIS ECCLESIAE
 ANTISTES,
 ET
 S. R. I. PRINCEPS,
 DOMINE, DOMINE
 CLEMENTISSIME.

Jussu & auspiciis tuis lucem publicam
 millesimò ab incepta nobilissima Duce-
 cesi Tua Frisingensi annò subeunt Fri-
 singensis Historiæ prima quinque Sæ-
 cula, Celsissime Princeps. Jussu, in-
 quam, auspiciisque Tuis. Quomodo enim tot
 Acta



Acta intra biennium non integrum, ex quo Scriptio ista huic meae tenuitati à Tua Celsitudine clementissimè demandata fuit, hoc anno jam prodirent, aut quomodo prodire potuissent in lucem, nisi Tu ingenti multorum annorum labore materias ex antiquissimis chartariorum Frisingensium Scriniis eruisses? nisi erutas Tuâ, Tuorumque operâ in ordinem digessisses? digestas cum literario Orbe communicari iussisses, & cætera quoque, quæ ad sapientissimum Tuum propositum tum necessaria, tum utilia adjuncta erant, benignissima semper largitate cumulatè subministrâsses? Et id quidem Te præstitisse non sine *Numine Divinâ*, certissimis argumentis convincimur, quæ paucis hîc orbi exponenda censemus.


Narrant de incomparabili illo disciplinæ Ecclesiasticæ zelatore Gregorio VII. quòd, cùm parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, literarum adhuc inciscius, luderet, ex rejectis segmentis illa Davidici oraculi elementa: *Dominabitur à mari usque ad mare* (a) formaverit, manum pueri ductante Numine, quo significaretur, ejus fore amplissimam in Orbe auctoritatem: (b) cui oraculo postea etiam eventus respondit. De Te verò, Celsissime Princeps, ex fidei certissimâque relatione constat, quòd, cùm adhuc prima elementa disceres, ac postea etiam Grammaticæ adhuc operam dares, siquando à studiis vacare contigit, sive penicillò, sive calamò identidem pinxisse imaginem S. Corbiniani primi Frisingensis Episcopi, ludente utique etiam in Te Divinâ Providentiâ, quæ eo jam tempore luculentum argumentum præbuit, natum Te esse ad Res Divi Corbiniani illustrandas, ad Lituum illius Pastoralem capessendum, ad Ecclesiam ab Eo erectam feliciter non gubernandam duntaxat, verùm etiam maximâ



vigilantiâ, studio ac labore indefesso Orbi literario commendandam. Rhetoricæ cum postea dares operam, accidit, ut in Theatro persona S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi à Te sustinenda esset. Eam Te tam scitè gessisse memorant, ut Choragus, Professor Tuus, edixerit, Personam Episcopi Tibi optimè congruere, & videri sibi, Te, si in virtute ac literis porrò progredi conaturus esses, Episcopum fore. Ita Corbinianum jam non tantum in charta pingere, verùm etiam in Tua Persona Spiritantem repræsentare cœpisti.

Sanè posthac, cum Tū quidem de eligendo vitæ statu deliberans vix aliud meditareris, quàm de Religione Divi Benedicti amplectenda, conscientiæ Tuæ moderator Autor Tibi fuit, ut potiùs inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis locum quæreres; Sic enim majora Te Deo obsequia cum tempore præstaturum esse. Profectò sic etiam olim S. Corbiniano Gregorius II. Summus Pontifex Autor fuit, ut Episcopus potiùs fieret, quàm in cellula Sua ulteriùs delitesceret. (e) Cæterùm Tu Spiritualis directoris Tui consilium secutus, & locum in Reverendissimo illo Collegio consecutus pingere in Te ipso effigiem Corbiniani non cessasti, talèque Te quàm cæterarum virtutum cumulò, quàm suavissima animi indole rerùmque prudentissimè gendarum dexteritate omnibus probasti, ut anno MDCLXXXIV. magnò Suffragiorum numerò in Decanum Cathedralis Ecclesiæ fueris electus.

In ea dignitate constituto Tibi Res Corbiniani, Cathedralis nempe Ecclesia & Urbs Frisingensis adedè curæ fuerunt, ut mox, nutu Tuo, longè concinniori Ordine tam in Choro, quàm ad aras gerebantur omnia, ac ritus cæremoniæque accuratiùs observarentur. Proximum studium fuit, ut Antiquita-



quitates S. Corbiniani Frisingenses è squallore Suo extraheres , Archivum Cathedralis Collegij digeres , atque concinno Ordine singula collocares , jurâque Sarta tecta servares. Et ei quidem labori cùm Te totum pluribûs annis impenderes , tantus erga Antiqua monumenta amor in Te exarsit , ut non domi tantùm , verùm etiam foris per Bojariam magnis Tuis impensis , majori verò Sudore institutis quaquaversùm itineribus veneranda Antiquitatis vestigia rimareris , omnémque , è quo quidem aliquid disci poterat , lapidem moveres : quo tempore etiam innumeri alij lapides tuo potissimum nutu , auctoritate & mira architecturæ peritiâ moti , accedente Reverendissimi & Illustrissimi Collegij Cathedralis assensu , in splendidum Xenodochium , magnificamq; illam , ac majestate quadam singulari fulgentem S. Georgij turrim maximis sumptibus surrexere , etiam Tuâ , tum Decani , æde aliquot millibus florenorum ex tuo ærario impensis in formam longè spectabiliorém redactâ , cùm jam antehac ad restaurandas etiam alias Canonorum ædes , à Te inhabitatas , non exiguam pecuniarum Summam profudisses. Nihil hîc de ære campano in laudatam splendidam Ecclesiæ S. Georgij turrim tuo ac reliqui Reverendissimi Collegij tui jussu illato : nihil de Summa humanitate ac liberalitate Religiosis aliisque hospitibus ad Divi Corbiniani exemplum (†) liberalissime à Te exhibita commemoramus. Supererat tantùm ut effigiei ejusdem S. Corbiniani , hætenus in Te formatae , Mitra quoque ac pastoralis lituus adjiceretur , ipsaque Corbiniani imago adhuc luculentius in Te resplenderet.

Curæ id Numini fuit. Unde factum , ut anno Christi MDCXCV. (acerrimis licet oppositionibus obstrepentibus) majori Suffragiorum numero Episcopus



scopus Frisingensis renunciareris. Quæ quidem electio, Romæ acriter discussa, sub protectione Dei Cæli, agente causam tuam Romæ Reverendiss. & Illustrissimo Domino Francisco Antonio Begnuedellio Basso Canonico & Officiali, uti Viennæ Rever^{mo} D. Andrea Lenzer, itidem Canonico, tandem post unius anni decursum non sine singulari tuo præconio ratihabita fuit, quæ etiam Pontificia confirmatio, eadem, qua accidit, die (dictu mirabile!) Frisingæ innotuit. Cum enim pia quædam & rebus cælestibus addictissima Virgo Frisingensis Directori Sui Spirituali dixisset: *hodie Romæ res quædam feliciter cessit.* & ille interrogasset: *quæ?* respondit. *Electio est confirmata.* quod verissimum fuisse post aliquot dies Romanæ literæ declararunt.

Contigit autem felicissima illa Tui electio die 29. Januarij, quam Sacram esse constat sancto illi Genevensium Præfuli Francisco, è Salesia familia nato, quem Deus ex iudicio universæ Ecclesiæ *omnibus omnia factum esse* voluit (*) maximò sanè argumentò, fore, ut Tu quoque, alter Franciscus, ex Antiquissima illustrissimâque familia Eckeriana anno Christi 1649. in Festo S. Galli (cui usum solent appingere) exortus, mitrâ exornatus, & Urso Frisingensi præfectus, *omnibus omnia* fieres, & in Tui amorem omnes pertraheres. Sanè quibus id modis deinceps felicissimè præstiteris, integro volumine describere poterit posteritas: cui volumini nunc ego (tametsi formidare debeam admirandam modestiam Tuam) præludo, illudque hîc in compendium contraho.

Prima itaque Tua in Episcopali Solio collocati cura animum Tuum semper coxit, versavitque, ut Divino cumprimis Numini, à quo bona cuncta procedunt, maximè placeres. Et quomodo non placuis-

cuiſſes, dum toto ſacræ gubernationis Tuæ tempore illud ſemper diu noctūque animo circumferres: *Domine dilexi decorem Domūs tuæ.* (†) Id latere neminem potuit, quando ad exornandam Cathedralem Baſilicam incredibilem ferè auri Summam profudiſti, cū eam, quàm latè patet, unâ cum adjuncto peristylio, quo ad Sacram Divi Benedicti ædem itur, ipſamque illius Sancti Eccleſiam, nec non cryptam Cathedralis Baſilicæ marmore inſterneres, aris novis, etiam marmoreis: item variis, etiam argenteis ſtatuis, fedilibus faberrimè elaboratis, gypſo, artiſcioſiſſimòque penicillo ex omni parte, etiam in ipſo fornice, ad omnium aſpectantium ſtuporem exornares, Sacrorum Miniſtros, & Altaria pretioſè & copioſè veſtires, lychnis lampadibùſque argenteis aras colluſtrares, varias Sanctorum Reliquias, ex variis locis ſtudioſiſſimè conquiſitas, publico cultui exponeres, vaſa Sacra, eaque & pretioſa & multa comparares, renovando omnia, vel potiùs nova faciendo omnia; omnem denique munditiem ac nitorem in omnibus ſemper anxie procurando. Et id quidem parùm fuiſſet animo Tuo, quippe qui nunquam acquieturus erat, niſi etiam ſacros in Eccleſia Cathedrali Ritus cæremoniàsque Pontificales ad leges Romanas accuratiſſimè reduxiſſes, utque Divina officia ſtatùs quaſi momentis incunctanter decenterque peragerentur, dudum effeciſſes, idque non tam mandato, quàm exemplò, imò directione Tua, dum Eccleſia Friſingenſis nullum unquam, ac Te, accuratiorem Sacrarum cæremoniarum tum Magiſtrum, tum obſervatorem habuit.

Præterea Evchariſtico Numini non ſolùm Hierothecam ſantiſſimam pretioſiſſimam, & pro Majori Hebdomade *Sepulchrum* verè *glorioſum* (‡) fabricari juſſiſti, verùm ut ejuſdem Venerabilis Sacramenti

b

ado-




adoratio maxima incrementa caperet, ac diebùs singulis per Octiduum, Corpori Christi Sacrum, novæ Processiones tum intra tum propè Urbem instituerentur, providentissimè ordinasti, quas singulas, uti etiam cæteras, singulis quintis feriis in Cathedrali Ecclesia institui solitas, quantum quidem valetudo permittit, etiam in hac tam provecta ætate præsentia Tuâ exornare soles, & exemplò Tuò etiam subjectas oves ad Tui sequelam pius Pastor pertrahere. Ubi nihil dicimus de zelo illo, quo occurrere consuevisti, dum in singulis per Urbem, ac prope Urbem Ecclesiis tum Sanctorum Patronorum, tum alia præcipua Festa celebrantur. Illud verò quis dignè explicabit, quantò zelo per Diœcesin Tuam Amplissimam Divini Numinis cultum promoveris? Certè ij, quibus incumbit, singulas Tuas Episcopales functiones (quas absque Reverendissimi & Illustrissimi Suffraganei Tui opera frequenter exerces & exercuisti) in tabulas referre, monuère me, fuisse ab ipsa Celsissima Persona Tua consecratas Ecclesias & Capellas centum Sexaginta Octo: Aras mille, centum triginta tres. Abbates ac Præpositos septendecim Sacra benedictione initiatos. Præterea ordinatos à Te fuisse Presbyteros sexcentos octoginta octo: Diaconos Sexcentos viginti quatuor: Subdiaconos Sexcentos & Septem: ut nihil de collatis à Te minoribus, quos vocant, ordinibus dicamus. Sanè cum frequentes per Tuam Diœcesin, & quidem per montes & valles quaquaversùm sacras, & sæpè laboriosissimas excursiones institueres, sacro ceromate ad prælianda prælia Christi bis centies, & octies mille, septingentos & quatuor homines inunxisse, & Confirmationis Sacramentò initiâsse deprehenderis. Porrò quàm constanter fortitèrque Ipse pro Dei Tuâque Ecclesia, Subjectarúmque Ecclesiarum juribus, exemplò Sancti

Et illius, de quo diximus, Thomæ Cantuariensis sæpiùs pugnaveris, norunt illi, qui Sacros conflictus Tuos tum propiùs tum eminùs conspexere: factus verè *Vir secundum Cor Dei*, meritùsque, ut adderentur Tibi anni vitæ, & uti Ecclesiæ Tuæ annum Mille-simum, sic Sacerdotij Tui quinquagesimum, Regi-minis verò tricesimum feliciter gloriosèque nunc perageres.

Jam verò quid post DEUM cum S. Corbiniano ar-dentiùs coleres, quàm Dei parentem Virginem, Ca-thedralis Ecclesiæ, totiùsque Diœcesis Dominam atque Patronam? Hanc domi, hanc foris arctissimè Tibi semper devincire conatus es, maximè ex quo tempore Sacerdotij dignitate anno Salutis 1674. in Sacra Divi Benedicti Æde die 24. Martij, initiatus fue-ras. Vix enim eo gradu eras insignitus, cùm paulò pòst, ut primùm per valetudinem licuit, ad celebra-tissimam Ejus statuam, in inclyto nostro Ettalensi Monasterio beneficiis clarissimam, bidui licèt itinere & ampliùs Frisingâ distantem, Te contulisti, & ad ejus aram primam Deo hostiam obtulisti. Porrò fa-ctus postea Episcopus, cùm primam quidem ordina-tionem in Ecclesia Tua Cathedrali fecisses, alteram statim in illa ipsa Ettalensi Ecclesia peregisti, dum quatuor ejus Cœnobij Religiosos (è quibus hodie Reverendissimus D. Placidus ad loci clavum digniffi-mè sedet) Sacerdotiò initiasti, luculentissimò sanè argumentò, Te & Sacerdotis & Episcopi dignitatem Magnæ Dei Matri pientissimè in acceptis referre. Et redhibuit sanè pia illa Mater Tua amoris Tuo mutuas vices, maximè cùm sæviente undique per Bojariam nupero Marte Suam illam statuam Ettalensem Mo-nachium tantisper deferri, ac postea etiam Frisingam ad Te Amicum Suum Joannem (ut quidam vir facun-dus è Suggestu interpretatus est) portari voluit. Su-

peri ! quàm teneris amoribûs , quàm dolci lacrimarum gaudio complexus es unà cum devotissimo Clero populòque Tuo Matrem Tuam ? Divinus Matris hujus Filius , ut scribit Chrysoftomus (h) accurrit ad hos potissimùm quibus debet , seu debitor quodammodo existit . Certè idipsum præstare visa est gratiæ Mater , cùm tristi illo tempore ad Te venit , cui fanè multùm debebat , nempe non ea solùm , quæ hæctenùs enarravimus , verum etiam longè plura alia , dum Ejusdem cultum in hac Tua Frisingensi Urbe , & Cathedrali potissimum Ecclesia temporis Successu plurimum auxisti , in Aula Lycæi à Te erecti aram novam Eidem exstruxisti , Marianam Sodalitatem erexisti , ad propugnandam Ejus Immaculatam Conceptionem annum publicum juramentum , à Te , Cathedrali & aliis Sacris Collegiis , Patribus Professoribus , cæterisque Urbis ordinibus in Cathedrali Ecclesia publicè præstandum ordinâsti , & quidquid demum in Magnæ Matris honorem fieri à Te unquam poterat , executioni diligentissimè mandâsti . Tacemus Sacras peregrinationes , à Tua Celsitudine frequenter susceptas ad ejusdem celebres imagines Oetinganam , Neukirchensem , Ruedelfinganam & alias , per Bojariam celebres , ubi semper præclara ac Principe digna filialis pietatis vestigia impressisti . Illud verò quomodo tacebimus , quòd sub felicissimo ac verè Mariano Regimine Tuo placuerit Optimo Numini in hac Tua Dicecesi , & quidem in Monte S. Ruperti prope Dorfense municipium Eandem Matrem Suam reddere gloriosissimam , ac multîs , planèque stupendis beneficiis , in miseros mortales collatis adedò celebrem , ut eò loci hodie ferè quadraginta Sæculares Presbyteri ad obsequia tum Ipsius Deiparæ , tum etiam hominum , ex remotis etiam Regionibus illuc convolantium , & peccata Sua Sacra exhomologesi expiantium




tium comòdum sustentari valeant, ipsìs illuc transeun-
tibus Hæreticis meritò res miras, ac naturæ vires lon-
gissimè excedentes, ibi frequenter fieri solitas, obstu-
pescentibus? Quis igitur non agnoscet, Mariam esse
Matrem Tuam; Te verò esse Mariæ Clientem verè
dilectum?

Secundùm Deum ac Mariam cultum eorum maxi-
mè Coelitum, quibus Diœcesis Tua plùs, ac aliis, anti-
quitùs devincta est, promovere allaborasti. Hinc in
crypta Cathedralis Ecclesiæ conspicimus positas à Te
statuas quatuor Sanctorum Maximiliani Laureacen-
sis quondam Episcopi ac Martyris, Ruperti Salisbur-
gensis, Corbiniani primi Episcopi Frisingensis, ac
Bonifacij Archiepiscopi Moguntini & Martyris, Ger-
maniæ Apostoli, atque primi Tuæ Diœcesis auctori-
tate Apostolica institutoris, veluti per decursum Hi-
storiæ nostræ demonstrabimus. Propagatio quoque
cultùs S. Corbiniani apud Gallos, apud quos misæ à
Te Sacræ Ejus Reliquiæ maximis beneficiis clarent,
opus Tuum est, uti tot literis ad Te è Gallia datis edo-
cemur, & Viri quoq; Principes non solum Ecclesiasti-
ci verùm etiam Sæculares faciunt testatum. Ipsi Galli
ergà Te gratissimi, Insignia Tua gentilitia in marmore
expresfa ad D. Corbiniani aram suspenderunt. Divi
quoque Benedicti Antiquissimam & Cathedrali Basi-
licæ contiguam Ecclesiam, à S. Corbiniano ædifica-
tam (i) splendidè quaquaversum exornasti, novas in
ea aras; Organum pnevmaticum novum adjunxisti,
promeritus de Magno illo Patriarcha, ut Corporis S.
Nonnosi Præpositi seu Prioris Soractensis, Benedicti-
no olim Instituto addicti, inventor longè felicissimus
fieres: qua de re, si Deus dederit, alibi dicetur, & ab
aliis jamjam dictum scriptumque fuit. Porrò Sacra-
tissima Tua studia erga multos alios Coelites, eorumq;
Ecclesias, Reliquias atque officia per Tuam Diœcesin
exactius obeunda, si exponere pro dignitate vellemus,

librum impleremus, & epistolæ dedicatoriæ limites longissimè excederemus.

Summo in pretio hominibus omnium dignitatum atque Ordinum Te semper fuisse quis ignorat? Testatus inprimis id olim fuit Summus Ecclesiæ Hierarcha Innocentius XII. qui electionem Tuam, gravissimè impugnatam, non solum ratam habuit, verum etiam innocentiam Tuam vehementer exagitatam unà cum Eminentissimis Patribus magnis laudibus extulit, ac privilegiis omninò singularibus condecoravit. Clemens quoque XI. ob insolitam, quam semper gessisti, pauperum curam *verum Ecclesiæ Tuæ Pastorem* dicere Te auditus est. Neque è memoria mea unquam excidet illud, quod in Alma Urbe ipse expertus sum. Cùm enim Romæ, uti prius Frisingæ, causa quædam sanè famosa & gravis ventilaretur inter Purpuratos Patres, & tum iis, tum ipsi Pontifici multa fuissent ab una partium, uti prius Frisingæ, sinistrè exposita, ita, ut melior causa jamjam non tam periclitaretur, quàm desperata propemodum esset, tandem audiens Pontifex Frisingensem Episcopum aliter pronunciâsse, Suos monuit, ut attentè procederent. Quo denique etiam factò, & actis acerrimè discussis mutati fuere scilicet animi, & victoria ac gloria summa penes Te stetit, uti non solum Roma, sed universa ferè Bojaria, præcipuè tamen Benedictoburanum Monasterium recenti adhuc memoria tenet, & copiosa acta testantur. Et tantus quidem eras Clementi, Pontifici verè maximo, qui etiam Papalibus quibusdam commissiõibus Te condecoravit, ac factis à Te commendationibus ferè semper propensissimè detulit. Innocentio quoque XIII. (nuperimè terris erepto) consilia Tua fuisse sumè probata, infra videbim⁹.

De Augustissimis Romanorum Imperatoribus Leopoldo, Josepho & Carolo VI. nec non de Serenissimo ac potentissimo Bojariæ Electore Maximiliano Emmanuele quid dicemus? Certè ambæ Serenif-




simæ Domus, Austriaca scilicet & Bavarica, tametsi ipsæ pluribus annis graviter dissiderent, & in vicinia Frisingensi ferè quaquaversum hostilia incendia ac direptiones grassarentur, curârunt tamen, ne quid molestiæ Tibi Tuisque inferretur, eò quòd & fidem integerrimam Imperio semper exhiberes, & Austriam ac Bojariam non solum nusquam offenderes, verum etiam hanc non paucis titulis Tibi obstructam haberes: quo factum est, ut, cum utraque pars Sincera Tua studia non commendare non posset, Frisingæ inter medios Martis fremitus tuta essent omnia: Frisingæ, inquam, quæ eo tempore auxilium erat egentibus, asylum fugientibus, portus omnibus securissimus. Serenissimorum ejusdem potentissimi Electoris filiorum, cum è Styria in Bojariam redirent, ea de Te æstimatio fuit, ut citiùs Frisingam, quàm Monachium venirent, magnis tum amoris, tum venerationis indicis erga Tuam virtutem editis. Postea, temporis tractu, quæ inter Serenissimam Domum Bavaricam & Frisingensem Principatum à pluribus annis restabant quæstiones circa varia jura ac territoriorum limites, Tuâ Tuorumque felici operâ ita fuere compositæ, ut hodie nesciatur, quid litigij etiamnum sit super? Tantam concordiam Celsitudo Tua firmavit, cum Serenissimæ Emanuæ Theresiæ, potentissimi Bojariæ Electoris Filiæ, ex Aulæ deliciis ad arctum, & Sanctioris disciplinæ famâ longè latèque celeberrimum Angerensis Parthenonis claustrum digressæ, ac stupentibus etiam Heterodoxis, Solemnia vota sub Divi Francisci Seraphici Regula in manus Reverendissimæ Domine Abbatissæ Mariæ de Victoria, Tuæ ex Fratre consanguineo Neptis dignissimæ, nuncupanti, mitratus Pontifex assisteres, Serenissimis Parentibus ac Fratribus Germanis oculis minimè siccis aspectantibus. Imò tam arctis amoris vinculis Frisinga demum



mum cum Monachio coaluit, ut Reverendissimus ac Serenissimus Baviaræ & Palatinatûs Superioris Dux, & Episcopus Ratisbonensis Theodorus die 19. Novembris anni 1723. consensu unanimi Reverendissimorum atque Illustrissimorum Cathedralis Ecclesiæ Tuæ Canonorum Capitularium, ac totius Urbis applausu in Coadjutorem Tuum fuerit electus, viam sternerente prudentia Tua, qua judicabas, hoc potissimum pacto Cathedrali Tuæ Ecclesiæ deinceps optimè prospèctum, & bene à Te cœpta custoditum iri, Innocentio XIII. Pontifice Maximo, ac Cæsare Carolo VI. consilium Tuum luculentissimis testimoniis approbantibus.

Jam verò quantum vetustæ nobiles totius Bojariæ familiæ Tibi debent, postquam pro earum illultrandis decoribus ac genealogiis tantos labores impendisti? Certè id nemo eruditorum hominum aut credere aut assequi poterit, nisi qui oculis conspexerit multa illa, eaque vasta volumina, Tuò quasi immensò studiò manûque propria accuratissimè conscripta, ac Insignibûs seu armis gentilitiis ferè innumeris ex tumulis, literis, & codicibus undique studiosissimè conquisitis illustrata, ut jam per Bojariam nemo Scriptorum reperiri queat, qui accuratiores & ampliores genealogias unquam texuerit ingenti Tua, eaque nunquam emoritura gloria. Sanè qui ejus rei argumentum aliquod publicum capere voluerint, adeant duntaxat Cathedralem Tuam Ecclesiam, atque adjunctum peristylum seu ambitum, qui Divi Benedicti sacram ædem Cathedrali conjungit. Cement me hercle illustriissima ingenij ac laboris Tui argumenta in effigiebus, epitaphiis, gentilitiis armis non solùm Celsissimorum Antecessorum Tuorum Principum, verùm etiam Canonorum Cathedralis Ecclesiæ, qui etiam pluribûs abhinc Sæculis è vivis fuère erepti.

Periè-



Periêrant hæc omnia, nisi sagacissima tua industria ea proterentium pedibus subtraxisset, novisque coloribus superinductis, atque epitaphiis renovatis, loco ac ferie conspicuis ordinâset, ac posteritati servâset tantô numero & splendore, ut jam nesciatur, an alibi per Germaniam ejuscemodi exquisitissimum peristylum prope Cathedralē aliquam Ecclesiā reperiat̃ur?

Sanè quàm beneficū Te utriq̃ue Clero, sæculari scilicet & Regulari in Episcopali Tuo Solio semper exhibueris, quanta utriq̃ue præstiteris, quis unquam pro dignitate enarrabit? Veneratur in Te Reverendissimū atque Illustrissimū Cathedrālē Collegiū Principem ac Patrem amantissimū, atque ad profundenda in se beneficia, ubicunq̃ue fert occasio, semper promptissimū. Idipsum reliquæ Collegiatæ, ac cæteræ Urbis Tuæ Ecclesiæ uno ore deprædicant. Tuis pastoralibus curis Clerus sæcularis debet institutum Dorfæ juniorum Sacerdotum amplissimū tyrocinium; Capitula Ruralia meliùs ordinata: visitationes & frequentius & commodius peragi solitas, Parochias juxta merita laboris, virtutis & Scientiæ conferri consuetas; protectionem jurium suorum, totūmq̃ue, quantum fortè ante Te nunquam habuit, virtutum ac disciplinæ eximium splendorem.

Neque verò minora Tibi encomia universus amplissimæ Diœcesis Tuæ Clerus Regularis attribuere gestit, dum nullum planè cujuscunq̃ue Instituti Monasterium reperiri intra limites Diœcesanos potest, cui non gratiam aliquam planè singularem contuleris. Præcipuis tamen titulis Tibi devinctissimus manet Divi Benedicti Ordo, quem jam inde à puero tenerrimis amoribus profecutus es, & clementissimè

mè etiamnum prosequeris. Huic Tu præ cæteris erectum à Te in hac Urbe Lycæum concredidisti: utque ferè semper Benedictinum hominem ad latus haberes, jam quinque ex eodem Instituto nostro Religiosos Viros in aula Tua Tibi vicinissimos esse iussisti, è quibus, cum tres primi ad Abbatis munus essent temporis successu evocati, hodie adhuc duos in Aula clementissimè foves. Indignissimæ etiam huic tenuitati meæ Historiæ Tuæ Frisingensis editionem mira prorsùs dignatione & gratia (qua majorem fortè conferre non poteris) clementissimè concredidisti, scribentem innumeris gratiis cumulasti, & autoritate clementissima fortiter protexisti. Taceo arcaniora quædam Tuæ in ordinem nostrum pietatis studia, quæ utique aliam originem non habent, nisi quòd Tibi perspectissimum, ac dudùm in confesso sit, originem hujus Cathedralis Ecclesiæ Divo Benedicto deberi, uti luculentissimè probaturum me in hoc opere penitùs confido: & nunc calamum, in deprædicanda plura alia beneficia Religiosis hominibus, maximè Patribus Capucinis in Urbem tuam Lacopolitanam introductis, præstita prurientem ægerrimè retraho, qui ad res Tuas magis domesticas convertendus est.


Inter has primò locò occurrit hoc Tuum Palatium Episcopale, Tuïs curis intùs ac foris studiosissimè excultum, commoditatibùs quàm pluribùs noviter exornatum, nec necessaria duntaxat, verùm etiam abundantanti suppellectile, Principe digna, nec non ingenti librorum numerò instructum. Ad illud ut super hunc Frisingensem Montem, cui insidet, curru longè commodiùs veniri possèt, non exiguis sumptibùs viam, quantum fieri poterat, com-




complanâsti. Hortus aulicus uterque areolis, arboribus, floribus selectioribus, lymphis salientibus, viisque ambulatoriis decoratus, industriam Tuam commendant. Arces Ismaningensis, Kopfspurgensis, Lacopolitana, Eifenhoviana, Massenhusiana, Ottenburgensis, & Burgkrainensis novis ædificiis splendide auctæ laudes Tuas in fera tempora nunciabunt, Burgkrainensis maximè, quam non solum Sacellò venustissimò pretiosè exornâsti, verùm etiam reductis in ejus Præfecturam antiquis Regalibus juribus insignem reddidisti. Pirkenekkense bellissimum ædificium, à Te in loco amænissimo à fundo excitatum primum Autorem Te veneratur. Arcibus illis Tuis etiam Zeilhovianam unà cum adjuncta Hofmarchia, expensa non modica auri vi adjecisti, & magnò vicinorum, Isanenſium maximè, commodò domicilium pro RR. PP. Ord. S. Francisci ibidem condidisti. Porrò ut omnia in Præfecturis Tuis rectè agerentur, non es gravatus in Styriam, Carinthiam, Carniolam, ac Comitatum Tyrolensem excurrere, Téque tum Ministris, tum Subditis tuis amantissimum Patrem exhibere: quæ itinera ut feliciter perageres, Curæ Superis fuit. Certè cùm anno 1696. in Festo SS. Angelorum Custodum haud procul Frisaco Carinthiæ Urbe è curru descendens ad commodiùs evitandas itineris difficultates Sonipedem conscendisſes, ac contra, quàm existimaveras, eo pacto majori periculo Te exposuisses, edocta id fuit eadem hora ex superna inspiratione Virgo illa Frisingensis (quam supra laudavimus) ejusmodi pluribus vaticiniis celebris, quæ, tantis licèt locorum Spatiis à Te remota, quantocyùs monuit eos, quorum spiritali directione utebatur, Te, Episcopum ac Principem in gravi, ac præsentissimo vitæ periculo esse constitutum. Itaque exorandam esse Divinam Misericordiam,

diam, ut Te, in tanto discrimine incolumem servaret. Neque de veritate oraculi ejusdem Virginis dubitatum est, verum Concionator Cathedralis Ecclesiae è publico Suggestu periculum, in quo verfareris, populo suggestit, atque ut pro Te preces funderentur, admonuit. Et ecce! (quod postea accuratissime compertum est) eâ ipsâ horâ, quâ pro Te ardentia vota fiebant Frisingæ, Sonipes Tuus in petrosa crepidine viæ ordinariæ incedens, defertur ad tantas angustias, in quibus revocare gradum non licebat, cum ad dexteram obsisterent lepes, ad sinistram via ordinaria deorsum tendens esset valde depressa. Quid igitur? Sonipes in hanc denique retrò delapsus Te certissime oppressurus erat, nisi manifesta manus Domini, atque Custos Tuus Angelus eundem ita direxisset, ut eo exfiliente in unam, Tu in altera parte ab accurrentibus ministris periculo subtraheris. Credidère interim omnes, casum illum fieri non potuisse citra gravissimam corporis Tui læsionem. Verum cum primùm ex incusso terrore Tibi esses redditus, deprehensum est, Te planè vivere incolumem, nemine non agnoscente Divinam bonitatem, quæ Te, ut Scripturæ Verbis utamur, propemodùm equidem ad inferos deduxerat, verum etiam benignissime reduxerat. Ita iter tuum deinceps felicissime prosequi poteras, certissimo argumentò, Deum in adjutorium tuum intendisse, & *Angelis Suis*, quorum dies festiva agebatur, *mandâsse de Te, ut custodiant Te in omnibus viis Tuis.* Ita virtus Tua majoribus temporum spatiis servata fuit. Verum claudimus hanc parenthesis, & ad cætera decora Tua strictim percensenda revertimur.

Inter hæc occurrit splendida porticus, quæ è Palatio Episcopali ad Basilicam Cathedralem itur, quàmque faberrimis imaginibus omnium Antecessorum
Tuo-



Tuorum exornasti, adjectis ubique armis gentilitiis, & eruditò vitæ singulorum compendiò. Infra eas Imagines egregiò penicillò pingi jussisti omnes ad Frisingensem Ecclesiam jure proprietatis pertinentes Urbes, Oppida, Castra, Arces, aliáque loca nominatiora, ita, ut qui ea Sola, quæ in porticu illa exhibentur, expenderit, egregium totius Frisingensis Historiæ compendium reperiat. Aquæductus varios Frisingæ, Burgkrainij & Isanæ itidem posteritas Tibi adscribet immortalis laude dignos, uti & canales per vicina trans Isaram loca palustria ductos ad graminis abundantiam, pascuáque tum cervorum, tum aliorum pecorum pinguiora procuranda. His accedit propè Palatium Tuum ac equile aulicum columnæ marmoreæ insiftens Æthiops Frisingensis ex marmore itidem fabrefactus, lymphas per cornu in altum trudens, easque in subjectum natatile spargens, cujus beneficio & Sonipedes à sordibus mundari, & in casu incendij Aquæ in ipso monte hauriri possunt. Sed quid dicemus de reliqua sapientissima & exactissima dispositione Tua, quam ad incendia restinguenda ordinasti? quid de viis per Tuam hanc ditionem diligentissimè reparatis? quid de Typographia ac aliis plurimis ornamentis in Urbem illatis? quid de Gymnasio, imò Lyceo, ac Seminario in eadem Urbe summo juventutis ac totius civitatis bono erectis ac fundatis? quid de sanctè ingeniosa Congregatione Charitatis in pauperum summum & admirandum commodum tuò exemplò atque instinctu instituta? de Orphanotrophio exinde erecto & fundato? de Nosocomio condito & opportunissimè instructo? de auro ad centum & triginta florenorum millia in pauperes ac pauperum usus ex eodem fonte erogato? quid de pietate aliorum, quos exemplò Tuò ad ejusmodi beneficentiam provocasti, è quibus ij soli



Reverendissimi & Illustrissimi DD. Canonici, qui in electione suffragia sua in Te contulerunt, ad pias & Sanctas causas ultra quinquaginta florenorum millia assignârunt? quid de aliis triginta millibus Viennâ Aultriæ ad Tuum propositum liberalissimè transmis-
sis? quid de villis Episcopalibus utilissimè reparatis & auctis? de re œconomica undequaque in formam meliorem, & ad utilitatem majorem redacta? quid de monetæ & juribus aliis tum resuscitatis, tum defensis? quid de Justitia vindicativa adversus facinorosos promota? de Dæmonio meridiano, seu otio à pauperibus depulso? Quid denique boni dici vel cogitari potest, quod quidem fuerit in viribus Tuis, & Tu Sedi huic Tuæ, subditisque summâ clementiâ non præstiteris? Etiam ad mortuos extendisti sanctissimas curas Tuas, eos maximè, qui mille abhinc annis benefactores fuere Ecclesiæ Tuæ, quorum piam memoriam in hoc opere piissimò gratitudinis studio resuscitari voluisti. Adhæc in aliorum etiam mortuorum solatium piam sodalitatem ad noviter erectam à Te S. Barbaræ aram procurâsti, Romæ non approbatam tantùm, sed etiam gratis singularibus decoratam. Quis igitur non intelligit, Te cum S. illo Francisco Salesio verè *omnibus omnia* ac formam boni Episcopi esse factum? quis non videt, Tuam Divi Corbiniani imaginem in Te non esse tandem exactissimè perfectam & absolutam, ita nempe, ut sicut Ille primus Cathedralam Frisingæ erexit, ac primi Fundatoris nomen sibi peperit, ita Tu, post mille annos, tum post restituta, tum renovata, tum condecorata per Tuam Diœcesin ferè omnia Fundator alter appareas. Et tamen, cum tanta præstes, ac præstiteris omnibus, quid modestius, quid humilius, ac Te, orbis vidit? quis unquam de se humilius & sensit & dixit? quis ægrius laudes suas audivit? quis pompas omnes, præter-

præterquam sacras, cautiùs declinavit? Videmus non rarò Te ad visitanda ædificia Tua foras prodeuntem: ast cum quanto famulatio? nempe cum cubiculario, ac uno vel altero famulo pedissequo, ut peregrini & advenæ aliquando ne quidem in suspicionem venire possint, latére in Te Episcopum, & S. R. I. Principem. Rursùs quot scilicet satellites ad Palatium Tuum excubant? sed nempe quid opus numerosis excubiis, dum omnes habes fidelissimos Corporis Tui custodes, quicunque Te nôrunt. Quis enim non optat, ut sis in longissima tempora salvus & incolumis? Verùm cum singula Tua decora enarrandi nullum reperiamus finem, coërcenda tandem est penna, ne porrò offendamus patientiam Tuam: quæ tamen penna cum tota Frisinga ac Dicecesi Tua Tibi tot encomia debet, quot reperiuntur apices in hoc opere Tuo, quo tandem effecisti, ne res Frisingenses ulteriùs delitescerent in tenebris, sed ad multorum instructionem & ædificationem in publicam lucem prodirent, imò ut Frisinga sibi ipsi demùm innotesceret. Vive igitur, Clementissime Princeps, & annum hunc Cathedralis Tuæ Ecclesiæ millesimum, Sacerdotiique Tui quinquagesimum in pleno jubilo perage. *Regi Sæculorum immortalis & invisibilis sit sempiterna laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum,* (k) qui adeò operibus manuum Tuarum benedixit, ut rerum felicissimè gestarum multitudine singulos Antecessorum Tuorum longè supergressus sis. Omnium bonorum ardentissima vota sunt, ut Optimus DEUS Te Ecclesiæ Tuæ, Dicecesi, Urbibus, subditisque Tuis omnibus diutissimè servet sospitem & incolumem; dum interim ego ad deosculandam Episcopalem fimbriam humillimè provolutus, librum hunc ad pedes Clementiæ Tuæ depono, méque, Monasterium Benedi-



nedictoburanum, ordinemque Benedictinum universum demississimè commendo. Frisingæ in hoc Tuo Episcopali Palatio die 21. Martij, D. Benedicto Sacra, anno Christi 1724.

Reverendissimæ Celsitudinis Tuæ

Infirmus Clericus

P. Carolus Meichelbek,
Benedictoburanus.


(a) *Psal.* 77. v. 8. (b) *Ex ejus officio die 28. Maij.* (c) *Arido cap. 5.* (d) *Idem cap. 1.* (e) *Ex ejus officio die 29. Jan.* (f) *Pf.* 25. v. 8. (g) *Isa. cap. 11. v. 10.* (h) *Hom. 7. in cap. 3. ad Rom. circa finem.* (i) *Otto Frising. lib. 5. cap. 24.* *Conradus Sacrista in lib. IV. Traditionum fol. 1.* (k) *1. Timoth. 1.*

CENSURA



CENSURA ORDINARII.

Luffus à Rever^m & Celsissimo Dño. Dño. Joanne Francisco Episcopo ac Principe Frisingensi &c. &c. attentè, & non sine maximo gustu legi præsentem librum, cui titulus est : Historiæ Frisingensis Tomus primus, prima quinque ab Adventu S. Corbiniani primi Episcopi Sæcula, seu Res ab anno Christi DCCXXIV. usque ad annum MCCXXIV. Frisingæ gestas exhibens. *Et quia hæc Historia gloriosa incunabula & successivè incrementa Ecclesiæ, & Diæcesis Frisingensis, occasione Solemnizationis decimi ab ejus fundatione sæculi, eruditissimo, & in investigandis antiquitatibus oculatissimo calamo manifestat, sanctæque Corbiniani Fundatoris gloriam, suæq; fundatæ Ecclesiæ, sub oblivionis, & confusionis tenebris prius delitescentem splendorem in selectissimis suis membris, & Successoribus, usque ad initium regiminis Geroldi Episcopi, suavi methodo, ac concinno scribendi ordine in publicam lucem producit; nihilque continere deprehendi, quod Orthodoxam fidem, Principes, aut bonos mores offendere possit, bene ve-*



ro omnia Catholicae veritatis nitore, & scribendi modestiâ splendere, prout sola Rev.^m P. Scriptoris nota excellentia pro optima censura & testimonio stat, idè publicò prælo dignissimam censeo, ut, tanquam lucernâ super candelabrum posita, luceat erudito orbi, gratâ memoriâ erga Rever.^{mm} P. Historiographum apud Frisingenses, pro tam insigni ac pretioso labore, nunquam intermoriturâ. Ita censeo Frisingæ 1. Augusti anno 1724.

FRANCISCUS ANTONIUS
S. R. Imperij Eques, & Nob. Dom.
de Fraporta, J. V. D. Ecclesiæ Cathed.
Frisingensis Canonicus Capitularis,
& Rev.^m ac Celsissimi Episcopi & Principis
Frisingensis Consiliarius Ecclesiasticus.

IN HI-

IN
HISTORIAM
FRISINGENSEM
DISSERTATIONES
PROLEGOMENÆ SEX,

IN QUIBUS DISPUTATUR DE IIS, DE
QUIBUS UT IN ANTECESSUM AGAMUS, ET
LECTORIS ET SCRIPTORIS INTEREST.

Prima de Situ, origine, & nomine urbis Frisingensis breviter agit.

Secunda de Religione & morum cultura in modernæ Bojariæ Superioris confinia, ac Frisingam introduc̄ta differit.

Tertia de Patria S. Corbiniani tractat.

Quarta Sancti Corbiniani Monachatum examinat.

Quinta repræsentat tempus, quo S. Corbinianus Episcopus sedem Frisingæ figere cœpit: ubi etiam de conspectu Superioris Bojariæ, tempore adventûs S. Corbiniani agitur.

Sexta agit de occasione hujus operis: item de subsidiis in eodem opere concinnando adhibitis.



DISSERTATIO PRIMA PROLEGOMENA.

De Situ, Origine, & nomine urbis Frisingensis.



A hodiernæ Superioris Bojaræ Regio, in qua Frisingam nostram conspicimus, portio olim erat Vindeliciæ, quam alii vocabant Rhetiam secundam : alii etiam Norico accensebant, veluti ex Scriptoribus Rerum Boicarum, & membranæ vetustis facillè demonstrari posset, si res postularet. Verùm quia id argumenti dudum præoccuparunt Viri eruditissimi, qui de rebus gestis Bojorum ex proposito scripsere, puta Aventinus, Velferus, Brunnerus, & alii magnò numerò, operæ pretium non facturos nos esse censuimus, si prolixam ea super re disputationem texeremus, maxime quia erudito Lectori in ipso statim limine operis molesti essemus, dum Soli lucem inferre, & antiquam, ut ajunt, crambem recoquere velle videremur:

*Frisinga seu
& descriptio.*

Frisinga nostra eum prædictæ Superioris Bojaræ locum occupat, prope quem Isaræ, fluvio rapidissimo, ex alpibus Tyrolensibus decurrenti, miscetur Mosachus amnis, qui prope Mosach, pagum cognominem, quarto ab hac urbe milliario Germanico distantem, fontes habet. Urbs ipsa duobus montibus adjacet, quorum primo Palatium Episcopale cum Cathedrali Basilica & adjuncto Sancti Benedicti templo : item altera Divi Andreae Collegiata Ecclesia, aliisque pluribus Sacris atque profanis ædificiis splendide insidet : alterius verò montis verticem inclytum Monasterium Weihenstephanense Benedictini Instituti : umbilicum verò alia S. Viti Collegiata itidem Ecclesia gratissimo sanè spectaculo exornat. Posteriori huic monti vocabulum olim fuisse ferunt *Tetmons*, seu, ut quidam interpretantur, *Teutonis Mons*, conjecturâ ducti, Teutones olim illic litasse Teutoni, gentis suæ Autori, cui ipsi veluti feri posterii locum inter Deos constituerint. Verùm conjecturis inhærere non vacat. Illi verò proniorem assensum

de Situ &c. urbis Frising.

sum merentur, qui tradunt, Proreges Frangiæ, quos Majores domûs vocare solebant, cum sæpiùs in hæc oras movissent exercitus suos, illic veluti loco perquam commodo & eminenti, aliquoties confedisse, cujus rei argumentum reperta posteris temporibus ingentis ædificii ac fossarum rudera præbuisse in antiquis Monasterii Weihenstephanensis membranis conspeximus. Mons alter, intra urbis mœnia inclusus, ac modicè depressior, non habet diversum ab ipsa Urbe nomen, & *Mons Frisingensis* passim vocari consuevit.

Sanè ex utroque hoc monte longè amplissimus prospectus ^{Prospectus.} patet in amœnissimam spatiosissimamque planitiem, quippe quæ non modò usque ad Bojariæ, verùm etiam ad Dittonis Salisburgensis, Comitatus Tyrolensis ac Werdenfelsensis, ipsiusque ad eòs Algojæ alpes porrigitur, vastissimum sanè atque aptissimum ad oculos pascendos theatrum, fixum illud quidem, ut vocant, sed tamen si centies oculos in illud defixeris, novas semper atque novas species luminibus ingerens. Propiùs in conspectum hodie incurrunt Monachium Bojariæ Metropolis, Erdinga civitas, Arces complures, Pagiq̃ue magnò numero, pars in collibus, pars in humilioribus locis positi. Spectabilem etiam ad sesqui horæ spatium sese objicit Isara fluvius tum inter arva fertilissima, tum inter prata amplissima, nec non inter pascua, virgulta ac silvulas undas suas protrudens, &, quas magno numero indies vehit, rates obtutibus aspectantium ambitiosè ostentans. Ponè inter varios limpidissimos rivulos numerosi pecorum greges, &, quod fortè pauca per orbem exempla habet, cervi tanta frequentia absque sepiamento liberi pabulantur, ut eorum aliquando numerus ultra duo millia excreverit. Sanè dum hæc ipsa hodie scribinus, admisis in computum etiam subulonibûs hinnulisque, etiamnum ultra mille facilè numerantur, vix in censum ferarum referendi, quippe qui aliorum pecorum domesticorum more in maximos greges cœeunt, & pabulum non solùm è pratis ac fruticibus carpunt, verùm etiam aliquando ex ipsorum ad eòs venatorum manibus, imò, quod stupefcas, ex ore arripiunt: id quod magnis quibusdam Principibus tantam aliquando admirationem movit, ut è suis huc mitterent, qui tantæ rei experimentum præsentem caperent. Præterea trans Mosacum amnem, quò locò montem Frisingensem alluit, spatiosò septò conclusæ manent numerosæ dorcades, quæ in horas singulas cominùs sese spectabiles offerunt, pabulantur, saliant, ludunt. Virgulta Isaræ tum infidentia tum adjacentia phasianos, per-

Dissert. prima.

dices, anates lacustres offerunt, ac, quod præprimis mirandum, certis versùs autumnum temporibus aucupio jucundissimo numerosissimam materiam, sturnos nempe, tantâ copiâ obijciunt, ut aliquoties una nocte viginti propemodùm millia Frisingensibus Venatoribus in prædam cesserint spectaculò etiam Regibus dignò. Mosacus, quem diximus, vicinissimus amnis, postquam per Mæandros varios arcus, & subiecto amœnissimo viridario propiùs imminet, olores habet, atque aliàs etiam piscium feracitate Isaræ neutiquam cedit. Via publica, & inter superiorem ac inferiorem Bojariam Regia, inter prata fertilissima protensa, è propinquo in conspectu est, nemòque illic iter facit, quin videri ex utroque monte ad dimidium horæ spatium & ampliùs possit. Ipsi duo montes gratissimum sibi invicem spectaculum pariunt, & totam insuper subjectam urbem oculis metiendam præbent: à cujus muris non nisi modicò, ac vix unius quadrantis horæ spatiò distans celeberrimum splendidumque Canonicorum Præmonstratensium Monasterium Neöcellense sub eundem conspectum cadit, & gratiam exauget. In septentrionem amœnæ silvæ, clivi molles, agrique felicitis glebæ protenduntur, lætà sanè quaquaversùm rerum specie, & egregiò ambulantium civium commodò atque delectamentò. Verùm de his fatis in præsens. Plura de aliis præclaris urbis Frisingensis ornamentis referemus commodioribus locis.

Origo.

Originem hujus Urbis nonnulli tribuunt Romanis Præsidibus, qui sese olim in Vindeliciam receperint, ibique oppida præsidii, munitionibusque firmaverint. Addunt aliqui, nomen *Fruxinii* vel *Fruxinie*, quòd eundem cum *Frisinga* significatum habeat, ex nomine cujusdam Romani Præfecti *Frußinonis* ortum trahere: quòd tamen ambitiosius utique quàm fortè veriùs excogitatum, fidem absque antiquis certisque suffragatoribus ægrè meretur. Neque veriora asserunt, qui *Fruxinium* dictum volunt à vocula *flux*, *frugis*, quod ad significandam soli fertilitatem assumptum fuisse opinantur. illud tamen certum manet, Frisingam nostram in vita S. Maximiliani Archiepiscopi Laureacensis & Martyris, stuperrimè à R. P. Hieronymo Pezio Mellicensi castigatius edita, *Frixiniam* vocari. Sanè à quot Sæculis Frisinga inter urbes numerari cœperit, nemo facilè divinaverit. Primam ejus tituli mentionem reperio in mox laudata Vita S. Maximiliani, in qua Frisinga nostra inter civitates locum habet. Aribo quoque noster in Vita S. Corbiniani Episcopi Frisingam semel iterùm-

Tom. 1. Script.
Rer. Aup. Gal.
34

Abbe cap. 21.

de Situ &c. urbis Frising.

Iterùmque *Civitatem* appellat, ut suò locò memorabimus. Præterea dubitari non potest, quin Frisinga nostra eo tempore, quo S. Corbinianus illuc delatus est, fuerit caput superioris Bojariæ, quippe quam constat fuisse sedem Grimoaldi, ac postea Hugiberti, Bojariæ, alpibus subjæctæ, Ducum. Neque legimus, in aliis superioris Bojariæ locis frequentius, quàm Frisingæ judicia publica fuisse exercita, lites diremptas, & Rempublicam administratam, licèt etiam similia aliquando Aiblingæ, Veringæ, ac postea in Cœnobiis recéns tum excitatis contigerint, quod in decursu Historiæ nostræ ampliùs patebit, & dudum ante nos tum alii, tum R. P. Simon Rettenbacher ^{lib. 1. cap. 13.} in Cremifanensibus Annalibus eruditè advertère.

DISSERTATIO SECUNDA PROLEGOMENA.

*De Religione Christiana, & Morum Cultura in moder-
næ Bojariæ superioris Confinia, ac Frisingam
introducã.*



Um duodecim Apostoli accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum imbuendum Evangelio Mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus, Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinabatur Imperii, ut Lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso Capite per totum Mundi Corpus effunderet, uti gravissimè sermocinatur Sanctus Leo Papa Serm. 1. de SS. Apostolis Petro & Paulo.

Ab eo tempore (ut ipsà etiam Sacri textûs phrasi utamur) *in omnem terram exiit sonus, & in fines orbis terræ verba Apostolorum, non illorum utique duntaxat duodecim, quos Dominus in Sacrum suum Collegium cooptavit, neque etiam aliorum tantùm septuaginta duorum, quos Idem Dominus designavit, & illos misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, quo erat ipse venturus, ut Sacer textus habet, sed eorum quoque, de quibus paulò post subjecit: Rogate ergò Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Sanè quosnam operarios tum ipse Dominus, tum Domi-

Dissertatio secunda.

ni Vicarius Petrus, ejusdemque in suprema Hierarchia Successores Pontifices miserint in varia Regna, Provinciâsque Europæ, Baroniis, Spondanis, aliisque Historiæ Ecclesiasticæ Principibus decernendum committimus, contenti expendere, quinam fuerint, qui huic, in qua scribimus, Bojariæ lucem Evangelii primi intulerint?

Præcones Di-
cini verbi ab
Oratore.

In ea igitur Regionis nostræ parte, ex qua solem orientem excipimus, offert sese cum primis Laureacum, percelebris olim Ripensis Norici civitas, & pervetusta ac nobilis Romanorum Colonia, deinceps verò in vicum ignobilem temporum hominumque injuriis redacta, de qua nemo hætenus dubitavit, quin ei jam inde ab Apostolorum temporibus, primòque Christi Sæculo Lux Evangelii affulserit, uti eruditè advertit Clarissimus P. Hieronymus Pezium Mellicensis, suamque assertionem gravibus testimoniis largè demonstrat. Illud tamen maximè ambiguum & controversum esse affirmat idem eruditus scriptor, quinam illi demùm fuerint, qui prima Christianæ apud Noricos Ripenses Reipublicæ fundamenta jecerint. Discussis deinde doctissimè variorum opinionibus, erroribusque rejectis cum Vito Arenbeckio concludit iis verbis: *Maneat ergo omnium verosimillimum, nec Laurentium, nec Hermagoram, nec Fortunatum, nec alios Sancti Petri innominatos Discipulos* (quos ex aliis Scriptoribus laudaverat) *sed Solos Sanctos Syrum & Eventium, ambos Episcopos Ticinenses, Laureaci, reliquique Ripensis Norici primos Apostolos, & cælestis doctrinæ Magistros extitisse.* Docuerat autem in antecedentibus Sanctos Syrum & Eventium è primorum quidem Apostolorum catu non fuisse: fuisse tamen S. Hermagoræ Episcopi Aquilejensis, qui Sanctum Marcum Evangelistam Magistrum habuerit, Discipulos: idque satis esse, ut verum sit, Ecclesiam Laureacensem ab Apostolis & Doctoribus Romanæ sedis fundatam, & primis veræ fidei elementis imbutam fuisse. Ita vir doctus, qui in gratiam gentis suæ quæstionem istam operosè discutiendam suscepit.

S. Maximilianus Episcopus.

Post primos Gentis illius Apostolos Communi Scriptorum calculo laudari solet Maximilianus, Sæculo III. Pontifex Laureacensis, idemque Martyr Beatissimus: qui quantum sudoris in iis Norici (hodie superioris Austriæ) aliisque vicinis partibus rei Christianæ tum stabiendæ tum promovendæ impenderit, discimus ex ejus vita, à mox laudato P. Hieronymo Pezio recens edita, in qua illud ad propositum nostrum iterum observamus, Scriptorem vitæ S. Maximiliani inter eas, quæ olim

de Religione Christ. in Bojar. super. &c.

olim Laureacensi Metropoli subjectæ fuerint, viginti duas *Suffraganeas* (uti vocant) Civitates etiam numerare Frixiniam quo nomine absque dubio indigitat Frisingam nostram, quippe quam inter *Pataviam* (hodie Passavium) & *Imbriopolim*, sive Ratisbonam mediò locò recenset : quod utique ansam quibusdam Scriptoribus præbere potuit, ut crederent, Frisingæ jam olim tertio Sæculò Christianò Episcopatum fuisse erectum. Certè Vitus Arenbeckius, qui celebre suum Chronicon Bojariorum Sixto Frisingensi Episcopo Sæculo XV. nuncupavit, procul dubio ista legerit, quippe qui scripsit, *constare, temporibus Imperatoris Cari de Narbona Frixinæ Basilicam Christi fidelium fuisse, quæ S. Maximiliano Archiepiscopo subjecta fuerit.* Ubi tamen benè subjecit verba illa : *qui autem Sacerdotes inque ad Sancti præfuerint Corbiniani tempora, nescitur* : quod idem & nos affirmare cogimur destituti membranæ & argumentis idoneis, ex quibus certiora de Sacris illis Antistitibus haurire, atque cum Lectore communicare liceat. Arenbeckii verba reperiet Lector in eruditissimi Viri P. Bernardi Pezii *Thesauro Anecdotorum novissimo Tom. III. Part. III. col. 72.* Cui Bernardo quantum hodiernus eruditus Orbis debeat, non ignorant, qui quidem aliquod eruditioni pretium ponunt. Interim ex hæcenus deductis citra notam temeritatis nemo inficiabitur, non solum inferiorem, sed superiorem quoque Bojariam, Frisingam maximè, Sancto illi Archiepiscopo & Martyri Maximiliano vetustissimo quodam gratitudinis vinculo manere devinctam : quod dudum intellexere tum supra laudati, tum alii Scriptores. Atque idipsum erat, quod permovit Celsissimum ac Reverendissimum S. R. I. Principem, & Episcopum Frisingensem JOANNEM FRANCISCUM, ut inter præcipuos quatuor Bojariæ Apostolos S. Maximiliano in antiquissima Cathedralis Ecclesiæ Crypta elegantem statuam poneret, eidemque sacras quasdam Sancti illius Pontificis reliquias infereret. Neque fas est dubitare, quin eadem de causa Clemens XI. Sac. Memor. Pontifex Maximus die 12. Maij ann. 1714. officium S. Maximiliani annis singulis non solum in Patavienfi Diœcesi, verum etiam in reliqua universa Bojaria deinceps celebrandum instituerit. Sanè Festum S. Maximiliani jam Sæculò Christi decimò Frisingæ quot annis celebrari fuisse solitum, P. Gamanus S. J. ex vetustissima Frisingensi Liturgia annotavit. Quod idem de Festo SS. Ermachoræ (Hermagoræ) & Fortunati dictum est.

Quantum debeant S. Severino sive Abbati sive Monacho ^{S. Severinus} _{Abbas.} tum

Differtatio secunda

tum Austriaci, tum Styri, Carinthii, Salisburgenfes ac Bavari, graviffimè explicat Martyrologium Romanum ad VI. Id. Januarii iis verbis : *apud Noricos S. Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium propagavit, & Noricorum dictus est Apostolus.* Obiiffe Sanctum hunc Abbatem circa annum Christi 480. Baronius in *Notis*, ad laudatum Martyrologium Romanum monuit ; quod ideò addimus, ne S. Severinum videamur velle ineptè referre in censum hominum Benedictinorum, quippe quem ultrò fatemur obiiffe, antequam S. Benedictus Regulam suam Monachis scripferit. Vitam S. Severini ab Eugippio illius Discipulo accuratè conscriptam, unà cum observationibus præviis nuper, post Surium aliósque accuratiùs recudi fecit sæpè laudatus P. Hier. Pezsius *Tom. 1. Scriptorum Rerum Austriac.* ad quem Lectorem remittimus.

S. Valentinus
Episcopus.

Taceri hoc loco citra Beatissimi Corbiniani offensam non possunt graviffima de Passavio ac locis finitimis relata merita Valentini, loci illius Episcopi Sanctissimi, qui circa annum Christi CCCC. atque adeò ante S. Severinum *post exhaustos innumeros pro Christi nomine labores* (verba sunt Frisingensis Breviarii) *sumptò propriis manibus Dominico corpore, mortis sue præsciùs, animam suam sanctissimè exspiravit* : quem posthac S. Corbinianus sibi præcipuè imitandum proposuiffè videtur. Certè illum longè tenerrimo cultu profecutus est, ut suo loco videbimus. Atque hi erant viri, per quos tibi Evangelium Christi, Bojaria ab Oriente primùm respanduit.

à meridie.

S. Cassianus
Episcopus.

Ex eadem nostra Bojaria, qua parte meridiem atque Italiam respicit, gentilitatis tenebras sin primus, certè præcipuus ejus partis Apostolus S. Cassianus Episcopus Sabionensis Sæculò Christi IV. absterfit, uti discimus ex catalogo Episcoporum Sabionensium, hodie Brixinensium, quem Hundius in *Metropoli Salisburgensi* edidit, Gewoldus verò additionibus illustravit. Sabionam (nostra ætate in celeberrimum Parthenonem Benedictinum conversam, *Sebun* vulgò dictum) fuisse iis temporibus partem Norici, ac deinceps Bojariæ, Eruditorum nemo ignorat. Nam Tridentum usque protendebantur Bojorum Principum Ditiones : ubi, ut habet Romanum Martyrologium, S. Vigilius Episcopus & Martyr reliquias idolatriæ extirpare conatus, lapidum imbre percussus, pro Christi nomine Martyrium implevit. Simillima de S. Lucano Tridentino Episcopo Scriptores tradunt. Ita à meridie quoque Bojaria nostra splendoribus Sanctorum illustrari cœpit.

Ab Occidente.

Fatendum nihilominùs est, ex nulla alia parte Christum, qui

qui Splendor est Patris, & Sol justitiæ Christianæ, copiosius illuxisse Bojariæ nostræ, quàm ex iis plagis, ubi Solem alterum, Planetarum principem, quotidie nobis occidere conspiciamus. Inde enim finibus nostris secundò Sæculò Christianò primus accessit S. Lucius Britannorum Rex, qui, teste Martyrologio Romano, primus ex iis Regibus Christi fidem suscepit tempore Eleutherii Papæ. Hic, ut pulchrè loquitur Andreas Brunnerus S. J. *Annal. Boic. part. 1. lib. 4.* simul ac melioris Regni hæres scriptus est, rerum omnium mortalium contemptor, diadema, sceptrum, regiásque opes generoso pede calcans, & rem ausus etiam hodie stupendam, voluntarius exul, ad cælum magnis passibus properavit, Deum secutus. Hoc Duce Noricum, Rhætiam, Vindeliciámque ingressus, cœlestis disciplinæ ludum nuper Rex aperuit, & nostræ Rudimenta fidei optimus Magister tradidit. Ita Brunnerus ex *Andrea Ratisbonensi, Breviario Curiensi, ac Petro de Natalibus.* De S. Lucio post Baronium passim etiam agunt cœteri Bojariæ Scriptores, Raderus in *Bavaria Sancta.* Adelzreiterus in *Historia Bavarica,* & alii.

Post Britannia Regem Lucium vicina Diœcesis Augustana meritò ceu Apostolum & Episcopum suum veneratur S. Narcissus, quippe qui testante ipso Martyrologio Romano Evangelium in iis partibus prædicavit, Augustæ Afram cum aliis quàm pluribus Christianæ fidei præceptis imbuit, Hilaria domum Ecclesiam consecravit, Dionysium Hilaria Germanum fratrem, & Afræ avunculum sub ipsum quarti Sæculi Christiani initium Presbyterum ordinavit: veluti habet Breviarium Augustanum, & vir Clarissimus P. Corbinianus Khamm Udalricanus *part. 1. Hierarchiæ August. cap. 6.* Videri etiam potest Breviarium Frisingense ad diem XI. Augusti, quo Divæ Afræ festum etiam in hac Diœcesi meritò peragitur, quippe quæ fortissimè toleratò pro Christi fide ignis supplicio è proxima vicinia Conversionis facem finitimis hisce civibus Frisingensibus gloriosè accendit.

Deinceps usque ad tempora Beatissimi Corbiniani nostri nemo plus in Boica nostra pro re Christiana laborasse memoratur, quàm S. Rupertus, Magnus Ille Bojariæ Apostolus, & Salisburgensis Ecclesiæ Fundator, à Deo, ac Theodone, gentis Duce, è Francia evocatus. Is, ut ferunt, exulare iussus è Patria, inque Bojariam delatus, Theodone Duce, aliisque Proceribus Sacro fonte lustratis, id unum deinceps egit, ut omnem ex iis Regionibus superstitionem penitus in exilium mitteret,

R. P. Caroli Meichelbecki Dissert. in *Hist. Frising.*

b

atque

atque labantem ob continuas variorum Barbarorum incurfiones Noricorum fidem erigeret. Sedem tandem & arcem Sacrorum Juvaviæ fixit, Cœnobiúmque ibi ac templum Divo Petro : alterum Divo Maximiliano Laureacensium Archiepiscopo & Martyri Sacrum, in Pongau excitavit, quibus Benedictinos Monachos veluti idoneos Sacræ Religionis Præfidiarios imposuit. Pulcherrimum quoque Bojariæ ornamentum, firmissimúmque Munimentum Sacra Oetingæ veteris Ædes, potentissimo Bojariæ præsidio, Deiparæ videlicet, Consecrata Ruperti nostri opus est : ut, quando Huic Augustissimæ Cœlorum Reginæ omnia se debere Boij fatentur, multúm profectò etiam Ruperto debere se intelligant, qui Regionistutelam, eam, inquam, Virginem sin primus, certè princeps conciliavit, uti ferè habent *fasti Mariani* ad diem 27. Martij. Fuisse Rupertum sub Regula S. Benedicti primum Abbatem Cathedralis eo tempore Monasterii S. Petri Juvaviæ, hodie Salisburgi, invicè docent Petrenses nostri ex veterimis Codicibus, Necrologiis, Summorum Pontificum, Domesticorum Archiepiscoporum, & Canonicorum literis, item ex tabulis, picturis, Scriptoribus etiam extraneis, nulli Sacræ familiæ addictis, & constantissimâ insuper traditione ad nostra usque tempora propagata. Hinc iis recentioribus Scriptoribus, quibus fortè parùm jucunda accidit hæc narratio, tum demùm assurgemus, cum antiquiora, ac graviora momenta, instrumenta, inquam, ac testimonia Synchrona in apricum produxerint. Nam ut conjecturis & effugiis ex solo ingenii artificio profectis post tot Sæculorum quietam, ut vocant, possessionem, tantis firmamentis innixam, acquiescamus, persuaderi nostris, aliisque Viris eruditis nunquam poterit. Remittimus Lectorem ad ea, quæ dudum ante nos in rem nostram disputavit V. C. P. Josephus Mezger Petrensis in Historia Salisburgensi, Celsissimo & Reverendissimo Principi & Archiepiscopo Joanni Ernesto inscripta, & quidem in annotatione ad Caput XX. libri primi, *pag. 129. 130. & 131.* quæ momenta etiam nos aliquando alicubi expendimus. Cum prodierit promissa ab alio quodam Scriptorè aliter sentiente nova Divi Ruperti seu Vita seu Historia, meditabimur, quid respondendum sit.

Interea illud hic animadvertimus, præcipuos Ruperti Socios fuisse Gisilarium & Chunal dum : qui in vetustissimo Codice Petrensi, manu Sæculi octavi exarari cœpto, sub Rubrica *Monachorum defunctorum* primò loco ponuntur, ac disertè appellantur *Presbyteri & Monachi*; uti Rupertus ipse ibidem sub

Fuit Abbas
O. S. B.

Exercit. 5. Theol.
109.

sub Rubrica præcedente *Episcoporum & Abbatum defunctorum*, *Episcopus & Abbas* vocatur. Ubi sanè mirum est, quomodo allegatus de Gifilario & Chunialdo locus oculos P. Josephi Mezgeri effugerit? certè nos, dum ista scribimus, Codicem illum aurò ac topazio pretiosorem, præ manibus ac oculis habemus, Virisque quà eruditione, quà nobilitate præstantibus sæpiùs exhibuimus.

Quonam tempore Sanctissimus hic Apostolus Rupertus in anno 5. hanc Noricum è Francia accesserit, quòve anno è vivis excesserit, ingens inter Scriptores diffidium dudùm exortum est; veluti in Historia Salisburgensi primis statim paginis legimus. Præcipuè ipsi P. Josepho Mezgero nostro, Historiæ illius Scriptori, cum Mabillonio itidem nostro ea super re amicam litigium intercessit, de quo agit ipse P. Mezgerus in *Dissertatione Preliminari Historiæ Salisburgensis §. 2.* ubi ille Divi Ruperti beatum ad cælos transitum reponit post initium Sæculi septimi, nempe ad annum Christi 623. Mabillonius verò differt post initium Sæculi Octavi, & quidem ad annum Christi 718.

Antonius Pagius, qui post utrumque illum Clarissimum Virum scripsit, in celebri sua Critica ad annum Christi 590. num. XII. constanter adhæret Mabillonio, & mentem suam deinceps ad annum Christi 718. num. VII. ulterius declarat.

Ea Doctissimorum Virorum dissensio movit nonneminem, ut in præcipuum P. Josephi Mezgeri fundamentum; nempe in antiquitatem inscriptionis lapidis marmorei sepulchralis S. Ruperti inquirendum censeret, quæ, teste eodem P. Mezgero sic habet: *Anno ab Incarnatione Domini DCXXXIII in die Resurrectionis ejusdem obiit S. Rupertus, hujus Monasterii fundator, & primus Salisburgensis Episcopus, hic sepultus.*

Neque sanè deerat ratio dubitandi, num hæc inscriptio redoleret stilum & manum septimi Sæculi, quippe quo tempore, in his saltem partibus, planè insolitum erat annos ab Incarnatione Christi ponere, uti Eruditis constat, & è Frisingensibus Instrumentis per decursum ad oculum patebit: ubi tacemus cætera, quæ antiquitati inscriptionis illius opponi possent. Itaque data fuit opera, ut oculis conspiceretur forma literarum lapidis illius sepulchralis, hac feliciter detectâ judicabant viri antiquorum characterum discernendorum minimè imperiti, inscriptionem illam lapidis sepulchralis S. Ruperti neutiquam Sæculo Christi XV. aut XIV. esse antiquiorem: atque eo ipso fundamentum illud R. P. Mezgeri tantum pondus non habere, quantum is illi tribuendum censuerat. Ea ob-

R. P. Caroli Meichelbecki Dissert. in Hist. Frising. b 2 serva-

servatione adhibitâ, Mabillonii Sententiæ non potuit non ma-
 jus pondus accedere, ejusque opinionem firmare : quam et-
 iam comprobare videtur Aribo Frisingensis Episcopus, ordine
 Quartus, Sæculi octavi Scriptor, qui, ubi alterum Divi Corbi-
 niani Romanum iter (quod in annum Christi 723. incidisse
 probabimus) describit, Capite IX. memorat, Corbinianum
 venisse in Noricum, nempe Bojariam, cui Theodo Dux cum
 tribus filiis præerat, *quæ gens*, inquit Aribo, *adhuc rudis erat,*
& nuper ad Christianitatem conversa. Et capite proximo de
 Norico subdit : *carique ibi habebantur Sacerdotes, sicut Novi-*
tiorum mos esse compellit. Quæ si vera sunt, Rupertus, qui
 quadraginta annorum spatiò in convertendo Norico seu Boja-
 ria defudasse dicitur, non potuit decessisse ipsis centum ante
 Corbiniani adventum annis : aliàs enim Aribo tempore ad-
 ventûs S. Corbiniani non diceret Noricos *gentem adhuc ru-*
dem, & nuper ad Christianitatem conversam atque *Novitiam* :
 quippe quæ jam ante plures quàm centum annos scita Evan-
 gelii ex Ruperto, ejusque Sociis didicisset. Itaque vero longè
 similis est, Rupertum primùm decessisse anno 718. quàm an-
 no 623. quod idem egregiè suadent plura alia argumenta, ab
 eruditissimis Mabillonio & Pagio expensa : quæ tamen hic
 ponderare nostrum non est. Itaque de iis alii viderint.

Alii Viri Apo-
 stolici.

Sæc. Magni
 Abb. Puccen-
 sis.

Id. n. 2. 776.

Circa, imò fortè paulò ante eadem tempora etiam S. Co-
 lumbani Discipuli tum de Regionibus finitimis, tum de Boja-
 ria ipsa optimè mereri conati sunt, Eustasius potissimùm, ac
 (ut quidam addunt) Magnus, quorum labores passim in
 Bojorum actis commendantur. Eustasium fuisse S. Columba-
 ni Discipulum, nemo, quod sciam, in dubium vocat. Si
 Sanctus Magnus Theodori, biographi sui Socius fuit, isque
 Theodorus nedum de Utilone Bojariæ Duce, verùm etiam de
 Pipino Francorum Rege, de Leone III. Papa, & *Karolo jam*
facto Imperatore, de S. Symberto, de Lantone, imò etiam
 Nitcario Episcopis Augustanis scripsit, uti videre est apud Hen-
 ricum Canisium; idemque demonstrari potest ex Benedic-
 burano MS. Codice Sæculi XI. si, inquam, hæc ita se habeant,
 omninò negandum est, quòd, is, quem Theodorus laudat
 Sodemum suum, Sanctus Magnus unquam S. Columbanum
 viderit. Obiit S. Columbanus anno Christi 615. ut habet Ma-
 billonius *Tom. I. Annalium Ord. S. Benedicti.* At verò Nitca-
 rius, seu Nidgarius Episcopus Augustanus, de quo Theodorus
 noster scripsit, & cui proinde ipse Theodorus aut synchronus
 aut superstes fuit, saltem ex mente Clarissimj P. Corbiniani
 Khamm

Khamm in *Hierarchia Augustana part. 1. sect. IV.* obiit primum anno 869. 15. Aprilis, ut adeò obitus Sanctorum Columbani atque Nitcarii distent ipsi ducentis & amplius annis. Quì igitur intelligi potest, quòd S. Magnus, Sodalis hujus Theodori, qui de S. Nitcario Sæculi noni homine scripsit, ante ducentos annos cum S. Columbano negotium habuerit, ejusque discipulus fuerit? atque hæc disputatio prorsus nihil, ut spero, inter eruditos detrahit S. Magno, Faucensium nostrorum Patrono, primòque Abbati; quippe cujus Sanctitatem quotidiana omnes naturæ vires excedentia beneficia etiamnum testantur, ipsisque etiam Heterodoxis lumen Catholicæ fidei aliquando accendunt. Id unum relinquitur quasi manibus palpabile: aut S. Magnum, qui apud Faucenses ac finitimos populos summam venerationem habet, non fuisse S. Columbani Discipulum: aut Theodorum neuiquam fuisse ipsius Magni Sodem.

Circa annum Christi 697. Brunnerus cum aliis Rerum Boicarum Scriptoribus in Bojariam introducit SS. Marinum & Anianum, inelyti Monasterii nostri Rottensis Tutelares: qui ex patria sua Hibernia ad limina Apostolorum Romam delati, benè precante Summo Pontifice Eugenio primo ad Bojos digressi, eos Sacratioris Philosophiæ, maximarumque virtutum radiis impleverint. Ita illi quidem Scriptores. Verùm, ut nos monuit R. P. Wolfgangus Dullinger, Monasterii illius SubPrior, & antiquitatum Rottensium diligentissimus scrutator, Rottenses Membranæ vitam dictorum Sanctorum ad tempora potius Carolomanni & Pipini, adeoque ad medium Sæculum octavum constanter differunt: quibus nos haud inviti accedimus, manusque damus. Hæc de Viris Sanctissimis, qui ex partibus occiduis ad nos delati, *iter fecerunt ei, qui ascendit super occasum*, ut Psaltes Regius loquitur. Superest, ut de iis Christianæ fidei Præconibus agamus, qui Evangelii sementem circa Danubium ante SS. Rupertum & Corbinianum, aliisque Viros Apostolicos sparserunt, & à partibus Septentrionis Superiori Bojaris signa Christi intulerunt.

In qua narratione texenda fidiorem graviorémque Magistrum non reperio, quàm Reverendissimum D. Cælestinum, S. Emmerammi intra Ratisbonam Abbatem, qui *Mausolaum* S. Emmerammi ex optimis atque vetustissimis Imperialis Monasterii sui Membranis anno Christi 1671. magnâ fide, gravi-
que eruditione idiomate Germanico conscripsit, sæpius deinceps recusum. Laudat ille inprimis S. Lucium velut primum

Ierum & La-
gus.

apud Reginoburgenfes , five Ratisbonenfes Divini verbi fecundò Sæculò Ministrum , de quo nos supra jamjam mentionem ingessimus. Quintò dein Sæculò Christianò Sanctum quemdam Lupum adducit , in odium nunciati Evangelii Martyriò affectum.

Reginoburdis
Ducis.

His viris subjungit mulierem fortem , Reginotrudem scilicet , Franciæ Regis filiam , à teneris innutritam Religioni Christianæ , ac deinceps Theodoni Bojariæ Duci nuptam , quæ fidei Christianæ viam straverit , Ducique persuaserit , ut Rupertum in Boicam accerferet , qui Bojis viam ad cælum monstret. Denique idem Reverendissimus Cœlestinus in celebrandis meritis Evergetæ sui Divi Emmerammi Episcopi & Martyris totus est.

S. Emmeram-
mi Episc.

Illustrissimum hoc sidus in Aquitania exortum circa medium Sæculi septimi Bojariæ illuxit. Expeditionem Sacram Vir Sanctus in Hunnos paraverat , gentis feritatem impietatemque , Rei Christianæ à tot Sæculis semper infestissimam Christianæ mansuetudinis doctrinæque armis expugnaturus. Verùm aliud visum est Superis : Dum enim ille ad Hunnos properat , Bojariæ Ducis precibus Reginoburgi detentus , quam lucem Hunnis inferre optaverat , Bojis intulit , dum integrò trienniò labores Sanctissimos erudiendæ genti optimus Magister impendit , sed quibus aula nonnisi truculentissimum Minerval reposuit. Nam cùm ille Romam iter ingressus , interea verò Reginoburgi stupri Utæ Ducis filia illati accusatus esset , Landbertus , Utæ Germanus , Helfendorffii , Oenum inter & Isaram sitò pagò , hærentem citato cursu infecutus , incumbentem Divinis laudibus Sanctum Episcopum non auditum , nedum convictum sannis primùm acerbissimè aggreditur , mox scilicet radiis illigato manuum pedumque digitos , aures deinde narèsque articulatim lenta manu resecat , oculos & linguam stirpitus evellit , nec nisi lassata tyrannide semianimem relinquit , Beatissimâ animâ paulò post non ad Romanam , sed cœlestia limina evolante. Nunquam sanè crudeliorem lanienam Bojaria nostra vidit , nunquam pretiosorem sanguinem bibit. Reginoburgenfes deinceps præcipitati Consilii sui luculentissimè convicti , Magistro suo integerrimo cœlestes honores statuere , Sanctissimis ejus exuviis sacram ædem adjuncto sub Divi Benedicti norma Monasterio superinduxere , ejusdemque potentissimam opem quàm sæpissimè imploravere atque sensere. Frisingensis hæc Diœcesis , post aliquos ab ea laniena annos à Divo Corbiniano instituta , in hanc usque diem felicem se meritò judicat , quòd nobilissimo illo

illo sanguine rigata, uberioribus deinceps cœli roribus atque gratiis digna sit reddita. Helffendorffium, Lanienæ locus, sub Erimberto, S. Corbiniani fratre, atque in Frisingensi sede Successore, Cæthedrali huic Collegio dono datus, ab eodem Religiosissimo Antistite sacra æde condecoratus fuit, Dei Sanctissimi quæque Martyris Emmerammi honoribus consecratâ, ut suo loco iterum monebimus.

Exstat & aliud prope Veringam in honorem ejusdem Martyris erectum vetustissimum Sacellum, eo nimirum in loco constructum; ubi Sacrum pignus Isaræ fluvio impositum cœlesti quadam pompa inter ingentia prodigia Reginoburgum deinceps delatum fuit, Frisingensibus Proto-Martyris sui festum annua celebritate hucusque devotè recolentibus. Petrenses nostri manu Sæculi VIII. Emmerammum inter Episcopos & Abbates defunctos, Societati suæ adscriptos, primò loco recensuere.

Hæc de viris illis atque operariis Apostolicis, quos Magnus ille *Paterfamilias mane hora tertia & sexta*, primis nempe Christianæ fidei sæculis, *in vineam suam*, Bojariam, ex quo-
tor Orbis plagis misit.

Interea dum Magni illi Operarii subigendæ vineæ Bavaricæ pars sudorem, pars etiam sanguinem impendebant, non defuere etiam magni quidam Principes Christiani, qui Bojis à se devictis leges ad normam Evangelii formatas præscripsere. De his apud Basilium Joannem Herold in *Originum ac Germanicarum antiquitatum libris*, è celeberrima Bibliotheca Fuldenfis nostri Monasterii erutis, & Basileæ anno Christi 1557. in lucem protractis hæc legimus. *Theodoricus Rex Francorum cum esset Cathalaunis, elegit viros sapientes, qui in Regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum & Bojariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam; addiditque addenda, et improvisa & incomposita refecavit, & quæ erant secundum legem Paganorum, mutavit secundum legem Christianorum: et quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam consuetudinem emendare non potuit, post hæc Hildebertus Rex inchoavit corrigere: sed Clotarius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus renovavit &c.* hæc ibi.

Reges Christi-
simi. Legum
Bojarum con-
ditors.

Sanè antiquissimas illas Bojariorum leges laudatus Heroldus deinceps recitat à pag. 58. usque ad paginam 120. ubi eas Lector reperiet. Et hæc fermè sunt, quæ ad Bojariorum

jorum culturam præstitere Viri Sancti, Magnique Principes, antequam optimo Numini placuit ad plenam operis consummationem Corbinianum nostrum in Bojariam destinare.

DISSERTATIO PROLEGOMENA TERTIA.

De Patria S. Corbiniani Primi Episcopi Frisingensis.



Momenta pro
Athesina Pro-
vincia.

Questionem de Patria S. Corbiniani non carere omni difficultate, ex eo manifestum fit, quòd Boicarum Rerum Scriptores, ipsique adeò domestici Codices planè in diversas sententias abeant, & alii quidem in Gallia, alii in ea antiquæ Bojarie parte, quæ hodie Athesina Provincia est, natum fuisse contendunt. Pro Athesina Provincia certat Magnus ille Traditionum Frisingensium liber, quem Sæculo Christi duodecimo conscripsit Conradus Sacrista, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, nosque librum Traditionum quartum appellabimus, ubi primò statim foliò ipsius autographi meliùs, quàm apud Hundium, hæc legimus. *Beatus Corbinianus . . . Montem istum, qui Frisinga dicitur, accepit: ubi primò Ecclesiam, quæ usque hodie cernitur, in honorem B. Benedicti construxit, & Monachorum Conventum ibi coadunavit. Cui post morum informationes sicut providus Dispensator etiam temporalia providit. Nam Maisè, unde ipse oriundus extitit, & Chorzes et Camina ad istam sedem, quam fundavit, jure proprietatis contulit.* Ubi vides, Lector, Codicem illum satis apertè *Maisè* (Majas) Patriam Divi Corbiniani appellare.

Magno illi Traditionum Frisingensium libro insisit Joannes Freiburgerus Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis itidem Canonicus, & S. Petri in Vohburg Pastor in suo opere: cui titulus: *Origo Christianæ Religionis Ecclesiæ Frisingensis.* duobus abhinc Sæculis, nempe anno Christi 1520. 4. Maij. Landshuti typis impresso, ubi sequentia primà statim paginà occurrunt: *Corbinianus ex Baldechiso, ac Matre Corbiniana, claris Parentibus generatus, in ipsa puericia Divinà gratià illuminatus, oriundus ex Melitonensi, circumjacentibus Maisè & Thorzes propè Meranum, natus in Castro Zenburgk.* Ubi Freiburgerus equidem de Melitonensi quadam ditione mentionem

nem facit, eamque Divi Corbiniani Patriam statuit : at non intelligit illam Melitonensem in Gallia, sed longè aliam, nempe prope *Meranum & Maisè*, scilicet non procul à Tyrolensi Castro, & Athesi fluvio sitam, quam vir quidam eruditissimus, loci accola, à me interrogatus, non aliam esse respondit, quàm vicinam Præfecturam seu Dynastiam, Mølten nuncupatam : quam explicationem video etiam fuisse olim annotatam in illo Episcoporum Frisingensium Catalogo, quem *Chronicam quintam* appellant. Sanè Castrum, Zenburgk à Freibergero appellatum, hodie vocamus *Zenonberg*, vel *Zennenberg*, Majis & Meraniæ conterminum : cujus nomen Bruschius in Collectaneis à Zenone Imperatore, Freiburgerus verò à Divo Zenone, singulari illo Divi Corbiniani tutelari derivant. In descriptione Comitatus Tyrolensis, quæ anno Christi 1703. Augustanis typis prodit, legimus, Castrum illud *Zenonberg* aliquando Tyrolensium Principum Regiam fuisse. Eandem de Divi Corbiniani Patria sententiam tenet Aventinus, quem ducem tantò proniùs in sua Metropoli Salisburgensi sequitur Hundius, quantò certius ejus assertionem ipsi Magno traditionum Frisingensium libro innixam deprehendit. Neque desunt aliæ conjecturæ, quæ idem suadere videantur. Certum enim ex ipso Aribone est, adeò Majas, & loca illa vicina cordi fuisse D. Corbiniano, ac ullum in orbe locum. Nam prope Majas in solitudine vivere optavit. Majis (vulgò *Mais*, ut diximus, non verò *Mätsch*, ut nonnemo locorum illorum minùs peritus) primum Ecclesiæ suæ Frisingensi prædium & vineas comparavit. Freiburgerus Majense illud prædium Divi Corbiniani *Patrimonium* alicubi appellat. Majas, non verò in Galliam, metu Pilitrudis Frisingæ exactus, fugit. Majis sepulturæ tradi à Luitprando Langobardorum Rege, & Hugiberto Bojariæ Principe instante mortis die petiit, & impetravit : & tandem Majis ab Aribone quadragesimo ab obitu anno reductus non nisi cum ingenti fragore loco illi valedixit, uti ex iis patebit ampliùs, quæ in consequentibus referemus : ut adeò temeritatis argui non possint, qui S. Corbinianum Tyrolensibus hætenùs accensuere : in quorum sententiam pronos nos antehac fuisse, nihil diffitemur.

Oppositam nihilominùs sententiam, quæ Gallis Corbinianum Enervatus adjudicat, præfert Marcus Velferus *lib. 4. Rerum Boicarum*, ubi vitam Divi Corbiniani stilò elegantissimò delineavit : quæ scriptio adeò arrisit Viris eruditissimis Matth. Radero S. J. & Christophoro Gewoldo, ut hic eam suis ad Hundii *R. P. Caroli Meichelbeck Dissert. in Hist. Frising.* c Metro-

Metropolim additionibus : ille verò volumini primo *Bavariae Sanctae* totam inferendam censuerit. Applaudunt eidem sententiæ Brunnerus *Annal. Boic. part. 1. lib. 5.* item Scriptor *Boicæ gentis; Annalium lib. 7. n. 17.* Ex nostris Benedictinis P. Ægidius Ranbeck Shyrensis in *Calendario Benedictino* ad diem 8. Septembris. P. Josephus Mezger in *Historia Salisburgensi lib. 3. cap. 5.* Joannes Mabillonius in *Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti, Sæculi III. part. 1. ad annum DCCXXX.* Item in *Annalibus Ordinis S. Benedicti Tom. II. lib. 19. n. 74.* aliique perquam multi : eaque sententia tantam sibi famam peperit, ut etiam Frisingensi *Breviario* insertam conspiciamus.

In hoc dissidio meritò ad Aribonem recurrimus, primum scilicet Divi Corbiniani biographum, & in sede Frisingensi proximum, post Erimbertum & Josephum, Successorem, qui, uti cæteris Scriptoribus omnibus propinquior S. Corbiniano vixit, ac Patriam, & reliqua illius acta plenius scire potuit, ita etiam fideliter retulisse omninò censendus est. Quàm enim turpem notam inuississet nomini suo, imò ipsi Dignitatis Episcopalis Majestati Aribo noster, si fabulas de S. Corbiniano retulisset eo maximè tempore, quo adhuc supererant innumeri, qui S. Corbiniano, primùm ante 30. aut 40. annos mortuo, potuerunt convivere, Ejusque Cunabula, & res sanctissimè gestas vivâ memoriâ retinere?

Hic igitur Aribo noster primo statim capite vitæ Divi Corbiniani hæc habet : Primò Corbinianum *ortum fuisse ex Regione Melitonensi.* Secundo *Natum in vico, qui dicitur Castrus.* Tertio. *Illum ad Beati Confessoris Christi Germani Ecclesiam in eodem Castro constructam se contulisse, atque juxta eam parvum sibi construxisse ergastulum.* Addit postea in sequentibus Aribo, Corbinianum à Gregorio Papa Romæ Dignitate Episcopali, additò insuper *Palliò* ornatum, *in Galiam reversum esse &c.*

Ex his Aribonis verbis sequentia opponimus primæ sententiæ superiùs relatæ. Natus est Corbinianus *in vico, qui dicitur Castrus.* Atqui prope Majas & Meraniam non reperitur *vicus* aliquis, *qui dicitur Castrus*; *Castrus* enim apud Aribonem manifestè est nomen proprium, uti vocabulum *vicus* est nomen solùm appellativum, ut vocant Grammatici : deinde quis unquam prope Majas & Meraniam, aut in Castro *Zenonberg* Ecclesiam *Beato Confessori Christi Germano* consecratam vidit, aut aliqua ejus rudera monstravit? Rursùm si Corbinianus,

nus, Pontificiâ Dignitate Romæ auctus, ab Aribone dicitur *reversus esse in Gallias*, utique prius venire debuit ex Galliis. Non enim reverti dicimur, nisi unde venimus. Vides Lector, quàm non commodè possint verba Aribonis torqueri in sententiam Athesinis faventem?

Cæterùm quantum repugnat Aribo iis, qui D. Corbinianum in Athesina Provincia Natales sortitum fuisse existimant, tantum favet cæteris, qui ejus Cunas in Gallia quærunt. Est in Gallia, & quidem ejus parte ac Regione Melitonensi seu Melodunensi (de Melun) vicus, seu oppidum, *Castris, Castras, Chatres* apud Mabillonium locis supra allegatis appellatum, in Zeileri verò *Topographia Gallie* Chastrea dictum, quarto milliari à Lutecia Parisiorum, in via Aurelianensi ad Amnem Orgiam (l'Orge) situm, uti laudatus Mabillonius asserit. Est insuper, eodem teste, prope muros illius hodierni oppidi Ecclesia S. Germano Episcopo sacra, hodie Parœcialis, dependens à Monasterio nostro Benedictino Sancti Germani Parisiensis, uti altera ipsius oppidi intramurana Sancti Clementis Parœcialis Ecclesia pendet à Monasterio nostro Fossatensi.

Præterea in illa S. Germani Ecclesia jam ab antiquis temporibus festum Civis sui S. Corbiniani quot annis Dominicâ post festum Nativitatis B. V. proximâ Castrenses propriò officio concelebrant, dum in Athesina Provincia nulla illius Sancti in Divino officio fit memoria, quod ipsi, sæpius ad eum locum delati, experientiâ didicimus. Imò cum adhuc Divi Corbiniani Sacra Lipsana Majis olim asservarentur, neglecto illius cultui indoluit Aribo, ut constat ex iis illius verbis, ubi de reductione Sacrarum ipsius Exuviarum cap. 39. scribit hunc in modum: *Capi ego Heres (Aribo) licet indignus ipsius Frisingensis Sedis Episcopus cogitare, quid de tanti Patri corpore agere debuisssem, qui sine honore debito, et absque Sancto illic jacebat officio, & exinde debitum ei honor deferri nequiverat &c.* Quæ cum ita sint, nemo, credo, deinceps suspicabitur ex Aribonis mente Sanctum Corbinianum Athesinis esse adscribendum.

Huc serviunt & alia quædam momenta, quæ in ipsis *Corbiniani*, & Fratris Erimberti nominibus latere conspicimus, & Gallicum aliquid arguere sentimus. In Gallia reperitur antiquum Palatium, quod dicitur *Corbinianum*, ut videre est apud Mabillonium nostrum in celebratissimo illo de *Re Diplomatica* Opere lib. IV. pag. 277. item in Annalium Ord. S. Benedicti tom. II. pag. 621. Rursus in Gallia apud Æduos extat

Monasterium nostri Ordinis *Corbinianum* nomine, de quo agit idem Mabillonius tom. II. *Annal. Ord. S. Benedicti pag. 202.* & rursus *pag. 335.* Tacemus nomina Monasteriorum nostrorum *Corbejensis* : item *Corbionensis* apud Gallos celebra, & cum *Corbiniani* vocabulo quiddam commune habentia. In *Athesina* Provincia nil simile, Lector, reperies.

Erimberti quoque Nomen in Gallia, ante Sancti *Corbiniani* Nativitatem fuisse celebre, res est comperta. Nam si de foliis nostri Ordinis hominibus, eo nomine in Gallia ante Sancti *Corbiniani* & *Erimberti* ætatem insignitis sermonem instituamus, duos celeberrimos *Erimbertos* in eo Regno reperimus. Primus est Sanctus *Erembertus* ex Monacho *Fontanellensi* anno Christi 658. factus Episcopus *Tolosanus*, uti scribit *Mabillonius Annalium Ord. nostri tom. 1. pag. 447. et 748.* & *Antonius Pagius* in sua *celeberrima Critica tom. III. ad annum Christi 671. num III.* Alter *Erimbertus* erat nutritus in Monasterio nostro *Corbejensi*, ex libera Fratrum suorum Monachorum electione deinceps factus loci Abbas circa annum Christi 681. ut rursus habet *Mabillonius noster eodem tom. Annal. pag. 502. & 565.* Taceo etiam quemdam *Erimbertum* *Vice-Dominum*, de quo agit idem celeberrimus Scriptor *tom. II. Annal. pag. 453.* Verùm hæc de nominibus *Corbiniani* & *Erimberti* fati. Interim ex hætenùs deductis manifestum relinquitur, *Conradum Frisingensem* *Sacristam* & *Canonicum*, uti etiam *Freibergerum*, *Aventinum*, atque *Hundium* nonnisi ex occasione nominum quorundam æquivocorum eò prolapsos, ut Sanctum *Corbinianum* sive *Tyrolensem*, sive *Athesinum* appellarent.

DISSERTATIO QUARTA PROLEGOMENA.

De Monachatu Sancti Corbiniani.

Princ. Eccle-
sæ Frisingen-
sis Monasti
Monachi.

Testes dome-
stici.



Uòd Sanctus *Corbinianus* in novam suam *Cathedralem Ecclesiam* *Benedictini* Instituti homines introduxerit, certius est, quàm ut ullà tergiversatione celari possit. Dudùm id testatus est *Magnus ille Otto Frisingensis Episcopus* in celebri suo *Chronico lib. 5. cap. 24.* iis verbis : *Montem Frisingensem (Corbinianus) accepit, ubi pri-*

mo

mò Ecclesiam, quæ usque hodie cernitur, in honore Beati Benedicti construxerat, ac Monachorum ibi Sacrum Convantum adunavit. Othonis effatum secutus est Conradus Sacrista, & Canonicus Frisingensis in libro Traditionum quarto, quem ^{fol. 1.} aliàs Magnum appellant: quorum vestigiis etiam institit Scriptor sexti Traditionum Frisingensium libri, quem aliàs *Rubrum* ^{fol. 1.} vocant. Item Joannes Freiburgerus itidem Frisingensis Canonicus in laudato illo opusculo, cui titulus est inditus: *Origo* ^{pluribus locis.} *Christianæ Religionis Ecclesiæ Frisingensis*. His ex extraneis ^{Extraneis.} subscribunt Franciscus Irenicus in sua Exegefi Germaniæ lib. XI. sub verbo *Frisingen*. Velsærus *Res. Boic. lib. IV.* Hundius in Metropoli. Gewoldus in *Additionibus* ad eandem Metropolim: & alii Scriptores sinceram veritatem amantes, ac de celandis Monachorum decoribus minùs solliciti. Verùm his ^{Telles Syn-chroni.} omnibus Testimoniis alià longè majora & vetustiora Cozrohus noster ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Presbyter & Monachus, Scriptoribus Bojariæ hæcenus penitus ignotus, in vetustissimo illo suo Traditionum Frisingensium libro, quem antiquum dicunt, nos verò *Primum* nuncupabimus, jussu Hittonis, sexti Episcopi Frisingensis diligentissimè conscripto, ac postea præcipiente Erchamberto Successore continuato supeditat: ubi inter alia quàm plurima eam in rem servientia *fol. 324.* legimus Traditionem, sive quod idem est, Donationem Wagonis cujusdam Capellani, quam more Sæculi sui, parùm attentis Grammaticæ legibus scripsit in hunc modum: *In nomine Domini nostri JESU Christi. Notum sit cunctis fidelibus, veracisque viris qualiter ego Wago Capellanus, cogitans pro redemptionem animæ meæ, ut aliquam indulgentiam delictorum meorum adipiscere merear, renovavi pristinam Traditionem, quam jam ante actam habui, ad domum S. Mariæ ad Frigisingas: nunc verò quidquid Genitores mei mihi in propriam hæreditatem reliquerunt, seu quicquid ego ipse Wago propriæ acquisitionis adgregavi, firmiter iterum tradidi, & renovavi in Altarem Beatæ Mariæ Virginis ad Frigisingas cum consensu Hittoni Episcopi, qui ipso die Pastor & Rector dominicarum ovium ipsius domui præesse dinoscebatur. Eo modo cum concordia & confirmatione ipsa mea traditio peracta est firmiter & inviolabiliter, ut ipsas res meas habeant Monachi ad utilitatibus eorum, qui in ipso Domo (in dem Domb) Regulæ S. Benedicti professi sunt, & qui ipsam observare nituntur &c.* ita Wago: qui in eodem Donationis instrumento paulò post rursùs agit de Monachis, qui in ipso domo professi sunt Regulam

S. Benedicti &c. facta est autem ea donatio *in ipso domo Beata Maria ad Frisinga &c.*

Simillima habet Machtbertus Vir Nobilis, in donatione Ecclesiae Frisingensis Beatæ Mariæ Virginis sub Erchamberto Episcopo, ubi inter cætera sic constituit: *post obitum verò ipsius (fratris mei) ad domum S. Mariæ confirmatum permanent (quod scilicet legaverat) ad Frisingas ipsis Monachis, qui ibidem Regulam S. Benedicti observare nituntur &c.* Ipse Hitto, laudatissimus ille Frisingensis Episcopus, ordine sextus, cùm anno Christi DCCCXXV. prid. Kal. Maij egregiam donationem Ecclesiae suæ Frisingensi fecisset, apertè testatus est, velle se, ut bona illa à se donata *possideant Monachi, ut memoria, inquit, mea multis temporibus in domo S. Mariæ et S. Benedicti Confessoris permaneat*: uti disertè fatentur plures Traditionum Frisingensium pretiosissimi Codices, & suis locis ampliùs demonstrabimus. Unde nihil mirandum, si in antiquissimis Instrumentis Donationum familiæ Frisingensi factarum occurrant vocabula: *Monasterium S. Corbiniani: Canobium: Claustrum*: item: *plurima turma Servorum Dei*: quo nomine apud antiquos intelligi *Monachos*, nōrunt Eruditi, & Mabillonius frequenter demonstrat. Atque ne ulla dubitandi ratio sit reliqua, in aliis instrumentis dicitur, ac repetitur: *plurima Norma Monachorum ad canendas Christi laudes adunata*, nempe in Domo S. Mariæ Frisingæ. Denique quid est, quod in quodam instrumento sub Josepho Episcopo occurrat mentio de illo indumento Monastico pedum, quos *pedules* vocamus, & de quo agit S. P. Benedictus Regulæ suæ Capite LV? item de *Cappa Monachica*? Posset etiam Monachatus Frisingensium egregiè probari ex artissima Societate eorundem Frisingensium nostrorum cum Monachis Benedictinis Scarantiensibus, Schlechdorffensibus, ac Schlierseensibus. Item cum Monachis Augiæ Divitis, de quibus Mabillonius *tom. IV. Veter. Analect. pag. 645.* agit, & hæc ex eorum Necrologio verba excipit: *Nomina fratrum de Frisingun Erchambertus Episcopus. Herolf Chorepiscopus. Atto Episcopus. Sigihant Chorepiscopus.* Sic etiam in antiquissimo Salisburgensiu nostrorum Codice manu Coæva scripto inter Episcopos vivos, cum Monasterio S. Petri Societatem habentes pag. 10. legitur *Atto Episcopus, & Congregatio ipsius &c.* & alio loco, manu itidem Synchrona: *Hitto Episcopus.* In quo eodem Codice pag. 20. inter Episcopos mortuos annotantur *Gurbinianus Episcopus. Ermpertus Episcopus. Joseph Episcopus. Arpio Episcopus*: quos omnes fuisse Frifin-

Frisingenses primos sex Episcopos extra dubium est, veluti in Historiæ decursu ad oculos patebit. Mabillonius in laudatis Analectis pag. 454. exhibet Ritus quosdam Frisingensium, ante annos nongentos conscriptos, qui toti Regulam S. Benedicti sapiunt, & pluries de *Domo S. Benedicti* mentionem faciunt: uti videbimus in Parte nostra altera seu Diplomatica hujus operis, in quam scriptum illud antiquissimum rejicimus, & sub *Numero 2.* reponimus.

Verùm opponet hic fortassis nonnemo, occurrere quidem ^{Objecta.} aliquoties in Frisingensibus Membranis mentionem Monachorum: interea tamen longè frequentius, imò frequentissimè occurrere mentionem *Presbyterorum, Diaconorum, Clericorum.* Ergò hos, non illos fuisse primos Frisingensis Ecclesiæ Ministros.

Verùm erras largè, quisquis ista objicis Lector; quis est ^{Concessio.} enim, qui negare aut velit aut possit, Monachos sacris potissimum Ordinibus initiatos esse *Clericos, Diaconos, Presbyteros?* & amabò! nunquid alià formulâ aut ritu Monachus in Diaconum aut Presbyterum ab Episcopo inauguratur, aliòque charactere insignitur ac alii, qui fortè heri, aut hodie primum vestes profanas exuerunt, nigrâque assumpserunt? Quòd si igitur quàm sæpissimè occurrat nomen Presbyteri, aut Diaconi, Monachi nomine non adjecto, non idcirco inferas, talem Presbyterum aut Diaconum non fuisse Monachum. Nam (quod Lectori benè inculcatum cupio) antiquis illis temporibus hæc usitata erant: primò Monachi titulus non adjiciebatur Sanctis Episcopis, & sæpè etiam Presbyteris & Diaconis licèt Monachis, sed ii solo ordinis majoris, nempe Presbyteri & Diaconi nomine designabantur, dicendo v. g. *Beda Presbyter, Paulus Diaconus, Joannes Diaconus*, qui tamen erant certissimè Monachi, & quidem absque dubio Benedictini. Secundò Monachi Presbyteri aut Diaconi instrumentis subscribentes, Monachi titulum sæpenumero omittebant, uti eruditissimè probat Mabillonius *tom. 1. anal. Ord. S. Benedicti.* Locis in Indice generali sub vocabulo *Monachi* allegatis: idèmq; ad evidentiam demonstrari potest exemplò Cozrohi nostri, qui dum v. g. viginti instrumentis nomen suum subscripsit, Monachi tamen titulum fortè in unico duntaxat expressit, aliquando etiam Diaconi, ac postea Presbyteri nomen omisit, sed peccatorem duntaxat sese appellavit. Idem observavit Tagibertus Frisingensis Monachus ac Notarius, ac plures alii, veluti in Instrumentis ab iis subscriptis observa-

servabimus : eaque de re sæpiùs redibit mentio. Vides igitur Lector, quàm tu malè inferas dicendo : *in Ecclesia Frisingensierant Presbyteri, Diaconi, Clerici : Ergò ibi non erant Monachi.* Quasi verò inferre liceret : *Monachii reperimuntur Presbyteri : Ergò Monachii non reperimuntur Boji.*

Verùm utut ista, quæ hæcenus disputavimus, animum benè dispositum planè convincant, Frisingensem Cathedralè Ecclesiàm à primæva sui institutione habuisse Ministros Monachos, illud tamen nondum fortassis confecisse videbimur, Ipsum Sanctum Corbinianum fuisse aliquando Benedictinum : quod proinde ulteriùs probandum restat.

An etiam ipse
S. Corbinianus
fuerit Benedi-
ctinus ?

In ea quæstione rursus præprimis ad Aribonem Vitæ Divi Corbiniani primum Scriptorem recurendum est. Et Aribo quidem, ut candidè fateamur, nullibi expressam mentionem facit, neque conceptis verbis asserit, Sanctum Corbinianum vixisse sub Divi Benedicti Regula. Interea tamen ex ipso Aribone abundè demonstrari potest, Virum illum Sanctissimum, nempe Sanctum Corbinianum, Regulæ S. Benedicti quasi à puero sese consecrassè. Scribit enim Aribo, Corbinianum unicè exoptasse *sub Sanctæ Conversationis Regula vitam ducere.* Quænam autem erat (Corbiniani ætate) apud Gallos, Francos, Germanos, Alemannos, & Noricos *Sanctæ Conversationis Regula*, nisi Regula Sancti Benedicti ? quænam alia *Regula* tam discretè, tam luculenter, tam expressis, ac, ut Scholastici vocant, *formalibus* vocabulis agit de Sanctæ *Conversationis initio, processu, ac perfectione*, nisi Regula S. Benedicti, cujus vel solum Prologum & Epilogum, seu ultimum caput Lector expendat. Ibi sic loquitur Monachorum Pater :

cap. 4. *Regulam hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis aliquatenus vel honestatem morum, aut initium NB. Conversationis nos demonstremus habere.* Item : *Processu NB. Conversationis . . . inenarrabili dulcedine curritur via Mandatorum Dei.* Rursus : *ad Perfectionem NB. Conversationis qui festinat, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis &c.* Qui idem Beatissimus Pater capite primo Sanctæ Regulæ deplorans vitam *Sarabaitarum*, ac Gyrovagum ait : *de quorum omnium miserrima Conversatione melius est silere, quàm loqui.*

cap. 1. §. 5. *Quam igitur Lector assignabis Regulam, quæ de Sancta Conversatione distinctiùs agat ?*

Deinde Aribo dum Corbiniani adhuc juvenis mores, atque virtutes describit, plerùmque phrasibus ac præceptis Regulæ S. Be-

S. Be-

S. Benedicti utitur. Quid enim aliud sapiunt illa Aribonis *cap. 1.* verba, quam Institutum, & aliquoties ipsissima vocabula S. Regulæ, dum scriptor ille sic profatur. *Qui* (Corbinianus) *dum bonæ indolis puer excrevisset, Divina inspiratione compunctus Sacræ Religionis Officium viriliter diligebat.* Quæ illa *Sacræ Religio* tempore S. Corbiniani, & quodnam illius *officium*? pergit Aribo. *Cæpitque Psalmidiam diligere, jejunium amare, vigiliis & orationibus insistere, pauperes, quantum potuit, recreare, hospitalitatem sectari, & in boni Operis cultu studiosè persisterè.* Quæ quid sunt, nisi ipsa Benedictinæ Regulæ instituta & verba, tum alibi, tum maximè *cap. 4. & 53.* expressa? Subjungit Aribo: *ad Beati Confessoris Christi Germani Ecclesiam . . . parvum sibi construxit ergastulum*: & in sequentibus clariùs rem expositurus Aribo ergastulum illud vocat *Cellulam*, ac postea *Cellam*. Quo nomine unà cum Sapientissimo Velfero eruditi omnes intelligunt *Monasterium*, & idem disertè asseritur in *Proprio*, ut vocant, Breviarii Frisingensis. Et quis Bojorum nescit, Cellam Dominae nostræ, Cellam Principum, Cellam Dei, Cellam Dietrami, item Neocellam esse inclyta atque hodiedum florentia Sanctorum Benedicti, Augustini, Bernardi atque Norberti *Monasteria*? Rursus fusè narrat Aribo, quam rigidè nocturno tempore sapiùs servaverit silentium. Ubi hoc, nisi in S. Benedicti Regula cautum Sæculo VII. & VIII. reperies Lector? *Frater Ansericus*, qui, Aribone teste, *Cellario præerat*, quid nisi Monachum ex præcepto Regulæ Benedictinæ *cap. 31.* officio illi præpositum arguit? Certè eadem S. Benedicti Regula, à Divo Mauro nostro dudum ante S. Corbinianum in Galliam allata, tam profundas ibi Sæculò sextò & septimò sensim radices egerat, ut Regulæ aliæ omnes, cæteraque instituta Monastica in defuetudinem ac penè oblivionem sensim abierint, uti eruditissimè probat Hæfftenus noster *Disquisit. Monastic. lib. 2. disquisit. 2.* quod sanè conforme erat Decreto S. Gregorii nostri Magni, qui in approbatione ejusdem S. Regulæ disertis verbis præcepit, ut, *ubicunque latine literæ legentur, eam observarent, quicumque ad Conversionis gratiam accessuri essent.* Profectò sola S. Benedicti Regula tum audiebat in Conciliis Augustodunensi anno DCLXX. uti postea in Liptinensi anno DCCLIII. in Suesionensi DCCLIV. Vernensi DCCLV. & aliis quibusdam sequentibus, uti egregiè demonstrat eruditissimus Mabillonius in præfatione Sæculi primi Benedictini Num. LXV. qui consuli potest.

Deinde, amabò, quid est, quòd Aribò acta S. Corbiniani *cap. 8.* disertè illustret actis Sanctorum Benedicti & Scholasticæ, ut suo loco iterum monebimus? Demùm si alterius cujuspiam Legislatoris Regulam secutus est Sanctus Corbinianus, cur non illi, sed Sancto Benedicto Frisingæ prope Cathedralè Basilicam, excitavit Ecclesiam illam, in cujus ara primaria hæc visitur inscriptio:

Altare

Cum Ecclesia hac à primis Episcopatus temporibus Sancto Patriarchæ Benedicto Sacrum: In qua ipsa Ecclesia, dum hæc scribimus, Divina officia à Reverendissimo & Illustrissimo Cathedrali Collegio, cæterisque ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Ministris quotidie peraguntur, dum ipsa Cathedralis Ecclesia magnis Sumptibus à Celsissimo ac Reverendissimo Principe & Episcopo JOANNE FRANCISCO cœu sponsa Millenaria splendidissimè exornatur? Cur nullum alterius Sancti Legislatoris vestigium aut imaginem Corbinianus reliquit? Verùm quid moramur? appellamus ad testes optimos, incorruptos, Benedictinis legibus minimè adstrictos, nempe Domesticos hujus Palatii Episcoporum Frisingensium Catalogos, qui quamvis in aliis quibusdam Rerum Frisingensium actis passim non conveniant, in hoc tamen unanimi suffragio conspirant, nempe Sanctum Corbinianum Frisingæ vixisse *sub Regula S. Benedicti*. Extant in hoc Episcopali tabulario *Chronica* sex diversæ, diversorum Antistitum Frisingensium jussu conscriptæ, quæ Catalogos illos Episcoporum exhibent. *Chronica prima* (utimur enim vocabulo, quod Codici exterius adscriptum reperimus) idiomate Germanico exarata *fol. 3. b.* sic habet: *Corbinianus in illo loco* (Tetmons, hodie Weihenstephan) *capit edificare oratorium seu Capellam, quam in honorem S. Stephani Protomartyris dedicavit, ubi cum duodecim fratribus sub Regula S. Benedicti religiosissimè vixit.* Eadem planè repetuntur in *Chronica secunda fol. 3. b.* ubi postea *fol. 4. a.* additur, Sanctum Corbinianum fratres suos traduxisse in Montem Frisingensem, Monasterium ibi edificasse, ac cum suis discipulis religiosè & sanctè vixisse. *Chronica tertia fol. 5. a.* de eodem S. Corbiniano hæc suggerit: *tunc secum accepit fratres ex Monte Weihenstephan ad Montem Cathedralè Frisingam, et ibi cum fratribus secundum Regulam S. Benedicti Monasticè, religiosè, & sanctè vixit.* *Quarta Chronica* MS. est Joannis Freibergeri, Frisingensis Canonici, in qua is equidem non meminit Regulæ S. Benedicti. Verùm, ut ex pleniori ipsius

Opere,

Cumulo
testimonia.

Actis cap. 32.

Opere, Landshuti anno Christi 1520. 4. Maij impressio abunde constat, Freibergerus S. Corbinianum Benedictino Instituto luculentissimè adnumerat, dum sic de Eo scribit: *sub Regula S. Benedicti religiosissimè vixit.* Et ubi agit de morte Sancti Corbiniani, sic pergit: *inque ad finem vita sub Regula S. Benedicti & vixit permansit.* Idem Freibergerus Monasterii Frisingensis sæpiùs meminit. *Quinta Chronica* fol. 2. a. hæc exhibet de S. Corbiniano: *Vir Dei ædificat templum in honorem S. Benedicti, & Monasterium, ubi Ipse & Conventus in servitio Dei religiosam vitam vivebat.* Quintæ huic *Chronicæ* in eadem Compactura reperio adjunctum alium Episcoporum Frisingensium Catalogum, quem nobis *Sextum Chronicon* appellare licebit. Ibi primo statim folio video repeti verba Othonis, jam superiùs allata, quæ Codice illo confirmantur. His sex Catalogis egregiè respondet Scriptum quoddam, ab Illustrissima quadam Manu in nostros usus concessum, cui Titulus: *Series Episcoporum Frisingensium*, ubi de Sancto Corbiniano hæc legimus: *ædificavit in Monte, ubi nunc Cathedralis Ecclesia erecta est, S. Benedicto Ecclesiam, & cum Consensu Grimoaldi Clero sibi subdito Monasterium construxit, ac professus est Regulam S. Benedicti.* Hinc, bone Lector, non miraberis, quòd antiquus quidam Monasterii Benedictoburani Codex, Chronico loci colligatus, & ex Monumentis S. Ægidii Norimbergæ olim exscriptus, ubi de Viris Illustribus Ordinis nostri agit, de S. Corbiniano inter Episcopos hæc verba ponat: *S. Corbinianus, primus Abbas & Episcopus Frisingensis.* Et infra inter Abbates. *S. Corbinianus Abbas Frisingensis.* In Codice quoque Tegernseensi, cui titulus (*Catalogus Papatum &c. &c.*) ubi inter alia agitur de *Monachis S. Benedicti, qui Legati seu Apostolici Nuntii atque Prædicatores propter Conversionem infidelium, seu aliquam aliam Ecclesiæ utilitatem à Deo vel Summis Pontificibus ad exterarum nationes missi sunt*, recensetur *Corbinianus Monachus . . . Episcopus Frisingensis.* Denique ne neficias, quàm inveterata sit in hac Aula opinio de Monachatu Benedictino S. Corbiniani, in porticu Magnifica, quæ eandem Aulam Cathedrali Ecclesiæ jungit, imagini ejusdem S. Corbiniani adscripta visuntur hæc ipsa verba: *Sanctus Corbinianus . . . Ecclesiam S. Benedicti erigit, adjuncto fratribus suis, cum quibus Regulam S. Benedicti profitebatur, Monasterio, ubi continuas Deo Laudes decantarent.* Simillima occurrunt in Calendariis Frisingensibus, anno Christi 1708. & 1709. impressis, quibus nemo ho-

R. P. Caroli Meichelbeck Dissert. in *Elyst. Frising.* d 2 minum

minum Benedictinorum manum apposuit. Verùm ista satis in præfens, ne patientiâ Lectoris abutamur. Oportebat tamen ista adducere, ne seigniores videremur in Rebus Majorum nostrorum illustrandis, quàm aliquando alii Scriptores sunt sollicitiores in iis accuratè obscurandis atque obliterandis: in quorum censum quemdam non ignobilem Bojariæ Scriptorem reponimus, qui librum sextum Traditionum Frisingensium, aliàs *Rubrum* à Compactura dictum, ejusque folia alicubi accuratè adduxit, & multam de Benedictinis Monachis Frisingensibus, atque ædificata à S. Corbiniano Divi Benedicti Ecclesia atque Monasterio mentionem, & quidem primo statim folio reperit, verùm eam rem totam silentiò pressit: cujus silentii Crisim Lectori committimus. Objectiuncularum aliquarum scrupulos dissipabimus tum in vita Sancti Corbiniani, ad mentem Aribonis à nobis conscribenda: tum etiam in reliquo Historiæ decursu, ubi etiam cætera, quæ hætenus utcunque differuimus, ampliùs illustrabimus.

DISSERTATIO PROLEGO- MENA QUINTA.

*De Tempore, quo S. Corbinianus Episcopus sedem Frisingæ
figere cæpit: ubi etiam de Conspectu Superioris Bo-
jariæ, tempore adventûs S. Corbiniani.*

Aribo, Vita S.
Corbiniani
primus Scri-
ptor.



N. 1.

Uti alium Ducem in statuendo Divi Corbiniani ad Frisingenses adventu, atque Episcopatu erecto sequuntur, quàm cum, quem præprimis expendere & sequi deberent, Aribonem scilicet, Divi Corbiniani tertium in sede Frisingensi Successorem, atque vel idèò omni fide dignissimum, rerùmque gestarum scientissimum, in diversas prorsus sententias atque errores abeunt: quibus convellendis minimè immorandum censemus. Sanè ex Aribonis scriptione, quam in parte altera Diplomatica integram recensèbimus, Corbiniano statuenda sunt tempora, quæ Pippino Heristallo Majori Domûs Galliæ: Gregorio II. Pontifici, & Grimoaldo Bojariæ Duci respondeant, & annos Ducis Hugiberti non excedant: cum his enim, Aribone teste, convixit Corbinianus. Nam tempore Pippini Pro-Regis seu Majoris Domûs, qui ob-
gestam

gestam potestatem Regiam etiam aliquando Rex appellabatur, Corbinianus à multis frequentatus, imò ab ipso quoque hoc Pippino, ut pro se oraret, per unum aliquem ex charissimis Optimatibus, antequam primum Romanum iter institueret, interpellatus fuit, id enim Aribo *cap. 4.* affirmat. A Gregorio Pontifice synchrono, nempe ejus nominis secundo, in Episcopum inauguratus, ac Pallio, summo Magisterii Christiani ornamento, donatus est. Sic Aribo *cap. 6.* Quæ Corbinianum inter & Grimoaldum Ducem intercessere gravissima negotia, nemo ignorat, & Aribo *cap. 10. 18. 19. & seqq.* docet.

Hugibertus Dux Corbiniano facultatem concessit, ut Majus humari posset: uti Aribo *cap. 29.* scripsit. Quis igitur Eruditorum non intelligit, intra horum synchronorum, atque Nominatissimorum Virorum tempora concludi debere S. Corbiniani vitam? Hæc cum non satis expendisset Otho Frisingensis, Scriptor aliàs celeberrimus, in Metachronismum palpabilem incidit, dum S. Corbinianum usque ad Pippinum Regem, imò etiam ad Tassilonem, & quod prorsus admiratione dignum est, etiam ad Tassilonis filium Theodonem, adeoque usque ad annum Christi 770. & ultra extulit. Quod quàm non respondeat veriori rerum gestarum successui, quis non agnoscit, cum in hanc usque diem in Frisingensi amplissimo tabulario supersint coæva instrumenta, ex quibus luce meridiana clariùs apparet, ne quidem Erimbertum aut Josephum, Sancti Corbiniani immediatos in Episcopatu Successores, usque ad annum Christi 770. provixisse: id quod suis locis luculentissimè demonstrabimus. Scio, miratos sæpè fuisse Viros eruditos, qui fieri potuerit, ut Otho, in exteris Historiis egregiè versatus, circa Divi Corbiniani tamen ætatem, rerumque gestarum seriem tantoperè cæspitaverit? quibus respondendum censemus, potuisse Othonem faciliè in errorem labi ex Pippini nomine; quippe sub quo is non Pippinum Heristallum (qui aliquando Rex dicebatur) sed Illius ex filio Carolo Martello Nepotem, post annum Christi 750. in Regem inunctum, intellexerit, eoque pacto Corbinianum etiam Tassilonis Synchronum asseruerit. Certè Othonem nonnisi summam ac Cursum in suo Chronico de S. Corbiniano egisse, dudum ante nos Baronius atque Spondanus animadvertere. Quæ omnia monere visum est, ut appareat, quàm primum fuerit errare quibusdam Scriptoribus atque Lectoribus posterioribus, qui Othonem sibi in ea Historia sequendum esse censuerunt.

Ordinationem seu inaugurationem Episcopalem Corbiniani

Consecratio
S. Corbiniani.

niani Baronius, Spondanus, & Pagius ad annum Christi 716. referunt, & Gregorio II. Pontifici Maximo unà cum Aribone attribuunt. Non desunt tamen, qui malint eam Consecrationem adscribere Constantino Papæ, Gregorii Decessori, ea ratione ducti, quòd Aribo asserat, Corbinianum, jam ordinatum Episcopum, in Gallia cum Pippino Majore Domùs, qui anno Christi 714. defuncto adhuc convixisse, quo tempore Gregorius II. nondum Solium Petri conscenderit. Quo in genere illud certum esse omnibus debet, Aribonem attenta temporum & eventuum vera Coordinatione & Comparatione aut in Gregorio, aut in Pippino fuisse hallucinatum. Sanè an in Gregorio, an verò in Pippino error faciliùs irrepere Ariboni potuerit, acutè dijudicat Antonius Pagius in sæpè laudata Critica sua ad annum Christi 716. ubi cum eruditissimo Cointio optimè existimat, longè vero similius esse, Aribonem falli in iis, quæ post primam Corbiniani Romanam profectio- nem de Pippino narrat, quàm in iis, quæ de Gregorio II. Pontifice Maximo priùs narraverat. Vix enim Quartus Episcopus Frisingensis (nempe ipse Aribo) ignorare potuit nomen Pontificis Romani, qui ante annos non admodum multos Primum Episcopum Frisingensem consecraverat. Facile autem ignorare, aut minùs accuratè examinare potuit, quo anno Pippinus Heristallus obierit, & Carolus Martellus filius eidem ceu Gallix Pro-Rex successerit. Ita ferè doctissimus Pagius, & benè. Faciliùs enim ad stellas, quàm ad Solem caligamus.

ab Antonio
Pagio ad ve-
rum annum
figur.

Corbinianus
nondum Epi-
scopus Frising.

Interea utut satis certum teneamus annum, quo Corbinianus Characterè Episcopali initiatus fuerit, non idcirco tamen statim inferet prudens Lector, cum jam ex illo tempore Frisingensis Cathedræ fundamenta jecisse. Aribo id satis indicat, dum de Corbiniano *cap. 6.* hæc scribit: *Coactus ergò Sa- cerdotalem suscepit Benedictionem, acceptoque Pallio cum Benedictione & adjutorio B. Petri Apostoli, ut ubique prædicationis officium exercere ubicunque in toto Orbe posset, ex tanti Patriæ (Pontificis) Concessu potestatem habuisset;* more nempe illius Sæculi, quo multi viri scientia ac virtute præstantes Episcopali Characterè insigniti, & ad Gentium conversionem missi, & tamen non idcirco certæ statim Ecclesiæ fuère affixi; qui eapropter nonnisi *Regionarii*, aut etiam *Portatiles* Episcopi à Scriptoribus antiquis appellantur. Ac talis eo quidem tempore erat Corbinianus noster, qui, Aribone teste, ex eo tempore *continuis septem annis* in Gallia permanfit; nec tantùm

tantum Monachis & Clericis, verum etiam Virginibus atque Viduis quæ verbo, quæ opere Christianæ justitiæ atque Virtutis semitam monstravit, ut Aribo scribit.

Hic attende Lector! septem annos continuos post susceptum Episcopi Munus in Gallia Corbinianus exegit, quo ipso tempore, si Calculum ab anno 716. duxeris, annum Christi septingentesimum vicesimum quartum imminuisse fateberis. Eo igitur anno post ingentes, & studiò quæsitæ itineris ambages rursus Romam delatus Corbinianus, absolvente ab Episcopali onere frustra desiderans, re infecta abire, postea Frisingam venire, & Cathedram ibi erigere à Grimoaldo Duce compulsus est, ut suo loco ex Aribone plenius recensebimus. Itaque sincerum erectæ Frisingensis Cathedræ annum tenemus absque ulla provehendæ antiquitatis libidine. Adstipulatur nobis Historiæ Ecclesiasticæ Princeps Baronius: item Spondanus, & accuratissimus Pagius ad annum Christi 724. Suffragantur etiam acta Conciliorum Editionis Harduinianæ, ubi in Indice Tomi III. ad eum annum allegatur *Concilium Romanum, in quo S. Corbinianus dimissionem ab Episcopatu petens à Pontifice, non obtinuit.* Ita ibi. Quibus omnibus eruditissimis testibus liceat accensere Guilielmum Cave in *Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi referens Concilia Sæculo Christi VIII. celebrata sic habet: *Concilium Romanum III. anno DCCXXIV. in causa Corbiniani Frisingensis Episcopi habitum.* Ubi vides, Lector, quanta firmitate vera initia Frisingensis Episcopatus ad eum annum figantur? itaque hic ipse est annus, quo Corbinianus Officium Episcopi apud Frisingam in ipsum statim Ducem Grimoaldum exercere cœpit, ut suo loco referemus.

Non alia Norici aut Vindeliciæ pars eo tempore proprio Episcopo magis indigebat, quàm ea, quæ hodie est Bojaria Superior. Laureacenses usque ad initium octavi Sæculi Christiani jam plures Archiepiscopos & Episcopos numeraverant, & hoc quidem tempore, nempe anno Christi 724. Vivilo sacra iis jura Patavii administrabat, veluti habetur apud P. Hieron. Pezium Tom. 1. *Scriptor. Rer. Austriac. in Chronico Laureacensium & Bataviensium Archiepiscoporum & Episcoporum Column. 6. & 15.*

His accedit Catalogus Pataviensium Pontificum apud Hundium, & conveniunt etiam alii Scriptores. Salisburgensibus quoque post Rupertum & Vitalem eo tempore Flobargifus præerat Episcopus, idemque S. Petri Abbas, uti constat ex P. Mezgeri nostri Historia Salisburgensi, Dükero & aliis.

Sabio-

Tempus ad an-
num Christi
724.

Fideli etiam
potest servari.
Sunt in Episcopi
Concilium
p. 2. 133.

Superior Bo-
jaria indige-
bat Episcopo.

Sabionam quoque jam dudum rexerant multi Sacri Antistites; & hoc tempore Mastulo loco ac populo vicino præerat, uti rursùs ex Hundio discimus. Quis Augustanæ Sedi dudum erectæ tum præfuerit, num Bricho an Zayso, incertum relinquit noster P. Corbinianus Khamm in sua *1. parte Hierarchie Augustanæ*. Illud eensemus vero quàm simillimum, non vacasse sedem illam, quo tempore Corbinianus Frisingam novus ac primus Pontifex accessit. Vix certiora de Episcopis Ratisbonensibus, quàm de Augustanis ejus temporis haurire licet ex *Mausoleo* S. Emmerammi aliàs jam laudato, nisi fortè illud apprehendere libuerit, quod Cap. 26. refert Reverendissimus Mausolæi Scriptor, scilicet Landrado, Monasterii S. Emmerammi tunc Abbati, post 25. annorum gestum Regimen anno 735. defuncto, convixisse Ratharium Episcopum. Ita in omnibus vicinis urbibus, quæ quidem tum in Bojaria extiterunt, reperiebantur Sacri Doctores atque Antistites. Sola Frisinga, Ducum Superioris Bojariæ eo tempore Regia Sacrorum Præsidem desiderabat, idque eò etiam vehementiùs, quò certius in iis partibus deerant alia rei Christianæ subsidia, puta Monasteria, Scholæ, atque alia id genus virtutis & doctrinæ seminaria. Monasteria Benedictoburanum, Tegenfeense, & Schlehdorffense non extabant: de Wessofontano, Pollingano ac Schefftlariensi nemo adhuc cogitabat, ut de aliis posterorum sæculorum quàm pluribus Monasteriis Superioris Bojariæ taceamus. Sed quid tunc Monachium erat, Urbs illa hodie tam splendida, totiùsque Bojariæ Magnificum Caput, nisi villa quadam, prope quam primum post medium Sæculum duodecimum, adeoque quingentis & ampliùs ab adventu Corbiniani annis jacta fuere prima tanti moliminis fundamenta? Landishuti quoque, inter inferioris Bojariæ oppida hodie præcipui atque elegantissimi nomen erat penitus incognitum, quippe cujus primordia & Natales à Boicarum Rerum Scriptoribus usque ad initium Sæculi decimi tertii deprimuntur.

Deinde si Corbiniani tempore juxta Othonis Frisingensis testimonium, Mons ipse Frisingensis *Sylvia circumseptus quasi venatorum specula* fuit: & si ipsius Othonis Episcopi tempore *manserunt adhuc sylvarum in plano inter arundineta vestigia*: quàm silvestrem existimamus fuisse reliquam Regionem, eam inaximè, quæ versùs Alpes in Meridiem vastissimis spatiis protenditur? Neque verò facilè quis persuaserit, in terris adeò incultis, atque à Sacris Operariis tam procul distantibus habi-

habitasse animos Cultissimos : ut adeò Magni Coloni operam & sudores universa Superior Bojaria dudùm postulaverit, quem denique anno Christi 724. miserente Numine in Divo Corbiniano accepit, ad eam, quam hodie meritò miramur & stupefactus, culturam, nitorem, ac Majestatem temporum successu redigenda.

DISSERTATIO SEXTA PROLEGOMENA.

De Occasione, & adjunctis hujus Operis.



Xhibuimus hætenùs breviter Conspectum Superioris Bojariæ, qualis erat, antequam Optimo Numini placuit mittere Corbinianum, fidelem nempe ac Magnum illum Operarium, qui aliam faciem animis ac terris nostris inducere inciperet. Momentum illud, quod Cælestis Pater dudùm posuerat (ut cum scriptura loquamur) demùm, ut diximus, occurrit anno à Nato Redemptore Septingentesimo vicesimo quarto, Gregorio II. Summo Pontifice : Orienti fœdè imperantibus Leone Isauro, & Constantino Copronymo : Francorum verò Rege Theoderico, Dagoberti III. filio, Pro-Rege Carolo Martello : Bojariæ Superioris Duce Grimoaldo, uti apud Historicos passim videre est.

Post decursa deinceps ab erecta Frisingensi Ecclesia decem penè sæculorum longissima spatia non defuere magna quædam atque verè illustria ingenia, quæ Celsissimo ac Reverendissimo S. R. I. Principi & Episcopo Frisingensi JOANNI FRANCISCO identidem modestè suggererent, præ foribus esse complementum Sæculi decimi, adeoque millesimum annum Episcopatus Frisingensis, in infinitarum propemodùm animarum salutem conditi. Deliberandum itaque esse, quo potissimum pacto tantæ rei grata memoria apud Seros posteros suscitaretur, atque cum primis Deo ter optimo Maximo veluti unico fonti omnium boni ob servatum post tantam temporum intercapedinem Episcopatum festiva atque publica gratiarum actio decerneretur, ac Magni denique Corbiniani, aliorumque Successorum Episcoporum : nec non Benefactorum gloriosa de hac sede ac gente merita Orbi innotescerent.

His aliud gravissimum momentum accedebat, quòd scilicet ipsissimus annus Christi septingentesimus vicesimus quar-

tus, futurus esset quinquagesimus Sacerdotii ab eodem Celsissimo Principe suscepti, atque vel eo solo nomine Res jubileum publicum, & quidem tanta sede, tantoque Præsule ac Principe dignum omninò postularet, ne illustria aliorum per hæc tempora exempla sive negligi, sive parvipendi existimarentur, sicque sanctæ consolationis atque communis congratulationis & applausus occasio fidelissimis, Pastoriq̃ suo adiectissimis Ovibus, imò etiam finitimis populis neitiquam subtraheretur.

Mirum est, quàm diu suspensum tenuerint ea Consilia ac Monita animum Clementissimi Piiissimique Principis, timentis unicè, ne prætenfæ Dei, Cœlitumque gloriæ sese misceret vanitas quædam: & quæ Numini equidem ac Divis hujus Cathedræ Patronis omninò deberentur gratiæ, fortassis inferis non penitens displicerent. Disceptabatur sanè usque ad Martium Mensẽ anni millesimi septingentesimi vicesimi secundi, cum demùm prævalentibus suorum optimis Consiliis victas manus Modestissimus Princeps dedit, deque iis, quæ in rem forent tum necessaria tum utilia, deliberari permisit.

Judicârunt igitur, qui totius Consilii erant Optimi Architecti, cogitandum (inter alia) præprimis esse, ut Res præcipuæ à Divo Corbiniano, Ejusque Successoribus per decem Sæculorum decursum gestæ confcriberentur, tenuia quidem hujus Cathedræ initia, progressus verò mirabiles, fructusque maximi exponerentur, ac demum Acta Episcoporum, hætenus etiam Eruditis magnam partem parùm cognita, demùm Orbi universo fierent anno decimo Sæculari manifesta. Et hæc quidem, Lector, erat occasio, cur præsens scriptio decerneretur, quæ quidem, si Rerum exponendarum antiquitatem, arduitatem, Majestatem atque Amplitudinem spectes, ob temporis arctas angustias pauca folia impletura fuerat, nisi Magna subsidia accessissent.

Adjuncta.

Liber Traditionum primus.

In horum subsidiorum censum ex laboribus dudùm demortuorum Frisingensium Scriptorum, primus venit vetustissimus ille, & jam supra laudatus Tabularii Frisingensis Codex, quem vocant *Librum antiquum Traditionum*, nos verò ad vitandam Nominum Confusionem deinceps *primum Traditionum Librum* appellabimus, jussu Hittonis, Sexti hujus Sedis Episcopi verè vigilantissimi scribi cœptum, ac postea sub Erchamberto Successore pientissimo usque ad medium Sæculum nonum continuatum. Continet pretiosissimus hic Codex plus quàm 500. Traditiones seu Donationes, tum ipsi Frisingensi Ecclesiæ, tum aliis Ecclesiis ab ea pendentibus sub sex im-

Immediatis Sancti Corbiniani Successoribus Erimberto, Josepho, Aribone, Attone, Hittone atque Erchamberto usque ad medium Sæculum nonum factas, iis in Computum non adductis, quas posteri quidam more olim usitato, inseruere, ubi scilicet Membrana, aut Membranæ pars vacua, & notandis posterioribus rebus idonea remanserat. Cozrohus, Codicis hujus Scriptor diligentissimus, Monachus hujus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis fuit (quod ipse aliquoties indicat) ab Hittone & Erchamberto Episcopis ad conficienda, scribenda, ac subscribenda tum Traditionum, seu Donationum, tum Commutationum instrumenta sæpissimè adhibitus; de quo frequens in consequentibus redibit mentio.

Secundum locum sibi vindicat vetustissimus itidem Codex Secundus Commutationum, in quo ingenti industria fuere annotata ea, quæ huic Ecclesiæ accessere prædia, villæ, ædificia, prata, agri, pascua, silvæ, aquæ & aquarum decursus, Mancipia, & id genus plura alia, pro quibus Episcopi Consentiente Cathedralis hujus Ecclesiæ familia cesserunt alia id genus bona, locis aut remotioribus, aut incommodioribus sita.

Initium hujus Codicis videtur deberi eidem, quem mox laudavimus, Cozroho, cujus nomen ac Manum indicant plura instrumenta in eo Codice expressa. Successere deinceps aliæ Manus Sæculi IX. & sequentium, qui Codicem illum continuârunt. Cæterùm in eodem Codice reperio quàm plurimas alias chartas non Commutationum tantùm, verùm etiam piarum Donationum, quæ posterioribus temporibus fuere eidem insertæ: atque vel eo titulo nos Codicem illum non immeritò impostèrùm vocabimus *Librum secundum Traditionum*, maximè quia etiam ea, quæ ex Commutationibus ad proprietatem alicujus Ecclesiæ perveniunt, eidem *tradi* dici possint.

Tertio loco memorandus venit alius præcipuorum Documentorum Frisingensium Codex Sæculo XII. scriptus, sed nullo hætenùs nomine domi insignitus: quem nos idcirco *Librum Traditionum tertium* nuncupabimus. Huic Codici in fine annexa cernimus quædam posteriora documenta, manu Sæculi XIII. exarata.

Quartum locum obtinet *Liber Traditionum Magnus*, sic Quartus dictus, quod cæteros id genus Codices Frisingenses mole superet. Hic est ille Codex, quem jam aliàs laudavimus, conscriptus à Conrado hujus Ecclesiæ Cathedralis Canonico, & quem seipsum vocat, Sacrista, anno salutis 1187. sub Ottone II. Episcopo Frisingensi. Is continet exactam seriem Episcoporum Frisingensium usque ad prædictum Ottonem, variâsque Do-

nationes ac tractatus sub ipsis conclusos. In fine hujus etiam Codicis reperimus aliqua folia, ubi manu recentiori breviter enumerantur Successores Episcopi usque ad Albertum, è Comite de Hohenberg & Haigerlohe Episcopum Frisingensem XXXV. qui Sæculo XIV. vixit. Ac demùm manu Sæculi XV. etiam de aliis posterioribus Episcopis pauca quædam adjunguntur. Hic Codex erit nobis *Liber Traditionum quartus*.

Quintus.

Quintus Codex membraneus manu Sæculi decimi tertii Conscriptus, exhibet Contractus diversos, sub, & ab Episcopis atque Canonicis Frisingensibus illo potissimum Sæculo celebratos: quibus tamen etiam quædam Acta antecedentium Sæculorum passim miscentur. Hunc Codicem nos *Librum Traditionum quintum* dicemus.

Sextus.

Codex sextus, itidem membraneus, à compactura rubri coloris dictus *Ruber*, circa finem Sæculi XIV. à Scriptore nobis incognito exaratus, ac in fine alia manu Sæculi XV. ac demùm rursùs alià Sæculi XVII. auctus, repetit quàm plurima, quæ in Codicibus hætenùs laudatis fuere recensita, iisque pauca quædam addit. Hic Codex *Libri Traditionum sexti* nomine à nobis sæpiùs allegabitur. Cæterùm quæ in sex hæc Codicibus leguntur apographa, eorum autographæ ac originariæ literæ maximam partem supersunt in amplissimo ac verè locupletissimo Tabulario Frisingensi hætenùs tanta fidelitate atque felicitate custodito, ut fas sit dubitare, num multa alia per orbem Episcopalia Chartaria supersint, quæ Frisingense æquare aut superare possint: quod, ut speramus, res ipsa per decursum Operis nostri monstrabit. De sex Episcoporum Frisingensium Catalogis jam supra mentionem ingessimus. In iis Acta Episcoporum Compendiò exhibentur. Frisingenses Scriptores pleròsque itidem in superioribus jam laudavimus, quibus suis locis adjungemus Radevicum, Celeberrimum Historiographum, Cathedralis hujus Ecclesiæ Canonicum. Et hæc quidem subsidia nobis reliquere mortui. Nunc ad vivos est deveniendum, qui Operis nostri tum Auctores, tum Adjutores fuerunt.

Auctores & Adjutores domini.

Inter hos uti Dignitate, ita meritò incomparabili primum suspicimus ipsum Celsissimum ac Reverendissimum S. R. I. Principem atque Episcopum, D. D. JOANNEM FRANCISCUM, Virum illum, quem nisi Antecessoribus suis omnibus in perlustandis, pervestigandis, discutiendisque Ecclesiæ suæ antiquissimis Membranis, Codicibus, lapidibusque longissimè prætulimus, cæci sumus. Superi! quid Frisinga asservat, quod Eruditissimus Iste Princeps ignorat? & quomodo ignoraret,

Occasio & adjumenta Operis. XXXVII

raret, qui jam ab adito Ecclesiæ Cathedralis Decanatu, nempe ab anno Christi 1684. usque in hunc, quo scribimus, annum se totum evolvendis Frisingensibus Monumentis impendit, &, ut è terra quoque Rei antiquariæ subsidia crueret, infinita propemodum industria ac sagacitate verè nullum non lapidem sepulchralem, tum intra Diœcesin, tum in Cathedrali potissimum Ecclesia movit, uti nemo ignorat? quot quantosque Codices ac Tomos propria hujus Principis manu è vetustis Monumentis Conscriptos vidimus? quam quæstionem in Rebus obscuris movimus, quam Ipse non dexterimè expediret, ac declararet? quid denique ad Operis hujus editionem unquam optavimus, quod Clementissimus Dominus non supeditaret, imò etiam vota nostra dudum præverteret, etiam universâ suâ Bibliothecâ in usus nostros oblatâ?

Suspicienda hæc Celsissimi Principis exempla atque vestigia quantis, Superi! passibus secutus est Illustrissimus & Excellentissimus Dominus, D. Franciscus Sigismundus Antonius Baro de Egkher in Kapfing & Liechtenegg, Dominus in Kalling, Serenissimorum S. R. I. Principum Electorum Colonienfis ac Bavari Camerarius, ac Celsissimi Principis & Episcopi Frisingensis Consiliarius intimus, Supremus Aulæ Marechalus, & Præfectus Domini in Burckrain &c. nunc, dum hæc ipsa ad prælum paramus, etiam à Serenissimo ac Potentissimo Bavariæ Principe Electore inter Intimos Consiliarios receptus. Hic vir, hic est, qui ab annis ferè triginta adèò in excutiendis Frisingensibus Chartariis labore sanè obstupescendo defudavit, ut denique Documenta Frisingensia omnia in ordinem optimum maxima felicitate, ac meritò immortalis, inter tot alios arduos semperque felices labores, redegerit, & juxta annorum seriem conscripserit, summò utique commodò nostrò, eoque tanto, ut libenter fateamur, nos, quamdiu operi concinnando operam nostram contulimus, verè quotidie, ac ferè semper in Ejus *vitula arasse*: qua si caruissimus, de opere ad annum Christi 1724. edendo desperandum utique fuisset. Et hi quidem sunt, qui nos tum instructionibus, tum subsidiis & administrandis quotidianis adjuvare dignati fuere; quæ omnia cum submississima veneratione atque ingenua gratitudine narramus, ut, cum Lector ex Scriptione nostra sese alicubi profecisse fortassis senserit, sciat, quibusnam Autoribus id debeat referre in acceptis.

Neque verò reticenda sunt insignia merita Perillustris D. Joannis Michaelis Prey de Straskirchen, Celsissimi Principis & Episcopi Consiliarii Aulici, & Archivi Præfecti. Is enim tum

eidem Celsissimo Principi, tum Illustrissimo Marechallo jam à pluribus annis in Re Antiquaria & Historica operosissimè collaboravit, fructu in usus nostros maximè redundante.

Qui eminèns adjuvère labores nostros communicando nobiscum ea, quæ in Domesticis Scriniis asservabantur, & ad Rerum Frisingensium illustrationem conferre quidpiam poterant, fuère sequentes. Primò loco, gratissimòque animò veneramur Reverendissimum & Illustrissimum Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Collegium, è cujus gratia ad Illius Bibliothecam & Tabularium aditus nobis patuit.

Errat.

Proximum locum meretur Reverendissimus & Amplissimus Dominus Dominus Placidus, antiquissimi Monasterii S. Petri Salisburgi Abbas, qui pro ea, qua Celsissimum ac Reverendissimum S. R. I. Principem & Episcopum JOANNEM FRANCISCUM prosequitur, humillima reverentia, transmisit Codicem illum vetustissimum, in quo primo loco manu Sæculi octavi exhibentur primævæ Societates prædicti antiquissimi, & eo tempore Cathedralis Monasterii S. Petri, in quarum numero non sine ingenti nostro solatio etiam accuratè designantur primi sex Frisingenses Episcopi, & inter mortuos quidem *Gurbinianus* (nempe Corbinianus) *Ermperhtus*, *Joseph*, & *Arpio*, nempe Aribo. Inter vivos *Atto* & *Congregatio ipsius*, item *Hitto Episcopus*: ut jam supra monuimus: ac postea manibùs recentiorum Sæculorum subjunguntur alii posteriores Episcopi Frisingenses. Interferuntur Societates cum variis Monasteriis, quas enumerare longum foret. Denique in eodem Codice variis sequentium temporum characteribùs variæ donationes, Monasterio illi antiquissimo factæ, longo ordine describuntur.

Alia vetusta subsidia literaria submisère Reverendissimi & Amplissimi Domini Domini Abbates Petrus Tegernseensis, Ildephonus Weihenstephanensis, Amilianus Rottensis, & extra hanc Diocesin positi Reverendissimi Domini Abbates Tassilo Wessofontanus, & Maurus Andecensis: quorum jussu non sine singulari industria executi sunt Reverendi Patres Wolfgangus Dullinger Rottensis, Benedictus Friepeis Prior Andecensis, atque Cælestinus Leuthner Wessofontanus.

Ex Ordine Regularium Canonicorum S. Augustini multum nobis gratiosè contulère Reverendissimi Domini Præpositi Patritius Raittenbuechensis, Cajetanus Beurbergenensis, Præsidius Weyarensis, Georgius Beyhartinganus, ac Petrus Dietrami-Cellensis: quibus maximò meritò accensendus est Reverendissimus Dominus Albertus Pollinganus Præpositus, qui, tametsi Episcopatus Frisingensis jurisdictioni non subiaceat, operâ tamen

men

Occasio & adjumenta Operis. XXXIX

men Clarissimorum Virorum ac Canonicorum suorum Philippi Saller, atque Eusebii Amorth multa nos edocuit. Cæterorum Dominorum Præpositorum jussu documenta quædam suppeditarunt Viri Clarissimi Gaudentius Mayr Decanus Raitenbuechenfis, Beño Zaisberger Decanus Beurbergenfis aliique.

E Præmonstratensium Canonicorum Ordine promptissimam semper manum obtulit Reverendissimus Dominus Jacobus Neocellensium Abbas ; quam eandem laudem debemus Reverendissimo Domino Hermanno Schefftlariensium Abbati.

Plus etiam profecimus ex singulari humanitate plurimum Reverendorum, & Clarissimorum Dominorum Canonicorum Collegiæ Ecclesiæ S. Andreæ Frisingæ : quod idem de Collegiæ Ecclesiæ S. Viti Clarissimis Dominis Canonicis dictum cupimus.

Denique etiam Reverendissimus Dominus P. Josephus Preiss S. J. Collegii Monacensis Rector ex Eberspergensibus Antiquitatis Codices duos ad illustrandam Frisingensem Historiam huc transmisit. Vir etiam Clarissimus atque Eruditissimus P. Bernardus Pezius Mellicensis non minus transmisit Manuscriptis Monumentis, quam impressis suis nobilissimis operibus plurimum nobis contulit.

Horum omnium ardens serviendi Celsissimo Principi studium quodammodo prævertit Reverendissimus & Amplissimus Dominus Magnus, Benedictoburanus Abbas : qui, cum intellexisset, unius è suis operà ex voto, gratiâque singulari Ejusdem Clementissimi Principis & Episcopi conscribendam esse Frisingensem Historiam, nihil planè omisit eorum, quæ quidem ex Monasterii sui viribus ad rem conducere poterant. Ac demùm, cum nos temporis angustia premerent, etiam è nostris socium laboris R. P. Leonardum Hohenauer nobis concessit, Quibus proinde omnibus quæ dignitatum gloriâ, quæ eruditione Clarissimis Viris totum, quod intra arctas temporis angustias ad prælum à nobis utcumque parari poterat, Lector adscribet ; & nos hoc publico gratitudinis testimonio iis attribuimus.

Porrò præsens Opus, exhibens prima quinque Historiæ Frisingensis Sæcula in duas partes tribuere visum est, Historicam, sive Chronologicam primam, cujus contextui nonnisi instrumenta præcipua, & Lectori magis necessaria inferemus : Instrumentariam seu Diplomaticam alteram, in quam scilicet instrumenta cætera, quæ Historiam firmare & illustrare possint, suo ordine conjiciemus.

Cæterùm ubi assertiones nostras non documentis & instrumentis, sed sola unius vel alterius Scriptoris fide & autoritate


com-

XL *Differt. sexta Occasio & adjuncta Operis.*

communimus, facile intelliget prudens Lector, nos ejusmodi testimoniis non postulare majorem fidem, ac eam, quam solent adhibere Eruditi. Ea sanè, quæ nobis visa fuere dubia, iis scribendi modis expressimus, ex quibus nemo non videre debeat, nos circa ejusmodi eventus nihil certi statuere velle. Interim, Lector, veritati, quoad fieri à nobis potuit, diligentissimè semper litare studuimus, secuti Sanctum illum Magnùmque Dionysium Episcopum Alexandrinum, qui in *lib. 2. de Promissionibus apud Eusebium lib. 7. Histor. Cap. 24.* de se sic habet: *studiosè cavēbamur, ne ea, quæ nobis semel placuissent, tamen si falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus. Nec aliorum objectiones subterfugiebamus: sed, quoad fieri poterat, ad ea, de quibus instituta erat Disputatio, eniti, eaq; stabilire conabamur: sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri: quin potius cum bona animi conscientia, absque ulla simulatione, expansis ad Deum cordibus, quæcunque certissimis argumentis confirmata essent, suscipiebamus.* Ita Ille, & nos cum Illo.

Stilum quod concernit, claritatem in omnibus sectari pro virili studuimus, nec latinè nimis, nec nimis, ut spero, barbarè tecum, Lector, sermocinaturi. Illud nihilominus monendus es, offendi neminem prudentem debere, ubi vetustissimorum Codicum barbara ac inculta vocabula, phrasésque Grammaticæ Regulis minimè conformatas tota sinceritate excrisimus. Eruditus certè id genus barbarismorum atque solæcismorum aded non displicere solet, ut illud etiam, ceu sincerum antiquæ simpliciter testimonium æstiment & ament. Memineris etiam, Lector, in Negotiis & Rebus Christianis Res potius quàm verba esse spectanda: neque semper reperiri vocabula Ciceroniana, quibus res latinissimè explicemus, quæ Ciceronibus, Liviis, aliisque ejus generis Scriptoribus nunquam innotuere. Quos porò Scriptores passim sequendos ac laudandos esse censuerimus, suis locis, Lector, inventes. Quando agimus de quorundam assertionibus atque opinionibus refellendis, argumenta nostra solidè, uti speramus, at non asperè proferimus, reticito ejus, quem amice impugnamus, nomine, tum, ne veritatem destituamus, tum ne fratrem offendamus, sed cum omnibus pacem habeamus.

Tu, interim, bone Lector, fruire qualicunque labore nostro: & totum, quod pro illustrandis Frisingensibus Rebus non nostra nixi tenuitate, sed solo Superiorum nutu jussuque scripsimus, æqui bonique Consule. Fortè suo tempore in alio Opere supplebuntur, quæ in præsentis desiderantur: & emendabuntur, quæ emendanda erunt.



HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM PRIMUM,

Ab anno Christi 724.

usque ad annum 824.

Sive

LIBER PRIMUS

De Episcopis Frisingensibus Primi Sæculi
Frisingensis.

CAPUT PRIMUM.

Vita S. Corbiniani, hujus Sedis
Fundatoris, ac Primi Episcopi, ad Aribonis
potissimum mentem conscripta.

§. I.

Natales & adolescentia Corbiniani.



Elodunum, Civitas Episcopalis, inter Celtas pervetusta, ac jam inde à Julio Cæsare non ignobilis, aliquà sui parte insulam Sequanæ fluminis occupat: reliquæ verò partes ipsius fluvii Crepidinibus adjacent, binis faberrimis pontibus inter se conjunctæ. *Reponis Meltonensis* nomine Melodunensem agrum ab Aribone, vicæ Sancti Corbiniani præcipuo Scriptore, intelligi, Velferus aliique tradunt, idque ex his præcipuè potest confirmari, quæ nos supra discussimus. Patriam illam fuisse sive Majorum, sive etiam ipsorum Divi Corbiniani Parentum, ex eo fit manifestum, quia Corbinianum inde *ortum* Aribone restatur. Cunabula Corbiniano præbuit *Castrus*, vicus quondam, hodie oppidum, ab Oriente Melodunum, versùs Meridiem Aurelianos, versùs Occidentem Carnutum, versùs Septentrionem verò Lutetiam Parisiorum respiciens, cæterùm Orgiæ amni adsitum. Patri Waldekisfo, Matri Corbinianæ nomen erat, de quibus illustrius nihil Aribone posteris nunciare potuit, quàm quòd Corbinianum mundo dederint. Id circa annum Christi 680. contigisse, infra commodiùs ostendemus. Waldekisfo Pater diem hunc obiit, antequam primam lucem Corbinianus filius aspiceret. Hic in sacro Regenerationis lavacro Waldekisfi, Patris sui, nomen equidem tulit; verùm deinceps à Corbiniana Matre nonnisi Corbiniani nomine appellari cepit, sive id tenerimò in filiolum

Mofan. Len. Harv. fide. Corbinian. p. 12. Reponis in Pige. Part. III. n. 1. 26. 4. Ar. An. Differt. 1. 2. 2. 2. Cap. 1.

§. XII

amori Mater tribuerit, five agnoverit, non Matris tantum, verum etiam Patris munia sibi imposterum suscipienda esse in filio ad vitam meliorem eiformando. Matris exemplum secuti Ceteri tum domestici, tum vicini, Waldekifum nostrum deinceps uno ore dixere Corbinianum, eoque nomine etiamnum tum à Sacris tum profanis Scriptoribus appellatur.

Juventus.
Arib. c. 1.

Corbinianus, cum vix pueritiam excessisset, magnis statim indicibus probavit, se sortitum esse animam bonam, & ad ardua virtutis proclivem. Sanè quam ætatem alii adolescentuli aut ludicris transigunt, aut curiosis actibus otioque infumunt, Corbinianus, sanctiori impulsu, Cultui Creatoris sui melius impendendam censuit. Nihil enim adeo Corbiniani animum rapuit, quam sanctior Philosophia, nempe suavissima atque assidua Sacrorum Voluminum Lectio atque meditatio. Ex ea didicit jejuniis, vigiliis, sacrisque precationibus lubrica adolescentiæ compefcere, Psalmodiâ delectari, pauperibus operam amanter ferre, hospitiis colligendis, atque eâ, quâ posset, Charitate fovendis operam dare, concupiscentiis acerbè imperare, maximam castissimi pudoris curam habere, denique assiduis virtutum exercitiis totum sese impendere. Neque dubitare fas est, quin Corbinianus ab ipso pueritiæ suæ tempore amore singulari atque tenerissimo prosequi didicerit veræ Sapientiæ Matrem Mariam. Ferunt enim, apud Carnutum, vetustissimam Galliæ Celticæ, & hodie Episcopalem Civitatem, Castrensibus finitimam, jam ante Julii Cæsaris tempora Druidas, Gallorum veterum Sacerdotes, docuisse, Virginem aliquam parituram, atque humano generi salutem esse allaturam: & idèd *Virgini* huic *paritura* templum à Prisco, Romanorum in Galliis Præfeto, fuisse erectum, posita inter cæteras Gentilium imagines effigie Virginis, parvulum maou gestantis, cui sapiens tum Priscus Ipse, tum populus dona obtulerint, felicitatemque variam eo pacto consecuti sint. Inde eveiisse, ut, cum Savinianus ac Potentianus, quos S. Petrus ad Galliæ Coconversionem miserat, Gentem illam ad fidem Christi præ aliis populis longè proniorem inveniret; quæ, cum eousque *Virginem parituram* tantis studiis coluisset, deinceps *parentem*, ac *Parentem* etiam tenerioribus amoribus fuerit profecuta. Quæ etiam procul dubio ratio est, cur ea Carnotensis Ecclesiæ (hodie Cathedralis illius urbis) censeatur esse omnium totius Galliæ antiquissima. Hæc cum ignorare non potuerit Corbinianus, non potuit etiam imperare sibi, quin in castissimos Virginis Parentis amores prorumperet, Mariæque totus adhereret, cujus olim Frisingæ Sacerdos futurus erat. Quod licet Aribi noo commemoret, vero tamen esse quàm simillimum, nemo prudens bonusque inficiabitur.

Zeller. in Top.
Nifman in Lexic.
liberij.

Solitudine
delectatur.

In his virtutum, Diviniorisque Philosophiæ exercitiis Corbinianus sensim tantos progressus fecit, ut etiam severius sapere, de abjiciendis spebus humanis cogitare, deque eligeoda solitudine consilia inire cœperit. Visum est Beato Juveni prope Ecclesiam loci, Sancto Germano Episcopo sacram, considere, ubique Cellulam construere, ad quam nemini pateret aditus, nisi iis, qui sibi afferrent, quæ ad vitam servandam essent necessaria: interim verò ipsi portitores spiritualis vitæ pabulis reficerentur, atque (quod præcipuè spectabat Corbinianus) ad sui imitationem sacris disciplinis excolerentur. Successit equidem ea res ad vota Corbiniani: verum cum non pauculi tantum illi, quos sibi elegerat Corbinianus, sanctioris vitæ pabula esurirent, sed multò plures eâ famè piè laborarent, ingens quotidie Accolarum numerus, spiritualibus alimoniis pascendus sensim confluxerat. Cæterum cum inter hos non deessent, qui Corbiniano etiam varia Munusculorum genera offerrent, is ea quidem humiliter acceptare solebat, verum non in sua commoda, sed propemodum omnia in pauperum usus censebat, nonnisi ea portione sibi suisque servata, quam necessitas ad vitam protrahendam postulasset. Et talem quidem se ferebat Corbinianus, cum adolesceret, futuriq; veri Pastoris spirantia lineamenta in sese etiam nescius depingeret.

§. II.

Corbiniani Profectus Ætate, Sapientiâ, Gratiâ apud Deum & homines.

Vidimus hastenùs, Corbinianum eos, quorum operâ indigebat, aliòsque ad sui imitationem, quâ verbo, quâ opere pellexisse, eosque ad Lectio-
nem Scripturarum, ad Psalmodyam, ad jejunia, ad vigilias, ad orationes sanctas, ad pauperum Curam, ad hospitem susceptionem, ad continentiam castissimum amorem, ad sui, dignitatem, ac mundi contemptum provocasse. Et habuere effectum piissimi Juvenis sancta vota, cum legamus, cum deinceps numerasse Cellæ suæ socios fratres, inter quos Regula illa (quæ præter eam, quæ hastenùs distinctè enarravimus, etiam silentium nocturnis horis imperat) plenius introducta fuerit. Accessere itaque etiam ipsi Cellæ Beati Viri incrementa aliqua, & inter hæc *Cellarium*, seu *vinaria Cella*, cui (ex ejusdem Regule præscripto) *Frater* quidam præerat, *Ansericus* nomine. Auctâ Corbiniani sacrâ familiâ increvère etiam populi in eam studia, quæ tanta aliquando Vindemiæ tempore fuere, ut oblatæ Vinearum primitiæ, mustûmque recenter ex uva expressum vas quoddam, seu dolium repleverint. Accidit verò postea medio noctis Concicinio, ut mustum vehementer effervesceret, doliique Cuneolum seu epistomium impetu excuteret, ut crepitus usque ad Corbiniani Cellulam aurès pertingeret. Intellexit equidem Corbinianus, quid sonus ille portenderet. Verùm silentii servandi tenaci studio adactus, nec ipsius accurrit, neque ut alius è suis accurreret, quemquam monuit, sed rem Optimo Numini flexo poplite commendavit, nec nisi post persolutas Deo Marucinas Laudes (uti Regula jubet) tincinnabuli signo ministros sui fratres convocavit, & quid noctu factum esse suspicaretur, exposuit. Statim verò, ut frater Ansericus, Rei vinariæ Præfectus, atrepta clave *Cellarium* referavit, apparuit, quàm accepta Deo fuerit præscripti sacri silentii tam exquisita custodia.

Ansericus enim in ipso vinariæ Cellæ ingressu rejectum quidem æstuantis Musti fervore è dolio epistomium pede deprehendit, manique levavit; ac nihilominus dolium adeò plenum reperit, ut ne gutta quidem vini crupisse deprehensa fuerit, luculentò sanè servati sancti silentii præmiò: quod ipsum tamen etiam à suis novò, eòque cautissimò silentiò premi humillimus Corbinianus jussit. Verùm ne vicinis Civibus incognita maneret Numinis ad præmiandum Corbiniani nocturnum silentium bonitas, alio posthac eventu mirabili factum est.

Mulam Viri Sancti extra stabulum absque custodia errantem nonnemo cum conspexisset, occasione utendum ratus, eam conscendit, & in vicini saltus latibulis sceleri suo tenebras quaesivit. Dje itaque in vesperum declinante, cum famuli animal non adesse adverterent, quantis poterant curis illud querere conati sunt. Verùm irrita fuit quaerendum cura. Itaque venète ad Corbinianum, atque (ex Regule præscripto) jacturam animalis nunciaverunt. Corbinianus benignè suos audiens, bonò animò esse jussit, ad preces se contulit, silentiòque rursum custodivit, donec Marucinæ Laudes Optimo Numini fuissent persolutæ. Inter ipsas autem Marucinas preces Divinâ illustratione intellexit, mulam quamprimum cum fure redituram esse ad stabulum suum. Adis itaque Deo, Tutelarique suo S. Getmano gratis rursus tincinnabuli seu Campanula: sonitu suos ad se evocavit, futurum furis ac mulæ reditum nunciavit, isque anxie præcepit, ne furi redeunti quidquam molestiæ inferrent. Et hem! vix verba finierat vir Sanctus, cum mula *Celle* (nempe Monasterii) ostium ingreditur, fessorémque suum fœdè per nemora raptatum ac laceratum,
R. P. Caroli Meichelbecki Hist. Frising. A 2 pror-

prorsusque rigentem, & quasi exanimem affert, ad eò affixum animalis dorso, quasi vinculis eidem arctissimè fuisset colligatus. Is cum viribus suis descendere, atque à mula se expedire nequaquam posset, tandem famulorum ope ex mula depositus, vix non in lapidem riguit, atque sine sensu humi mutus jacuit. Tum Corbinianus miserum hominem correptione paternâ increpitum, quasi dormientem è gravi lethargo suscitavit, in spem veniæ erexit, atque indulgentiam precantem ac meliora spondeotem benignè nec sine munusculo dimisit. Aribo factum istud eo ipsò epiphonemate, verbisque commendavit, quibus Magnus ille noster Gregorius Pontifex olim usus est, dum eventum haud sanè abfimilem de S. Benedicto, imò *de ligato Rustico, solo aspectu viri Dei soluto*, narrasset: Viros oempe Sanctos aliquando mira quædam equidem precibus: quædam verò etiam quasi acceptâ ad id Divinius potestate parare. Quod epiphonema adjecerit Aribo fortassis eò consiliò, ut ostenderet, Corbinianum non tantùm Regulæ S. Benedicti, ut hæcenus vidimus, fuisse accuratum Sectatorem, verùm etiam in patrandis rebus mirabilibus Benedicti imitorem.

Lib. 2. Dial.
Cap. 30. & 31.

§. III.

Primum Corbiniani iter Romanum, Ejusque in Episcopum secuta inauguratio.

Fama Corbiniani.

Quam in a-
reolam.

Et Romanæ
confert.
Arb. Cap. 1.

Non poterat silentiò inter Incolas & Accolas premi tam illustre Miraculum, quo Corbiniani mansuetudinem atque Sanctitatem Deus orbi testatam esse voluit. Etiam io ipsam Galliz Aulam rerum à Corbiniano eousque gestarum admiratio penetravit, atque Pippinum Heristallum Pro-Regem, è cujus nutu Regni universi gubernatio pendebat, permovit, ut è suis Proceribus virum præprimis dilectum mitteret, qui se sancti Viri precibus impensè commendaret. Pro-Regis exemplum secuti Nobiles & ignobiles, senes, juvenesque utriusque sexûs, certatim ad Corbinianum convolarunt, tum ut coelestem ex Ejus ore doctrinam haurirent, tum ut oblati illi munusculis favorem Numinis sibi conciliarent. Verùm quid ad ista humillimus Corbinianus? Certè cum sæpè secum seriò expenderet, se in ipsa sua dilecta solitudine solitudinem deinceps minimè reperire, in sua paupertate divitias invenire, in suo Oratorio orationis impedimeota cumulari, in sua humilitate periculosis vanæ gloriæ titillationibus januam aperiri, in ipsa Cella sua Divinarum Rerum contemplationi ac studio obicem poni; indoluit scilicet infelicitati suæ, quam etiam *fletibus atque lamentis, suspiriis & gemitibus*, ut Aribo ait; assiduò deploravit, certus tam populosæ solitudini, quam quidem jam ab annis quatuordecim incoluisset, nuncium mittere, atque alibi rebus votisque suis cautius providere. Occurrit verò animo, id in aliquo, Romanæ sive Urbis, sive vicinæ angulo obtineri commodè posse, ubi ignotus ipse omnibus esset, & ab iis, quæ enumeravimus, periculis uoà cum sociis remotus degeret. His accedebat, quòd videret, jacturam Ecclesiæ S. Germani compensari posse tot Sanctorum Romanæ Urbis Basilicis, Eà maximè, in qua Principum Apostolorum sacratissima pignora essent reposita, cœque Coelestium Gratiarum Theauri fidelibus indes dispensarentur. Et ea quidem Consideratio usque ad eò permovit Corbiniani animum, ut tandem convasaret, eamque, quam quidem sibi necessariam fore existimabat, supellectilem colligeret, & unà cum sodalibus suis Romanam abiret, quam etiam Urbem denique feliciter attigit, statimque ad Basilicam Principis Apostolorum delatus, æstuantis animi suspiria Optimo Numini, ac Beatissimis Apostolis ardentissimè commocavit.

Sede-

Sedebat eo tempore in Petri Solio Gregorius, eo nomine Secundus Summus Pontifex, atque Christi in terris sanctissimus Vicarius, de quo in ejus Officio, jussu Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. Breviario nostro Monastico anno Christi 1719. die 22. Augusti inserto legimus, quod *a pueritia* Ant. Apollonius in Helv. Læta Tom. I. *Monachus S. Patris Benedicti fuerit: quod ipsum nuperrimè post alios asseruit R. P. Gregorius Kolb S. J. in Celebris Universitate Friburgensi Brisgojæ Historiarum Professor, in sua Serie Romanorum Pontificum, ubi de hoc Gregorio agens ait, Eum ante Pontificatum ex S. Benedicti Regula ingentes fructus hausisse: & videri possunt, quæ de hoc Pontifice latius deduxit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Seculo III. ad annum Christi DCCXXXI. Hunc Pontificem & sapientia & sanctitate, rebûsque grandibus pro Dei Ecclesia gestis, Maximis Quibusvis Prædecessorum suorum æquiparandum esse, constans Eruditorum sensus est: & teste, quem mox laudavimus, P. Gregorio Kolb, meritis est hic Pontifex quorundam Crisin aut sententiam, qua Gregorium II. descriperunt in hunc ferè modum: Si hujus gesta fuissent annotata, veluti Divi Gregorii Magni, par primo Gregorio fuisset secundus, secundo primus, uterque magnus. Hæc addimus, ut agnoscat Lector, cum quanto Viro deinceps negotium Corbinianus noster habuerit.*

Ad hunc igitur Pontificem delatus Corbinianus, atque ad Ejus alloquium admittus statim ad Illius pedes in genua sese provolvit, atque permittente Pontifice ardentissima animi sui vota demissimò quodam, sed tamen etiam gravissimò dicendi genere exposuit, nempe non aliò deinceps spectare intimos cordis sui æstus, quàm ut bonâ Pontificis veniâ sibi liceret in quodam angulo, à Divi Petri Basilica non ita remoto, cum suis vitam pauperem *sub Sancta Conversationis Regula* Phil. Dissert. 4. præg. instituere, ac Rebus Divinis reliquum vitæ suæ extra mundi tumultus impendere, ac in Divino Servitio mortem opperiri. Didicisse enim se malò suò, quantis à Cælo aberrandi periculis obnoxii essent, quibus frequens inter Mundi negotia conversatio, favor hominum, fortunarumque cumuli arrenderent. Sibi certè id genus lenocinia cordi non esse, sed intolerabilia videri. Compareretur itaque sibi communis Christi fidelium Pater, & vota sua sapientissimò consiliò juvaret, atque Gratiâ suâ, ac Benedictione se, sociòsque suos bearet.

Hæc humillimâ, suavissimâque facundiâ differenter Corbinianum non sine stupore audiit Pontifex, facileque intelligens, in peregrino illo homine latere magnam, sanctam, & insuper etiam sacrarum rerum scientiâ excultissimam animam, de nulla re minùs cogitavit, quàm de votis Corbiniani exaudendis. Adhibitò porius Domesticorum suorum Consiliò, atque ex eorum etiam judicio intelligens, Corbinianum neutiquam ad solitudinem, sed ad salutem multorum esse natum, eidem significavit, fixum sibi esse, Corbinianum Sacris Ecclesiæ Ordinibus initiare, Episcopum etiam consecrare, & ad promovendam plurimorum salutem dimittere.

Quàm inexpectata, simulque terrificam acciderit ea Pontificis responsio, cogitari potest, dici non potest. Certè quasi sacrum inter & sacrum, ut ajunt, hærens Corbinianus, quid reponeret Pontifici, non reperiebat. Nam si consentiret, actum esse de Summa votorum suorum, nempe de vita quietè impostèrùm ac solitariè producenda. Si refragaretur, Numinis iram esse pertimescendam. Demùm post diuturnam atque summis anxietatibus plenam deliberationem, cum adverteret, Pontificem in sua sententiâ persistere, sibi que integrum non esse Pontificiis mandatis obfistere, confusus de Adjutorio Dei manus dedit, atque in Episcopum sese ordinari permisit: Cui Pontifex, admirandis Corbiniani dotibus, virtutibus, Zelo prorsùs singulari ac suavissimâ oris facundiâ permotus, mira dignatione etiam *Pallium*, ut vocant, & cum eo plenitudinem Pontificalis Officii, ac prædicationis ubi-

que terrarum exercendæ facultatem adjecit. Id contigisse anno Christi 716. alibi diximus.

Differt. 1. p. 101.

Post tam mirabilem tamque inexpectatam tum sui, tum rerum suarum metamorphosin, cum Corbinianus sibi diutiùs Romæ bærendum non esse intellexeret, in Gallias reversus est, ubi quibus poterat modis partes omnes seduli Pastoris optime explevit, nec in plebe tantùm, verùm etiam inter homines Divino obsequio arctiùs adstrictos maxima animarum lucra reportavit, non sine rebus quibusdam supra naturæ vires gestis, ut mox recensèbimus.

Redit in Gallias.

§. IV.

Zelus Corbiniani miraculò coronatur.

Ad. Cap. 7.
Nov. lib. 1. c. 24.

pag. 53.

Differt. 1. p. 101.

Corbinianus
ad Aulam vocatur.

Pro latrone
se supplicet.

Rem miram narraturi sumus, quam post Aribonem & Ottonem Frisingensem, Episcopos, aliòsque Historiographos Ecclesiasticos etiam recenset P. Balduar Fraocolini S. J. in suo *Clerico Romano*. Res ita habet.

Contigit, ut Carolus Martellus (non verò Pippinus Heristallus, uti sibi jam monuimus) Major Domus, seu Pro-Rex Galliarum, Corbinianum, verbo Dei in Gallias disseminando intectum, ad Aulam accerferet. Paruit Vir Saoctus, & in viam ocyus se dedit, experturus, ecquid se Major Domus vellet? In eo autem itinere constitutus, cum oppido cuidam immineret, vidit eminens turbam hominum, & inter eos Latroem, resti collo inserta, manibusque post terga revinctis jamjam in furcam ob ausus ocfarios agendum. Misertus itaque hominis piissimus Pater, sonipedem acriter impulit, & ad confertum populum quanta potuit festinatioe properavit, jamque factus propinquior magnis vocibus clamavit, ut ante feralis mandati executionem justiciæ Ministri nonnihil subsisterent. Quod cum ex Episcopi voto illi annuerent, ipse ex equo profiliens, prono in terram corpore supplex judicibus accidit, ut reum sibi donare, vel certè ejus supplicium eousque differre velleat, dum ipse cum Pro-Rege, ad quem alias iter haberet, ea super re egisset, & vitæ veniam reo impetrasset. Verùm nihil evicit Corbinianus, Judicibus Episcopum obtestantibus, ne supplicio tam necessario, tamque justo moras vellet injicere. Actum esse de hominis vita, Legis mandato, non sua auctoritate eum damnatum esse. Si veniam Latroni dareot, fore, ut ipsi in sua capita consciscerent patibularii penas. Actum proinde agere Corbinianum: obtare Leges Patrias: moriendum esse Latroni. At saltem, inquit Episcopus, eam mihi veniam dabitis, ut remotis tantisper arbitris, paucula ei monica salubria in aurem instillem? Id assecutus, qua potuit paternâ ac solitâ sanctâque sacundiâ reum cobortatus est, ut amore salutis æternæ sibi omnes animæ recessus panderet, peccata omnia fideliter exponeret, nihilque sileret, quidquid vel cogitavit, vel locutione, vel ipso pravo opere unquam cootra Deum, contra proximum, contra seipsum deliquisset. Et verò mitissimo, atque salutis alienæ cupidissimo Episcopo facillè annuit miser, peccataque omnia, quæ quidem animo occurrerant, integerrimâ confessione non sine iogentibus contriti animi indicibus exposuit, veniamque postulavit. Corbinianus ad hoc S. Crucis signum, velut absolutionis & salutis æternæ judicium, ac munimen contra quævis occurrence mala, fronti pectorisque hominis impressit, reum benè sperare justum, Deo, Judici supremo, commendavit, eique vultu subtristi valefaciens, sonipedem rursus conscendit, & iter ad Carolum Pro-Regem profectus est quàm potuit celeriter, Latrone interim ex furca à Licitoribus suspensò. Posthac altera die (oam longiùs ab aula supplicii locus aberat) ad Carolum venit Corbinianus: in cujus conspectum delatus in genua confestim cecidit, summis precibus obtestatus Principem, ut, quidquid ageretur de Latrone quodam heri in furcam acto, saltem

saltem cadaver illius sibi dono daret : pretiosum sibi munus fore Latronis exuvias. Addidit, qua ratione summis precibus apud Ministros Regios nihil effecisset, ut ad eum, penes quem Regia potestas esset, confugere opus haberet, à quo proinde eam gratiam sibi humiliter flagicaret.

Obstupuit utique ad eas preces Carolus, cum non caperet, quorsum ea Viri Sancti peticio spectaret? quid enim? nefarii hominis, infami supplicio affecti, exuvias peteret Vir Sanctus? quo id fine? qua utilitate? quo consilio? humiliorem esse eam postulationem, quam ut vel ab Episcopo fieret, vel Pro-Regi exponeretur. Verum cum precationem suam urgeret Episcopus, negari nihil poterat pie importunitati. Carolus itaque precibus annuit, misitque, utric. Cap. 8. qui Latronis cadaver ad Aulam asportarent. His è suis quoque nonneminem adjunxit Corbinianus, additæ etiam fuere ad loci Magistratum literæ, ne Principis iussa exequentibus obca poneretur, & Corbiniani proces irritæ esse pergerent. Ventum igitur est bonis avibus ad patibulum, è quo Adelbertus (id Latroni nomen erat) spectabatur pendulus. Jámque scilicet admortæ erant, paratusque currus, in quo ad Aulam devehetur cadaver, cum ecce! spirantem, viventem, imò in eo ipso valetudinis robore, in quo ante triduum sanctissimæ Crucis signo munitus à Corbiniano fuerat, constitutum deprehendit: qui è furca solutus statim cum iis, quos Princeps & Episcopus miserant, ad Aulam venit, ingentem populi frequentiam excivit ad insolens illud spectaculum concursantis. *Tunc idem Adelbertus* (subdit Aribo) *quasi passer à laqueo paniarum, habitum mutavit, & in Sanctæ Conversationis vita sub Magisterio Viri Dei post multa temporum spatia finem vivendi fecit.* Quæ Aribonis de Sanctæ Conversationis vita verba quid sibi velint, tum ex alibi deductis Lector intelliget, tum etiam ex vetustissimo de S. Corbiniani Carmine, quod refert Arenbeckius lib. 2. *Chronici Bojariorum cap. 22.* apud Clarissimum P. Bernardum Pezium in *Thesauro Anecdotorum Novissimo tom. 3. part. 3.* ubi hæc lego piâ simplicitate, sed magnâ fidelitate scripta: De Jem. 4. Proleg. col. 780

Judicem precatur, ne Latro morte puniatur.

Latronem redimit ab exitio triduanum,

His ordinat Monachum à Crucis morte redemptum.

Vides, Lector, quid veteres intellexerint, quando scripserunt, hominem mutasse habitum, & in Sanctæ Conversationis vita vixisse: vides, Corbinianum hujus Monasticæ vitæ fuisse Magistrum?

Sanè Aribo pulchrò rursus epiphonemate historiam istam claudit. Comparans scilicet preces Corbiniani cum precibus Sanctæ Scholasticæ Virginis, quæ, quod non impetraverat à S. Benedicto, impetravit postea à Deo; uti Corbinianus, quam Reo vitam non impetraverat à Judice, demùm ab Eadem Divina Bonitate consecutus est.

Cæterùm cum dicat Aribo, Adelbertum posthac in Sanctæ Conversationis vita sub Magisterio Viri Dei post multa temporum spatia finem vivendi fecisse, videtur necessariâ consecutione fatendum esse, eum Frisingam usque secutum fuisse Sanctum Corbinianum. Nam post pauculos ab eo factos annos Frisingam Corbinianus venit, uti in consequentibus ex eodem Aribone memorabimus.

§. V.

Alterum Corbiniani Romanum iter.

QUæ causa Corbinianum iter primum Romanum inire compulit, eadem ferè, ut alterum etiam iter ingrederetur, effecit, nempe vanæ gloriæ iterum plausum fugio mundanæque applausus horror, paupertatis, sanctæque tranquillitatis amor, ac inexplcibile nonnisi rebus Divinis vacandi desiderium. Res mira in

in servato, ac posthac in Monachum mutato Adelberto coram populo, atque in ipsa Galliarum Aula, gesta, quid nisi admirationem, applausum, concursum, munera, ac sanctæ quietis turbationem potuit accerere, quæ tamen omnia Ille cane pejus & angue fugiebat? Itaque rusticus ad antiquam suam S. Germani Cellulam sibi confugiendum ratus, nonnisi cum suis, quos hæc tunc instruxerat, Discipulis vivere constituit, labore manuum suarum (sic enim Aribonem hic, & in sequentibus accipimus) vitam sustentaturus. Idem Aribo discipulos illos *Clericos* appellavit.

Si *Clericos* illos (dicit fortassis nonnemo) appellavit Aribo, ergo Monachi non erant, neque Monasticam Regulam sequebantur. Sed parce, quisquis ista objicis, optime Lector. Ad ea inprimis te remittimus, quæ in Dissertatione nostra Prolegomena quarta deduximus: quibus nunc addimus sequentia.

An Clericorum
nomen tribuen-
dum etiam
Monachis?
Nov. 27. C. 28.

Clericorum nomine à Majoribus nostris quàm sæpissimè significatos fuisse Monachos, res inter sincerè Eruditos dudum nota est. Eruditissimus, atque in scrutandis Antiquitatibus longè versatissimus Mabillonius noster tum alibi sæpè, tum præcipuè in præfatione Sæculi II. Actorum Ordinis nostri latè demonstrat, *Clericatus* nomine ab antiquis Scriptoribus Monasticam tonsuram, ac solemnem Habitûs Religiosi susceptionem non rarò fuisse designatam. Exempla ejus rei præclara adducit ex Gregorio Turonensî: ex Conditore Libri de gestis S. Marculfi Abbatis Nantensis: ex Jona Sæculi VII. Scriptore: ex Aigrado in actis S. Ansberti Rotomagensis Episcopi: ex Biographo Sanctæ Sigolens: ex Chronographo Fontanellensî Cœnobii, aliisque: quæ quidem exempla ipse Mabillonius sufficere credit ad refellendam eorum persuasionem atque errorem, qui, ubicunque *Clerici* nomen expressum hodie legerint, Clericos sæculares, non verò aliquando etiam Regulares ac Monachos intelligi opinantur, idè sanè mirabili; quasi verò is, cui Episcopus aliquot comas ex more exemit, Clericus dici debeat, non verò ille, qui, depositis dudum Comis, servizio Dei in aliqua sacra familia arctius se addixit, ac insuper ipso etiam Sacerdotii gradu initiatus est? Quid, obsecro, ad hæc ridicula dicerent ii, qui annis abhinc nonnagis vixere, & scripsere? Exempla à Mabillonio in rem nostram adducta, ne Lectori graves simus, non repetimus, sed ut in suo fonte inspiciantur, rogamus. Interea Monachos etiam in hac ipsa Bojaria olim fuisse dictos Clericos, pauculis monstramus. Tassilonem famosum illum Bojarie Ducem, à Carolo Magno exautoratum, atque in Monachum fuisse atroasum, quis Bojarie Scriptorum ignorat? & tamen Welto quidam in Donatione Ecclesie Frisingensî sub Attone quinto Episcopo facta ait, id contigisse *anno Secundo, quando Dominus Rex Carolus Bojariam adquisivit, ac Tassilonem clericavit*, uti legimus in libro *Traditionum primo, sive antiquo fol. 159. b.* Cui loco egregiè ad propositum nostrum consonat, quod habetur apud Mabillonium *Seculi III. Benedicini part. 2. pag. 445.* ubi ex Annalibus Nazarianis post Tassilonis destruktionem in Monasterium dicitur: *ibidem (Tassilo) Clericus effectus est.* Videt, Lector, Tassilonem *clericare*, aut *Clericum efficere* idem antiquis Scriptoribus fuisse, ac Tassilonem *in Monachum tondere!* sed ad propiora veniamus.

Salomon quidam, hujus Cathedralis Ecclesie Monachus in traditione quadam sub eodem Attone Episcopo facta vocatur *Monachus* in eodem primo Traditionum libro *fol. 133. C. 153.* Et tamen sequenti statim folio 154. vocatur *Clericus*. Idem de quàm pluribus aliis, & quidem præcipuis Viris Ecclesie Frisingensî alibi fortassis plenius & commodius demonstrabimus.

In inclyto atque hujus Diocesis præcipuo Monasterio Tegernseensi quid nisi Monachorum Collegium erat Sæculò Christi undecimò? Et tamen cum ibi diuissimà morte defunctus esset Ellingerus Abbas, Monachi ejusdem piis ad Peum suffra-

fuffragiis commendaturi P. religioſum ſuum Contubernium, ejuſque Colonos, hæc inſcripſit e tumulo :

Abba Ellingere huc Clerum, populimque tuere.

De quo videri poteſt Metropolis Hundii à Gewoldo aucta tom. 3. pag. 392. Ipſe Aribo dum de Clero S. Corbiniani aliquoties mentionem ingerit, à poſteris hujus Episcopalia Palatii Scriptoribus unanimi conſenſu non fuit intellectus niſi de Monachis Corbiniani diſcipulis, veluti luculentiffimum fit ex iis, quæ de ſeptem catalogis Episcoporum Frisingenſium ſupra adduximus. Denique ſi nomine *Clericorum* in eo, quem præ manibus habemus, loco Aribo non intellexit niſi Sæculares Clericos, in contubernio viri Sancti manentes, non verò Monachos, quid ſtatuemus de Adelberto ſupra deſcripto, quem à Corbiniano ordinatum eſſe *Monachum*, & poſthac per multa temporum ſpatia ſub ejus *Magiſterio* vitam produxiſſe ibidem demonſtravimus? Certè Clerus Sancti Corbiniani alius non erat, quàm Clerus Hittonis, nempe *Norma plurimus Monachorum, ad laudes Chriſti canendas adunata*, ut alibi monſtravimus. Itaque certum manet, ab Aribone ab eo, quem explicamus, loco non intelligi Clericos Sæculares, ſed Regulares ac Monachos, qualis nempe fuit Linco ille, qui *habitu ſaculare in Domo S. Maria (Frisingæ) depoſuit, & Clericatus Monachicam profeſſus eſt vitam*, uti habetur in eodem primo Traditionum libro fol. 219. Item qualis fuit Stephanus III. Papa, de quo legitur, quòd ante Pontificatum in Monasterio S. Chryſogoni fuerit *Clericus atque Monachus eſſeſtus*. Verùm iſta incidenter, & ad monendum Lectorem, in lectione veterum Codicum neutiquam pertinaciter in hærendum eſſe uſui vocabulorum, qualis apud rudiores aliquando eſt hodie, qui convincuntur nullam diſtinctionem admittere inter Clerum Regularem & Sæcularem, ſed totum *Clericatum* ſolis Sæcularibus tribuere, ac ſeipſos fallere. Redimus ad ordinem Hiſtoriarum.

Corbinianus ad Cellam ſuam regreſſus, quamvis ſummis conatibus eò col laboraverit, ut in tranquillo, ſanctoque otio divinis rebus poſſet intendere, actum tamen ſemper egit, & erumpentibus è Cella virtutum radiis fidelium turmas ad ſe traxit, ac beneficentiam provocavit. Hæc cum Corbiniano indies graviora, ac demùm intolerabilia viderentur, occurrit animo, non occasione virtutum, ſed intuitu impoſitæ ſibi Episcopalis Dignitatis crefcere famam ac fortunas ſuas. Ergò re maturiſſimè perpensà atque Deo commendatà decrevit Romam rursus adire, Episcopalia munia à ſe amoliri, ſecreta alicujus Monasterii petere, atque alterius Magiſterio ſeſe ſubmittere. Romam itaque eò quidem, quò priùs animò regredi conſtituit, ac non eodem itinere, ſed flexuoſo, & per eas gentes, ad quas fama virtutum illius nondum pervenerat. Itaque non Regià vià, ſed ſecretioribus callibus è Gallia venit in Alemanniam ſive Sueviam: ex Alemannia in Germaniam, quæ ſcilicet trans Danubium ſita eſt: inde in Noricum, quò nomine Aribo manifeſtè Bojariam noſtram intelligit. Ad Bojos ubi progreſſus eſt, miſeratus ruditatem gentis ad Chriſtum nuper converſæ, ac memor officii Apoſtolici ſibi à Vicario Chriſti impoſiti paſſim de myſteris fidei verba fecit, tantò gaudiò à *Novitiis* (quos Aribo vocat) Chriſtianiſ excepta, ut Corbiniani fama brevi in Regiam (Ratiſbonam puta) penetraverit.

Theodo Dux eò nunciò mirè recreatus, totus ſtatim in eo fuit, ut Corbinianum ad ſeſe acciſum quantis poſſet precibus & cohortationibus pervinceret, ut ſedem in Boica figeret, rudibusque Bojis Magiſtrum ſeſe daret. Aſt irritæ fuere preces, cum cerneret Corbinianus, ſe non minùs in Bojaria, quàm antehac in Gallia honorum, divitiarum, ac perturbationum periculis fore obnoxium. Oblata nihilominùs à Theodone donaria humiliter accepit, quippe quæ tum in uſus itineris, tum ad pauperum ſolacium ſibi profutura erant. A Theodoni Aula progreſſus Corbinianus venit in partes filii ejus Grimoaldi, R. P. Caroli Meichelbecki Hiſt. Friſing.

B

alpi

Diſſert. 4. Prælog.

Mabilian. tom. 8.
Annal. pag. 214.Corbinianus
de ſubdicanda
dignitate con-
ſiliis agit, ut de
novo itinere
Romam,
Arab. Cap. 9.
Quòd etiam
ingreditur.Et ad Bojos
venit.Arab. Cap. 10.
Honorificè
acceptus.

Etiam à Grlmoaldo Duce.

Wistiggen.

174. 1. 11.

Ulcio imponit Lucinas.

Hinc Urbs Inigne Urbis Frisingensia.

alpius & Italiz viciniore, quæ ei ex partitione Bojariz à Theodone Parente facta obtigerant, Regiâ Frisingæ constitutâ. In eo quoque itinere cùm passim de rebus cælestibus fermocinaretur, mirum est, quantum sui desiderium excitaverit non in Duce tantùm, verùm etiam in populo, eum sibi verbi DEI Doctorem & Pastorem summis constantissimisque precibus deposcente, Grimoaldò insuper Eidem hæredicatem inter filios offerente. Verùm Corbinianus vel ad sola honorum, divitiarumque nomina sanctè offensus, retineri sese minimè passus est: quem idcirco dimisit equidem Princeps, ac non nisi additis muneribus, imò etiam viz comitibus, qui eum usque ad Longobardorum fines honorificè quidem perducerent, interea tamen Venustæ vallis incolas, aliòsque vicinos hortarentur, ut redeuntem Româ Corbinianum observarent, neque inde dimitterent, donec re ad Aulam delatâ intelligerent, quid porrò Dux fieri vellet?

Ut semper bætenus solita fuerat Divina Clementia fugientem honores Corbinianum eventibus mirabilibus condecorare, ita in hoc quoque itinere Eundem voluit reddere inter populos gloriosum. Frisingâ versùs Italiam iter proficiens unâ cum sociis suis, ac Comitibus à Grimoaldo Duce sibi adiunctis intra Alpes ad Breones venerat, aliàs etiam Briones, Breunos, & Brennos dictos, antiquæ Rbetiz prope Oenum fluvium incolas; quæ de re videri potest Cluverius in *Germania antiqua*, & Cellarius in *Notitia Orbis antiquæ*. Ex quo (ut hic juverit obiter animadvertere) manifestè colligitur, Corbinianum non aliâ viâ instituisse iter suum, nisi eâ, quæ in bodierno Comitatu Tyrolensi vocatur *superior*, & quâ prope Oenum venit ad angustias, vulgò *Finstermine* dictas, ac deinceps in *Venustam*, sive, ut aliis appellare placet, *Venusticam Vallem*, vulgò, ut suprà monuimus, *Vintschgau* appellatur.

Ad hunc, inquam, locum delatus Corbinianus, quietis capiendæ causâ pernoctavit; cùm, sociis omnibus noctu indormiscencibus, ursus famelicus è silva proxima profiliens unum è clitellariis Corbiniani equis incustodicum adortur, sternit, sibi que lautum conaculum parat, ac devorat. Expergesti tandem socii aliqui, & inter bos supra dictus Ansericus, ursum lanienæ suæ incubantem, suæque ingluvie opiparè indulgentem conficantur, atque territi ad Corbinianum accurrunt, & jacturam nunciant. Tum Corbinianus Deò fretus, atque ad fratrem Ansericum conversus, hem tibi, inquit, flagellum, quò Bestiam castiges, ac postea probè contuse, interpositò Dei mandatò sarcinas imponas, vicariam pro clitellario equo opertam deinceps præstaturæ. Paruit Corbiniano Ansericus, Anserico obstupescenci ursus, &, quod obsequium bætenus equus exhibuerat, deinceps inter cætera dosluaria jumenta positò silvestri ingenio in itinere fideliter impendit.

Videor mihi hic audire obstrepentem eruditissimum è Gallis virum, qui, cùm in *Notis ad Opera Beati Servati Lupi* nostri retulisset verba ejusdem Servati Lupi, de S. Maximino Trevirensium Episcopo simillimum eventum narrantis, ausus est eam notam apponere, *sumpeum id esse ex Poëticiæ figmentis &c.*

Verùm cùm Vir eruditus non addat rationem, quâ fuerit permotus ad eam notam eruditissimo Lupo inurendam, & aliàs Propbeta dicat, quod Deus, qui est *mirabilis in Sanctis suis*, boniini, præcipue tantâ sanctitate conspicuo, *omnia subjecerit sub pedibus ejus*, sanè non apparet, cur hic scriptorem illum Gallum audiamus, cùm aliàs eâdem facilitate negari possent omnia, quæ de obedientia à feris præstita, tum in Scriptura sacra, tum in innumeris Sancto-rum Actis leguntur, delendùmque illud ex officio B. Agathæ foret, quod illa Quintiano Præsidì respondit: *Si feras mihi promittis, auditò Christi nomine mansuescunt*: quod dicere avertant à nobis Superi! Frisingenses certè sanctiùs credunt Ariboni Episcopo suo, Testi utique gravissimo, ac fortè rei gestæ fermè synchro; atque idè Corbiniani ursum urbis suæ Insignibus meritò inferuerunt.

Tri-

Tridentum progressus Corbinianus cum inter equos unum formam præstantiorem (Theodonis, ut videtur, aut Grimoaldi donum) adduxisset, eum non Urli alicujus sed Hursingi Comititis, à Langobardorum Rege urbi illi Præfecti audaciâ amisit. Quæsierat ille è Corbiniano, an sonipes ille non esset forte venalis? Cupere enim se paratò pretiò eum sibi comparare. Corbinianus verò, qui & equi operâ ob itineris incommoda indigebat, & mercaturam instituere nunquam cogitaverat, modestâ vultus compositione & silentiò amicè prodidit, ægrè se, suosque socios equò illò in via carituros esse. Tum Hursingus, quod impetrare pretiò non poterat, ausus est sublegere furtò, sed paulò post acerbissimè luendò, uti audierat, cum Corbinianum Româ Tridentum reducem narratione comitabimur.

Longè humanior erga Corbinianum ipse Langobardorum Rex Luitprandus fuit, qui eum Papiam seu Ticinum ad se delatum benignissimè complexus est, eumque septem dies integros secum detinuit, atque de rebus cœlestibus suavissimè differencem cupidissimè audivit, nec nisi favoribus regiis cumulatam dimisit, postquam se, suaque omnia precibus Viri Dei impensè confidisset.

Regis sui illustre exemplum (ut aliquando fieri solet) minimè secutus est Minister Regis, urbis Præfectus, Comes itineris ab eodem Rege Corbiniano usque ad Padum fluvium adjunctus. Is eadem, quâ nuper Hursingus, pravâ cupiditate incensus alium Corbiniani sonipedem ab eodem petierat pretiò oblatò. Verùm Corbinianus factam jam duorum equorum jacturam meritò causatus, carere equò sese non posse modestâ excusatione affirmabat. Verùm quidquid memoraret Sacer Antistes, frustra fuit. Disparuit mirâ nequitiâ equus, ad stabulum Præfecti urbis duci jussus. Verùm quas Deo pœnas dederit etiam hic alter abigeus, suò locò, ubi narrationis ordo exegerit, conspiciemus.

Cum iter suum prosequeretur Corbinianus, bis accidit, ut feriâ sextâ nihil in penu, præter carnes, superesset, quibus eâ die vesci non licebat. Verùm, qui *volucres cœli & pisces maris* præstò vult esse ad obsequia servorum suorum Deus, primò quidem aquilæ: postea verò mirabili Anserici operâ pisces Corbiniano misit, uti diffusè Aribo recenset.

Si cæteris diebus carnes admisit Corbinianus, (objicit nonnemo) tunc Benedicti legibus morem non gessit, aut in tricésimum nonum Regulæ Caput peccavit.

Respondemus, Regulam S. Benedicti, teste magnò Gregoriò nostrò, ejusdem confirmatore, esse *discretione præcipuam*. Fratribus, qui in via sunt, nihil inculcatur, quàm *ut non eos prætereant hora constituta, sed, ut possunt, agans sibi, & servituti pensum non negligant reddere*. Neque de abstinentiâ à carnibus aliò locò aliquid additur, ubi agitur *de fratribus in via directis*. Sic etiam circa vini & vestimentorum usum S. Benedictus modestissimam Regulam scripsit, ubi semper Regionum, atque ejusmodi circumstantiarum rationem haberi voluit. Mabillonius recenset exempla aliorum quorundam Sanctorum Ordinis nostri Virorum, qui aliquando esum carniùm (extra Monasterium ac in itinere maximè) sibi licitum esse cepserunt. Certè abstinentiâ à Carnibus non esse, ac per consequens nunquam fuisse de substantialibus Ordinis S. Benedicti, declaravit Sixtus IV. in Privilegio Cisterciensis anno 1475. Idem, Dec. concessio, uti hæc & similia Hæffrenus deducit. Itaque contra discretissimam S. Benedicti Regulam nihil commisit Corbinianus, si in

tanto itinere constitutus, atque aliâ alimoniâ destitutus, carnes comedit, qui ipsâ sextâ feriâ pisces nonnisi miraculò obtinuit.

Anno cap. 13.
Corbiniano
subdicitur
sonipes.

Rege Lan-
gobardorum
honores ex-
hibentur.

Alios equos
abducunt.

Pisces miracu-
lo eodem ob-
veniant.

Cap. 14

Diluitur ob-
jecta.

Cap. 19.

Cap. 67.

Tom. 1. Annot.
Pag. 135.

Dispositio. Mo-
nast. lib. 10.
Dispositio. 135.

§. VI.

Corbinianus, re Romæ infectâ, redit Majas.

Act. Cap. 11.
Corbinianus
Episcopale
munus à se
amoliri cu-
ravit.

CUM Romam iterum attingisset Corbinianus, prima ei cura fuit *ad utraque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina*, nempe ad illam Divi Petri Basilicam, quam Vaticanam dicimus, & alteram Divi Pauli viâ Ostiensi, sese conferre, ac vota animi, omnis honoris impatientis, Beatissimis Apostolis commendare. Tum ad Gregorii Pontificis pedes iterum provolutus, verùm statim surgere, atque Pontifici assidere jussus, dona quædam (piò tum Romam peregrinantium more) eidem primò obtulit, atque ferventia animi ad vitam solitariam, Monasticamque unicè adspirantis desideria explicavit. Mox in secretis conclave à Pontifice ductus, jam non tam verbis, quàm fleatibus, lachrymâ atque singultibus causam suam egit, atque quantas animi turbationes, angustias & timores ab imposito sibi Episcopali onere eoque senserit, exposuit, nullum animi solacium sibi superesse testatus, nisi Pontifex sibi, detractò Episcopali honore, facultatem concederet, aut Cœnobio, aut Cellulæ privatæ sese includendi, aut denique in silva quadam agrum colendi.

Obstupuit ad tam lachrymosa eloquentiæ flumina, atque admirabilem Corbiniani humilitatem Pontifex, dimissòque tantisper à se virò sanctò, deinceps non solò sùò, sed adhibito etiam Suorum consiliò de Corbiniani votis deliberandum esse censuit. Modestiam illam Corbiniani nostrò maximè sæculò admiratione dignam existimat Brunnerus, quòd *nulla rariùs Romam causa deferatur, quam honores deprecantium*. Addimus nos, rarè in ventiliada alicujus Episcopi, missionem ab officio petentis, causa à Pontificibus *Synodum* (ut quidem Aribio, & post eum Harduinus, Cave, & alii vocant) fuisse congregatam. Tanti ponderis Sapientissimo Pontifici videbantur esse Corbiniani preces.

In eo Presbyterio (ut ad annum Christi 724. Baronius vocat) seu eorum, qui in Urbe præstò erant, Episcoporum aliorumque Ecclesiasticorum virorum conventu exposuit Pontifex, quid? à quo? quantisque precibus à se fuerit postulatum? ac, num Corbiniani precibus deferendum esset, Patres rogavit.

Sed frustra.

Convocati Viri gravissimi, cum piis Corbiniani preces ad Scripturæ, Conciliorum ac SS. Patrum trutinam maturissimè revocassent, unò demùm ore coneluserunt, nefas esse, tantum virum ab eo, quod semel suscepisset, Episcopali officio dimittere. Ipsam humilitatem, ob quam solam ille sese eò honore indignum censeret, dignissimum illum, atque aptissimum reddere ad munus tam sublime utiliter, & cum fructu animarum amplissimo gerendum. Itaque eandem animi demissionem, ob quam, licet invitus, antehac ad eam dignitatem fuerat evectus, debere etiam obtinere à Pontifice, ne eà sese abdicare unquam Corbinianus permitatur. Productus deinde in medium Corbinianus, cum non haberet, quod gravissimis momentis, sibi in amplissimo Patrum confesso objectis responderet, & Pontificem propositi sui tenacem adverteret, ne manifeste Dei voluntati porrò obniteretur, tantam manus dedit, sed lachrymis irriguas. Dehinc Romæ aliquamdiu moratus, cum cætera, quæ oportebat, disposuisset, benè precante Pontifice, urbi mœstus valedixit.

Act. Cap. 16.
Supplicium
ejus, qui ca-
bolam ca-
pivit.

Eà ipsâ horâ, quâ Româ rediens Corbinianus rursùm Ticinensibus muris imminuit, ecce! obvium habet suus nobile, comitantibus urbis Proceribus ad sepulturam elatum. Obstupere ad obviantis Episcopi conspectum funeris Comites, cumque nollent eam, quam statim animò conceperant, senten-

tiarum

tiam præcipitare, diligenti inquisitione indagârunt, quis Advena Ille Episcopus, & an reapse Corbinianus esset? cùmque Corbinianum esse intelligerent, eum ipsum scilicet, cui defunctus ille equum sese subduxisset sæpius, ac palam dolentissimis vocibus testatus nuper fuerat, in stuporem versi non poterant non palpare severissimam Numinis vindictam, eamque vel idèò manifestam, quod eâ ipsâ horâ, quâ urbem ingrederetur Corbinianus, efferretur mortuus is, qui injuriâ illum affecerat. Pervenit postèa ilicò fama Divinæ ultionis ad Aulam Rursus Ticiad
à Rege beni-
gnè excipitur
Corbinianus. in quam Corbinianus statim deductus, & cum summa veneratione receptus est. Vix Regem demississimè salutaverat Vir Sanctus, cùm adest recens defuncti uxor Ubi sonipe-
dem recipit. vidua mœstissima, & inter amaros singultus ad Corbiniani pedes accidit. Ibi mariti sui scelus palam confessâ, audiente ipsò Luitprandò Rege, ordine exposuit, eâ ipsâ, quâ equum abduxisset, die maritum suum in languore invidisse, vimque mali grandia indies habuisse incrementa, donec tandem ex Medicorum judicio ad extrèma delatus sit. Interea eum probè intellexisse, mali totius originem non aliunde, nisi è furto equi, Corbiniano subleâ, descenderè; & ea quidem de causa præcepisse sibi, ut equi abducti cautam haberet curam usque ad Viri Sancti reditum, cùmque regressuro ocyus restitueret unâ cum solidis ducentis pro refarciendo damno, ex equi abductione iter agenti Episcopo illato. Cæterùm impensissimè rogâsse, ut Corbinianus pro grandi illa, quâ is animarum salutem flagraret, charitate veniam sibi facinoris indulgere, & potenti suò suffragiò Deum sibi propitium reddere dignetur: interim sonipedem abductum foris adstare sanum ac integrum. Hæc dicens Matriona Nobilis unâ ducentos solidos ex mariti defuncti mandato obrulit.

Vidit ista & audivit præsens Luitprandus, terrorèque facti concussus ad pedes Corbiniani accidere non erubuit, obtestatus magnis precibus, ut equum, & oblatas pecunias non respueret, neque ulteriori dolore nobilem Viduam, imò se suosque conficeret. Ita coactus est Corbinianus non sonipedem tantum, sed & pecunias, vellet, nollet, recipere, nisi mallet tantorum supplicum timores cumulare. Discendenti postea piissimus Rex rursus alia insuper munera, ac viæ solatia adjecit. Com pio
favore.

Nondum Tridento propinquaverat Corbinianus, cùm jam fama de ejus reditu illuc pervolavit. Hursingus, quem supra diximus, urbis Præfectus, reintellectâ censuit, occurrendum esse Sancto Episcopo, veniamque sceleris subtrahèò alterò equò admitti petendam. Ut in conspectum Corbinianus venit, humiliter salutato advolucus est flexò poplite Hursingus, exposuitque, quàm graviter luisset suam in subducendo sonipede audaciam, nempe grandi quadraginta duorum jumentorum jacturâ, lue elephantiacâ (elephantinam Aribos vocat) extinctorum. Obrulit deinde idem Hursingus in expiationem sceleris admissi duos alios equos, & ducentos insuper auri solidos. Cui Corbinianus facilè veniam dedit, posthac à famulis Comitum usque ad Bojariz fines, Majas nempe, atque ad Venustam Vallem, cum plurima reverentiæ significatione ductus. Adeò nec hominibus, nec bestiis impune fuit res Corbiniani invadere ac temerare. Art. Cap. 17.
Hursingi re-
Episcopus.

§. VII.

*Corbinianus Majis interceptus ad Grimoaldum
Ducem venit.*

Prosequentibus Tridentò iter versùs Bojariz fines neutiquam pacebat eò Art. Cap. 18.
Olim non
erat ca, que
hodie est, per
medium Ty-
rolum via. tempore via illa, quâ hodie Bulsanò Brixinam inter Rupes prope Isâcum Torrentem commodissimè itur. Ea enim via pauculis abhinc sæculis reper-

reperita, & impensis ingentibus Principis terræ parata fuit, uti saxo incifum legunt, qui illic iter faciunt. Erat equidem alia Bulfanenſibus verſus Sabionam, locumque, ubi hodie Brixina viſitur, via, ſed ardua nimis, quippe ſupra montes aſperrimos & excelfos ducens, cujus veſtigia etiamnum ſuperſunt & monſtrantur ab accolis, quod oculis ipſi comperimus. Itaque qui Sæculò Chriſti octavo ex Italia in Bojariæ fines venire commodè volebant, Tridentò iter verſus Majas (urbem olim, nunc pagum ampliffimum) relictò ad dexteram Bulfanò, atque bis ſupra Athefin fluvium inſtituere debèbant. Hinc non aliis, quàm Majenſibus, & vicinæ Vallis Venuſtæ incolis mandavit Grimoaldus Bojariæ Dux, ut redeuntem ex Italia Corbinianum interciperent. Neque verò ſpes Principem, nec Corbinianus Majenſes feſellit. Itaque Majis ſubſiſtere juſſus eſt, dum Grimoaldus de Ejuſ reditu fuiſſet edoctus. Illud icineris ſui impedimentum denique non gravatè tulit Vir Sanctus, ſed à Numinis Clementia ſibi injeſtum cenſuit.

Corbinianus
intercipitur.

Audierat eò tempore Corbinianus, prope Majas reperiri Sacellum, in quo Sancti Valentini Patavienſis olim Epifcopi Reliquiæ eſſent reconditæ. Sanctus ille Epifcopus, Valentinus, inquam, circa annum Chriſti CCCC. exantlatis graviffimis pro Dei Gloria ac animarum ſalute in Norico laboribus in odium fidei Pataviò pulſus, ut, quod vitæ reliquum erat, Deo in ſolitudine dulciùs impenderet, prope Majas Oratorium ſibi ſub Patrocino, ùt ferunt, S. Stephani Martyris, Patavienſium Patroni, ſtruxerat, ubi demùm ſanctè mortuus, certæque mandatus eſt. Superest in hanc diem Sacellum illud, & in vicina arce *Neyberg*, olim *Traumſandorff* dicta, monſtratur locus, cui *Sancti Valentini Camera* nomen hodièque adhæret, veluti recentibus literis nunciatum nobis Meranià, viciniſſimà Majenſibus urbe, fuit.

Ad S. Valen-
tini exuvias
conſugit.

Not ex literis
intercipitur ad
eum datur. Alii
dicunt eum pro-
cipitur.

Tam ſanctà opportunitate utendum ratus Corbinianus, ad Beati Viri ſacras Exuvias ſeſe contulit, preces Deo fudit, Valentinumque ſibi Patronum delegit. Cùm verò frequens id ageret, advertit demùm, Sanctum illum Epifcopum locum ſibi elegiſſe, qui ſilveſter quidem eſſet, ſed tamen culturam facillè admitteret, *Camina* eò tempore dictus. Arriſere inſuper decurrentes ex vicinis montibus rivuli duo, quorum uni *Timone*, alteri *Finale* nomen erat, alvei verò ſucceſſu temporum irruentibus per Alpes grandioribus torrentibus abſorpti hodiè neſciuntur, & nomina nonniſi in Aribone, & aliorum, qui ex ipſo ſcripſere, libris ſuperſunt. Tantò loci illius amore captum ſeſe ſenſit Corbinianus, ut jam tunc de illo ſibi comparando conſilia iniret, atque, cujusnam dominio locus ſubefſet, indagare inciperet.

Friſingam in-
vitat.

Verùm inter iſta adſunt miſſi à Grimoaldo Nuncii, Principis nomine ſupplices, ut ad ejus Aulam citò ſeſe conferre Corbinianus vellet. Porrò invitationi, cæterà perquam humanæ, non obſcurè adjectum fuit, ni fortalliſ ſponte ſuà venire Corbinianus cogitaret, non defore modos, quibus ad Grimoaldum trahi poſſet etiam invitus. Audiit iſta non ſine aliquo horrore Corbinianus, neſcio quid tempeſtatis præſagiente animò.

Arif. Sup. 19.

Cunſtat
coram Duce
comperire.
L. ſubſtrahit.

Quapropter relictis apud Majenſes ſarcinis ſuis ſuberiſte ad Grimoaldum, Friſingæ degentem, iter inſtituit. Factus Aulæ propinquior, edoctusque, Grimoaldum contra divinæ Autoritatis, Canonumque Decreta uxorem, Tbeodibaldi fratris ſui, ſuper defuncti, thori habere ſociam, Divini honoris Zelò incenſus, ſpretà, quam ſine piaculo obtinere non poſſet, Principis gratià, denunciavit operà cujuſdam Miniſtri Grimoaldo, ſe priùs in Aula Eundem nunquam ſalutaturum, quàm Is inceſtuoſe conjugii, vitæque veteri, adverſus orthodoxas leges hætenùs actæ, valediceret.

Malè ea res Grimoaldum, peſſimè Pilitrudem (id enim mulieri nomen) habuit, Grimoaldo aut præſentià Corbiniani, aut Pilitrudis conſuetudine cavendum erat, grandi utrinque & penè intolerabili jaſturà. Pilitrudis, ſi fa-
cica-

clendum esset divortium, facile conjiciebat, neminem posthac fore, qui suæ vel libidini vel fastui vacare vellet, quæ res ipsâ morte videbatur acerbior. Quid igitur? funesta Herodiadis consilia animum procacis fœminæ subeunt; hujus illa scelestas partes sustinere jamjam cogitabat. Neque res latuit Episcopum, qui tamen, animò minimè dejectò, oppositas Joannis partes nihilò sepiùs sibi exequendas censuit, Principi quæ identidem illud denunciavit: *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Arguebat, obsecrabat, increpabat, certus mori potius quàm cedere incestuosis Principibus. Apud supremum quoque Numen agebat precibus assiduus, ut saniora Consilia occæcatis Conjugibus suggerere, potentique stimulo duritiem cordium flectere ob sui nominis gloriam dignaretur. Et verò voluere apud misericentis Numinis Clementiam Corbiniani preces, quod apud Grimoaldum & Pilicrudem valituræ non erant. Quadraginta tamen dies fluxere, donec ad futurum magni dici judicium trepidare, atque libidinem nefandam execrari didicerunt. Adfuere igitur tandem ad pedes Episcopi, sceleris quæ veniam pronis in terram corporibus deprecari sunt, polliciti nuncium mittere pristinis fordibus, dummodò DEI auctoritate sibi ignoscere Corbinianus vellet.

Donec incestuosum thorum episcopus

Non potuit se Corbinianus continere, quin paternâ pietate complecteretur fatentes reos. His proinde DEI nomine ignovit, Cruce, ex more, super eos ductâ: Caterùm pro eluendo pœnarum reatu elemosynis, jejuniis, & orationibus iis injunctis. Ita conciliatis tandem animis passus est Corbinianus in Aulam sese deduci, ubi posthac non destitit saluberrimis monitis vigilantissimi Pastoris munia strenuè implere, atque Sedem Episcopalem Frisingæ utcumque figere. Id contigisse anno Christi 724. alibi ex Baronio, Spondano, Pagio, Harduino, atque Guilielmo Cave ostendimus.

§. VIII.

Corbiniani Curæ pro Frisingensi Ecclesia.

DUdum ante Corbiniani adventum in Castro Frisingensi erectam fuisse in Deiparæ Virginis honorem Ecclesiam, tum ex Aribone constat: tum etiam ex vita S. Maximiliani supra demonstravimus. Huic Ecclesiæ fuisse à Corbiniano adjunctam aliam, Divo Benedicto sacram, itidem non tantùm ex Ottone Frisingensi Episcopo, aliisque Eidem coævus Scriptoribus, verùm etiam ex longè vetustioribus membranis itidem supra probavimus, ubi etiam didicimus, iis Ecclesiis fuisse additum Monachorum Conventum.

Arch. cap. 20.

D. S. S. 2.

Proleg.

D. S. S. 4.

Proleg.

1. 6. 3

Non poterant verò conservari fabricæ illarum Ecclesiarum, neque Corbinianus cum suis habebat, unde stabilem Frisingæ sedem figeret, nisi de comparandis quibusdam, atque Ecclesiæ Frisingensi adjiciendis prædiis ageret.

Deliberandum itaque erat, ubi, & quæ prædia, quibusve auxiliis essent comparanda? De Grimoaldi equidem benignitate certus esse poterat Corbinianus, nisi malignis Pilicrudis consiliis & lenociniis rursus corrumpi eum posse timeret. Vicina interim Urbi Frisingensi prædia fortassis non ardebant, ne rei domesticæ Grimoaldi Ducis quidquam detraberetur, atque cavillandi occasio Aulicis præberetur. Hærebat verò in animo ille prope Majas & S. Valentini Sacellum locus, quem supra descripsimus, & qui extra Pilicrudis atque aliorum conspectum ac invidiam positus esset, atque in futuros, quos timebat, eventus asyllum præbere posset; quippe in ipsis Bojaræ finibus tum quidem situs, & prope quem sarcinas suas deposuisse Corbinianum supra diximus. Prudentissimò itaque Consiliò usus Grimoaldo persuasit, ut datò ad redimenda peccata pretiò locum eousque Sylvestrem compararet, atque Frisingensi Ecclesiæ adji-

Prima Ecclē-
sæ Frisingē
pœdia.

adjiceret. Neque annuit duntaxat benignus Princeps, verùm etiam unâ cum Corbiniano Majas venit, atque oblatò Nobilibus Venditoribus justò pretiò agros, prata, vineas cum vicinarum alpium parte, à Corbiniano tantoperè suspirata, coëmicit, literis atque instrumentis ex more confectis, atque sibi traditis. Totum verò, quod comparaverat Grimoaldus, deinceps statim Ecclesiæ Beatissimæ Virginis Frisingensî, adhibitis Testibùs, per manus Corbiniani contulit perpetuis illius usibus serviturum. Quo rerum successù latus Corbinianus statim culturæ sollicitam manum adhibuit, vineas ampliavit, arbores fructiferas plantavit, domum ædificavit, ac præcipuè ibidem (non verò Frisingæ, ut Aribonem minùs accuratè interpretatur Mabillonius) antiquum S. Valentini Oratorium aut resuscitavit, aut ampliavit, illudque tum ipsius S. Valentini, tum S. Zenonis Veronensis Episcopi & Martyris patrociniis initiavit: unde accidit, ut Sancti Illi duo Episcopi, à Corbiniano in Evergetas suos electi, in hanc usque diem annuo officio in Frisingensî Diœcesi colantur.

Arch. cap. 21.

Quibus mox
alia accedunt.

Pretiò à Cor-
biniano dato.

Eo ipso tempore Dux à vidua quadam, Faufla nomine, in ea vicinia, nempe propè Majas domicilium habente, bona quædam compataverat in vi-co Venustæ vallis, *Chortzes* (non *Chories*, uti habent recentiores quidam yiciati Codices) hodie *Chortseh* dicto, sita, certis conditionibus in venditricis futurum commodum adjectis. Cùm verò non ita multò post, ut videtur, vidua diem suum obiisset, Corbinianus ex oblati sibi antehac tum in Gallia, tum in Norico atque Italia pecuniis nongentos auri solidos (quæ ingens erat pecuniarum eo tempore summa) Duci numeravit, ac postea tum Corbinianus ipse, tum Grimoaldus bona illa eidem Ecclesiæ Frisingensî obtulerunt, atque hæc erant humilia illa, & sancta hujus Cathedralis Ecclesiæ, posteris annis & sæculis maximis incrementis augendæ primordia.

§. IX.

Mira in Monte S. Stephani patrata.

Arch. cap. 23.

Accidit aliquando, ut Corbinianus Frisingæ nescio quo corporis incommodo detentus ad matutinas laudes D E O persolvendas ascendere non posset ad Oratorium S. Stephani, in quo eo quidem tempore ipse unâ cum suis horas Canonicas cantare solebat. Itaque cùm comparere ipse quidem non posset, fecit tamen, ut sui comparerent, iisque, uti regula S. Benedicti

cap. 7.

Abbatî præcipit, *horam operis Dei noctu significavis.*

Modulatio
caelestis in Ec-
clesiâ S. Ste-
phani.

Paruère illi, ac montem conscendite alacres. Verùm cùm Ecclesiæ jamjam fierent propiores, videbant prorumpentes è fenestris, ipsòque adedò testò tantos caelestis cujusdam luminis fulgores ac radios, qui omnes noctis tenebras illic fugarent. In ipsâ deinde Ecclesiâ personuit tam suavis modulantium, canentiùmque chorus, ut nunquam aptius dici potuerit illud: *Prævenere Principes (Angeli) conjuncti Psallentibus.* Caterùm ubi Monachi Ecclesiæ januam jamjam ingressuri erant, locum iis cessit caelestis Musica, ac voces quidem, fulgorèsque celsârunt, odorem tamen caelestem adhuc sensere omnes, isque ad integrum triduum superfuit, ac iis, quæ Monachi narraverant, fidem fecit. Non defunt, qui scribant, Corbinianum suam illam à Sodalibus absentiam posthac largè deservisse, non aliâ utique ratione, quàm quòd caelestis illius Musicæ solatiò carendum sibi fuisset. Certè montem illum ab eo tempore adedò æstimare cœpit, ut habitaculum sibi, suisque ibi struxerit. Incommodum equidem evenerat, quòd nullæ ibi aquæ in usus quotidianos reperirentur, sed magno labore ex præterfluente ad pedem montis Mosaco fluvio asportari deberent. Verùm Corbinianus suos blandè solatus, solus aliquando in montis umbilico ambulans ad exemplum magni illius quondam Pontificis Clemencis, *ora-*

Prope quam
palatia Cor-
binianus sibi
istaque do-
micium
fecerat.
Arch. cap. 24.

vis

vit ad Dominum, ut servis suis fontis venam aperiret. Fiduciâ deinde plenus, eum, quò nitebatur, scipionem in ea montis parte, quæ meridiem respicit, infixit, statimque tantum aquæ effluere cœpit, quantum suffecturum erat necessitatibus atque desiderijs Mioistrorum DEI. Perennis etiamnum fons ille manet, manetque in singulare cum valentium, cum ægrotantium solacium, de quo suis locis plura dicenda occurrent singulari mentione digna.

Ac fontem
excitavit.

Cæterùm tamen factum istud Corbiniani post alia supra de Ecclesia Beatæ Mariæ ac S. Benedicti recensita Aribo hęc primùm locò referat; ut ad eò ex ordine Historiæ ab eo scriptæ Corbinianus priùs videri possit incoluisse montem S. Mariæ, quàm S. Stephani; reperitur tamen in nonnullis codicibus Frisingensibus, Corbinianum priùs coegregasse Fratres & Conventum in monte S. Stephani, ac postea primùm cum iis in montem sanctæ Mariæ commigrasse, ut ei iis disset Lector, quæ in Disserat. IV. Prolegomena adduximus. Nos in re incerti nil certi statuimus, & illud solùm observamus, non apparere rationem, cur S. Corbinianus, si montem S. Mariæ semel incolere cœpit, eum posthac deseruerit, & alterum S. Stephani elegerit; eòque rursùm abdicato ad B. Virginiem migraverit.

§. X.

Corbinianus metu Pilitrudis Frisingâ Majas abit.

GRimoaldus aliquando Corbinianum, hospitem sibi acceptissimum, ad prandium secum sumendum invitaverat: comparuit Corbinianus, vidensque cibos mensæ impositos, largitorem omnium bonorum Deum devotissimè laudans, gratias ei dixit, atque salutiferæ Crucis signò manu in ære super cibos ductâ salutem, Cœlestemque benedictionem iis omnibus precatus est, qui tam insignibûs Divinæ Beoeficentiæ donis reficiendi erant. Contigit verò postea, ut Grimoaldus Dux panem è mensâ suo, quem in deliciis habebat, cani projiceret. Ea res maximoperè non afflixit tantùm, verùm etiam commovit virum factum (qui ex Aribonis testimonio *contra vitia ad irascendum facilis erat, velox ad ignoscendum*) quod scilicet Grimoaldus escam, Ecclesiastica precatione benedictam, seposita tum sacræ Beoedictionis, tum Christianorum ricuum debita reverentiâ, non dubitaret cani vorandum objicere. Indignatus itaque Grimoaldo Doctrinæ Christianæ ad eò incurio, mirò prisce rigoris exemplò mensam dextero pede evertit, negavitque, illum tã benedictione, cibusque dignum esse, quibûs ipse canes dignos censuerit. Addidit sibi posthac fas non esse, ad ejusmodi prandium Grimoaldi venire: & cum dicto è Palatio digressus donum se cootulit.

Arch. ep. 221

Arch. ep. 21

Priscae rigoris exemplum.

Commodissimâ erat Pilitrudi ea occasio Corbinianum carbonibûs nigerrimis Grimoaldo depingendi. Lasciva Mulier dudùm nihil aliud optaverat, quàm ut pernecium exitiùmque accerseret ei, qui se è Grimoaldi amplexibus abstraxisset. Hinc eâ occasione ut eodem rata, Grimoaldo continuo iofultavit, atque exprobravit, an nondum adverteret, quem in Corbiniano virum coleret, superbissimum scilicet sacrificulum, Ducalis Majestatis, & Gratiarum collatarum audacissimum contemptorem, nihil deinceps noo asurum in Principem, quem nuper etiam uxore, atque hæredibus ulterioribûs spoliaverit, & nunc etiam blanditijs innocui Catelli, ac demùm cibus ipsis judicaverit indignum, meosam insuper Ducalem temeraverit, aulam totam stupore facinoris impleverit. Tollendum utique esse protervum hominem, ac gravioribus periculis aula universâ cum ipso Principe obnoxia maneat. Hæc & his similia Pilitrudis.

Pilitrudis ias
accus.

Verùm Grimoaldus longè mitiùs interpretatus pijs Corbiniani admooitionibus, veritúsque, ne Frisingâ discederet vir zelo DEI plenus, & tot miris eventibus

Quibus Grimoaldus obnoxia.

tibus à DEO honoratus, unà cum suis è Palatio ad Corbinianum sese contulit; veniam erroris rogavit, emendationem condixit, ac præterea donaria quadam adjecit. Porro supplicii Corbinianus facile iterum ignovit, cùmque illò in gratiam, ac postea etiam ad mensam rediit. Addit Aribo, eo tempore fortunas Corbiniani magna auctaria accepisse, quamvis ille ea minimè amasset.

Alteram adversus Corbinianum furendi occasionem Pilitrudi dedit, quod alio deinceps tempore concigit. Pomeridianis horis aliquando Corbinianus ad Cathedralē suam B. Mariz Virginis Ecclesiam properabat, laudes consuetas persolenturus Supremo Numini: Cùm ecce! obviam habet rusticanam quandam Mulierculam, jam antehac ex rei Magicæ suspitione sibi graviter delatam. Qui veneficam comitabantur, carnes portabant; nonnemo etiam jumentum ex fure ducebat. Suspiciat rem à foemina mala non agi bonam Corbinianus interrogat, quid negotii Frisingæ Muliercula illa habuisset? quid fercula, quid jumentum, quid comitatus ille vellet? Illa nihil tergiversata reponit Pontifici, vocatam se à Pilitrude fuisse, ejusque filium, spectris Dæmonum territum & malè affectum, potenti quodam carmine & artibus suis incolumitati dexterrimè restituisse: & inde quidem ea, quæ videret, soteria ex Principis foemine remuneratione domum reportare magnò utique suo merito? Cohorruit ad impudenes Veneficæ voces Corbinianus. Hinc justò Divini honoris zelò impulsus, ex equo prorumpit, in os veneficæ involat, eaque probè depalmatà prædam, pessimis artibus partam, inter egenos ad *Urbis* portam distribuit, Mulieris scelus, atque irrogatam Divinæ Majestati injuriam deplorans. Ea res dudum medicata atrociam Pilitrudis consilia immensum acuit, postquam nempe venefica illa Mulier in furorem versa, sparsis crinibus, facie cruentata, lacrymis copiosè prorumpentibus ad Pilitrudem cursu contendit, vocibusque efferratis factam sibi, imò Pilitrudi, & toti Ducali Domui incolerabilem injuriam conquecta est, vindictamque clamavit. Sanè quantum Pilitrudis, Corbiniano, ut vidimus, dudum insensibilis, ad eas foemine Rusticane voces expalluerit, quam furere animò experit, nemo satis expresserit. Neque verò intra animum se continuit impotentis foemine rabies, etiam in voces, non accitatis arbitris circumstantibus, prorupit, non commissuram sese, ut porro proviveret Corbinianus. Illud nihilominus (ut sunt astutissimæ aliquando foeminarum iræ) cavere studuit, ne arcana, quæ coqueret, consilia sua Grimualdo innotescerent, quippe qui omni procul dubio moras nefando facinori injecturus esset.

Ninus quidam, aliàs Pilitrudi à secretis, ad funestam Catastrophen exequendam Minister electus est. Huic in mandatis dedit furis aucta Princeps, ut assumptâ selectorum sociorum manu nocte proximâ Episcopum opprimeret, inventumque è vita, quo posset modò, ocyus exturbaret. Spondit feralem operam Ninus, rémque, ut potuit, egit clanculùm: Ita tamen secretò res agi inter plures non poterat, quin è fideli quodam ac DEUM timente nefanda consilia resciret Erimbertus, Corbiniani cum sanguine, tum Religione frater. Hic, ut erat edoctus, imminentis periculi Corbinianum exemplò commonuit, facilemque fidem reperit. Corbinianus fugam sibi, suisque, exemplò Magni illius Athanasii necessariam facile intelligens, ad villam quandam vicinam noctu declinavit: postea verò summo manè versùs Majas, nempe ad locum, Ecclesiz suæ Frisingensì jam aliàs, ut diximus, prope oppidum illud pretio comparatum, profecturus est iter, Niniq̃ & Pilitrudis atrocissima Consilia feliciter elusit eo ipso diluculò, quo Ninus ædes viri sancti sive milite, sive aliis meditata sceleris sociis cinxerat, easque, Episcopò nullibi reperitò, solo aquaverat.

Corbin. Veneficam depalmas.

Ex furis nomine Pilitruda lacrima.

Insidia Corbiniano struuntur.

Quin ille deest.



§. XI.

Grimoaldi, Pilitrudis, Filiorum, ac Nini fata.

Corbinianus, ut primùm Majas feliciter cum suis attingit, Grimoaldo significavit, instare tum ipsi, tum Pilitrudi, ni respicerent, vindicem Numinis dexteram. *Disponeret itaque domui suae, & peccata digna poenitentia elueret.* Grimoaldus eò nunciò gravissimè percutus, ut rebus suis confuleret, magnis precibus apud Corbinianum egit, ut reditum maceraret securus periculi. Sed nequicquam. Perstitit in sententia Corbinianus, eà utique Magni Athanasii doctrinà fultus, etiam ipsum *Verbum Patris, propter nos hominem factum, non indignum putasse, eum quereretur, abscondere se, & eum persecutionem pateretur, fugere, & insidias declinare.*

*An. Cap. 14.
Corbinianus
indigne Divi-
ex Grimoal-
do pecco.*

His accessit, quòd ignorare non potuerit Corbinianus recentia ac funesta Alpeidis apud Tungrensis in Lambertum, & Geilæ apud Herbipolenses in Chilianum, Sanctissimos Episcopos, exempla, ut optimè Velferus advertit. Itaque Grimoaldo aliud non respondit, quàm, sequi se maximi Viri Eliæ exemplum, qui Jezabelis furiis pessimæ mulieris, Prophetas subtraxerit. Sanè Grimoaldum ac Pilitrudem sensim in sordes pristinas relapsos fuisse cum Baronio Spondanus asserit, idque ex Aribone facillè eruitur, apud quem nullibi legimus, Pilitrudem ex Urbe vel Palatio fuisse ejectam, minùs, Grimoaldum aliam sibi uxorem copulasse. Aribo etiam post recensitam incestuosorum Conjugum poenitentiam Pilitrudem *incestam uxorem*, Grimoaldum verò ejus virum appellat. Filiolum Pilitrudis etiam tunc matris curæ commissum, supra ex Aribone retulimus: & suspicari proum est, Corbinianò ex urbe infidiarum metu dilapsò, Pilitrudem deinceps liberius Grimoaldo imperitasse, & hinc suppliciorum metu rursùs utrumque à Corbiniano ad poenitentiam fuisse impulsam. Ergò vindicta Dei, quam Corbinianus nunciaverat, præ foribus erat. Ea, quò modò secuta fuerit, nunc dispiciemus.

Fructu valid.

*Grimoaldus
interficatur.*

Cap. 27.

Ann. 1014.

1. 1. ubi pag.

101.

1. quibus?

Cap. 100.

fol. 174. 175.

Interfectum ab insidiatoribus fuisse Grimoaldum non ita multò post secessionem Corbiniani, ut is prædixerat, consensus Scriptorum est, ipseque Aribo testatur: à quibus verò illis, & quam ob causam, silent prope omnes: & Brunnerus cum Scriptore *Boica Gentis Annalium* apertè fatetur, eam rem sibi non esse competam. Aventinus tamen recenset eventum in hunc modum:

Theodo Dux (ad quem in altero suo itinere Romano Corbinianum deflexisse diximus) sibi, tribusque filiis suis universam Bojariam in quatuor partes diviserat, id quod etiam Aribo disertè fatetur. Filiorum nomina primi *Theodo*, aliàs etiam *Theodoaldus*: secundi *Grimoaldus*: tertii *Hugobertus* erant. *Theodo Pater* (inquit Aventinus) *Reginoburgium, Bojariam inferiorem, Nariscos sibi retinuit. Bathavia*, nempe Patavio, *Juvavia*, seu Salisburgo, *Ultino*, id est Oetingæ, & *summis locis Hugobertum præfecit: Superiori Bojaria, Alpihus subdita, Grimoaldum imposuit: hic in Fruximensi arce habitavit, ubi villa, & vestigium Regiæ, quam Grimoltshufium, id est, Grimoaldi domum etiam nunc appellant. Theodo filius Athesinam valem supra Tridentinum, quam Venustiam vocant, & conterminos fines, partem Theodoperti Patri, qui jam obierat, administravit.* De hoc Theodoperto, cujus portionem Theodo, seu Theodoaldus, ut modò diximus, administrandam suscepit, ulteriùs refert Aventinus in vernacula ac emendatiori Operis sui editione, quòd habuerit tres filios, Landfridum, Waldramum, & Èlilandum, veros illius, quam diximus, portionis heredes, sed qui nequam adhuc ephelis excelsèrant: quos proinde laudatus Theodo seu Theodoaldus educan-

dos, & ad omnem virtutem formandos susceperat. Defuncti per ea tempora Theodonis Patris partem Grimoaldus occupavit: & cum non ita multo post etiam Theodo seu Theodoaldus frater factis concessisset, non solum relictam ejus viduam Pilitrudem, Francam natione, ob formæ præstantiam, repugnantibus licet factis codicibus, sibi in uxorem adscivit, verum etiam Athesinam Provinciam, hæctenus à Theodone fratre seu Theodoaldo tutori nomine administratam, sibi usurpavit, cognatis suis, Theodoperto, ut diximus, filiis (qui interim jamjam adoleverant) portionem ex hæreditate sibi debitam frustra postulantibus. Cum nihil post integros etiam annos valeret cognata Juvenum Principum innocentia, fatigata tandem patientia ad arma justissima se convertere necesse habuit. Auxit animi fiduciam tum causa, quæ compellebantur, æquissima, tum Luitprandus, Longobardorum Rex, ærctissimis non tantum summorum beneficiorum, à Theodoperto illorum Parente olim acceptorum, verum etiam proximæ affinitatis vinculis iisdem adstrictus; quippe qui forem illorum Gunxrudam in Regii thalami consortem adsciverat. Et eò ipsò tempore Majas Pilitrudis metu dilapsus erat Corbinianus, ex cujus fuga conjiciebant sapientes juvenes, Corbiniano familiarissimè usi, Dei manum unà cum eodem sancto Episcopo à Palatio Grimoaldi recessisse, spemque sibi imminere potiundi tandem hæreditate, quam Theodopertus Parens sibi reliquisset. Ergò occasione utendum rati, quam poterant pro virum suarum ratione validam aliquot milicum manum contrahunt moturi in Grimoaldum, dum interim Luitprandus fororius loca ad Athesin, sanguinis jure sibi debita, occuparet. Utrumque cecidit feliciter. Commissa primâ velitatione cecidit Grimoaldus: Luitprandus vel facillimò, vel nullò negotiò Regionem Athesinam occupavit: adèd orphanorum Principum innocentiam, causamque optimam defendit, Grimoaldi verò injustitias punit justus utrinque DEUS.

Quo in loco ea velitatio, & Grimoaldi cædes secuta sit, *nondum, licet curiose perscrutatus fuerim, inveni*, inquit Aventinus, quem Lector consulat locis supra notatis: ubi denique additur, quæ ratione Carolus Martellus inter dissidentes Bojaræ Principes Regiâ auctoritate pacem stabilierit, & quam cuique partem deinceps assignaverit possidendam. Ista ex Aventino: cui licet aliquoties minimè deferendum censeamus, hic tamen adstipulandum esse censuimus, maximè, cum nihil hic referat Aventinus, quod Aribonis scriptioni non exactè respondeat, imò etiam insuper egregiè explicet, nisi illud fortassis negandum esse censeamus, quod addit Aventinus: scilicet Adalbertum, Otcharium, & Uttonem inlycorum Monasteriorum Tegernsensis, S. Hippoliti, atque Ill-Monasteriensis Fundatores, fuisse Grimoaldi filios. Certum enim est, hos post Grimoaldi necem adhuc supervixisse multis annis, ut suis locis demonstrabimus, cum tamen Aribo de Grimoaldi filiis scribat, eos hæreditate privatos è vivis miserè excessisse: quamquam id denique de solis filiis, ex Pilitrudis incesto consortio natis, dictum ab Aribone fuisse, interpretari possemus.

Cetera de cæde Grimoaldi si quis suggesserit, manus lubentes dabimus. Illud communi Scriptorum Boicorum calculò certum est, Landfridum, Waldramum, atque Elilandum posthac Benedictoburani, aliorumque plurium Monasteriorum fuisse primos Fundatores, qua de re fortassis alibi recurret mentio.

Cæterum intra hæc non stetit Divina Vindicta. Ninus, medicati in Corbinianum sceleris pessimus Minister, dum alvum levat, hastâ in corpus transactâ impuram animam cum fordibus ejecit. Pilitrudis Carolum Martellum in Gallias secuta, posthac fastidica, gratiâ Pro-Regis, ac bonis omnibus exuta, demum non habuit, nisi asellum, qui eam veluti piculare ostentum è Gallia in Italiam deportaret, ubi tandem malorum ac vitæ finem invenit; incertum, num animâ priùs ritè ac feliciter à fordibus pessimorum facinorum expiatâ?

§. XII.

Corbiniani reditus Frisingam, & sancta Mors.

Carolus Martellus, Major Domus, ad sedandas turbas, rixasque inter Bojarie Principes exortas Regiâ Autoritate cum Exercitu missus, Hugibertum, interfecti nuper Grimoaldi fratrem natu-minorem, hæcenus Bathaviz, Juvavio, & Utino, aliisque ultra Oenum Bojarie locis præfectum, deinceps universæ Bojarie Ducem præesse voluit, cæteris, qui suas sibi portiones postulerant, in Comitatus missis. Ita Bojarie pax, Bojaria Hugiberto obtigit sublatâ regnantium multitudine, & Pilitrude in Galliam abductâ, ut modò diximus. Hugibertus rerum in universa Bojaria potitus antiquius nihil habuit, quàm ut Corbinianum Frisingam revocaret. Id obtinuit missâ honestissimâ Legatione, rediitque Frisingam ad Ecclesiam suam Corbinianus, non sine incredibili Ducis, totiûsque populi solatiô & applausu.

Rei eventum, pacemque inter Bojos constitutum Brunnerus ad annum Christi 722. vel 723. refert. Mabillonius cum Aventinô ex veteribus Francorum Annalibus ad annum Christi 725. figit. Auctor verò Boicæ gentis Annalium ad annum reparatæ salutis 728. differt: cui ut & nos subscribamus, temporis ratio, & rerum, post erectionem Sedis Frisingensis, ad annum Christi 724. cum selectissimis Scriptoribus à nobis repositam usque ad pacem secutam, gestarum multitudo ac magnitudo postulat. Sanè Corbiniani reditum non ita diu ante Beatissimam Ejus mortem contigisse, etiam ex eo conjici posse videtur, quod posthac de iis, quæ deinceps Frisingæ gessit, vix pauca tradantur. Id unum exprimit Aribo, quod Hugibertus *sacro fontis lavacro eum* (Corbinianum) *sibi sociaverit*: quem locum interpretatur Velferus, *Credo*, inquit, *quod Principis liberos Episcopus tinxerit.*

Equidem non ignoramus, in quibusdam rerum Frisingensium Codicibus Corbiniano tribui tum erectionem, tum Dedicationem variarum Ecclesiarum, nempe S. Georgii in *Wosf* / quæ hodie inter Parochiales urbis Frisingensis Ecclesias præcipua est: item Oratorii S. Stephani in monte vicino, hodie Weihenstephan, ubi certum est, eundem Corbinianum aliquamdiu domicilium habuisse: rursûs Dedicationem Ecclesiæ S. Valentini in Altenhausen. Verùm aliqua horum difficultate non carent: potuit utique S. Corbinianus consecrare Ecclesiam S. Georgii, hodie Parochialem; aut non apparet, cur ea utpote in centro urbis posita, dicatur condita fuisse in *Wosf* / sive in loco palustri. S. Stephani Oratorium jam ante S. Corbiniani adventum fuisse celebre, & frequentatum à fidelibus, Aribonem expendentibus fiet satis manifestum. De Ecclesia S. Valentini in Altenhausen occurrent rationes dubitandi, cum de Aribonis Episcopatu differemus. Itaque his non juvat certitudinem adstruere, donec clarioribus monumentis certiora doceamur.

Illud tamen certum, atque indubitatum manere debet, Corbinianum impetrâsse plebi & familiæ suæ libertatem eligendi Episcopum, illamque concessionem literis Regiis fuisse firmatam, tamen si ejus rei Aribo mentionem nullibi faciat. Testatur id Ludovicus III. Imperator, Diplomate datò Waldoni hujus Sedis Episcopo annò Christi DCCCXVI. quod hodiçue in chartario Reverendissimi & Illustrissimi Collegii Cathedralis planè insertum extat, veluti in rebus gestis ejusdem Waldonis ampliùs ostensuros nos esse speramus. Tribuendum id sanè est Spiritui Prophetico Viri Sancti, qui, tamen si ipse non esset à Pontifice Maximo affixus Frisingensi huic Ecclesiæ, nihilominùs prævidit, eam deinceps semper habituram esse Episcopos proprios, & Cathedram stabilem, cujus rei initium S. Bonifacii nostri operâ in Erimbertò, Corbiniani fratre,

factum esse, infra diffusè narrabimus. Et fuisse cum Erimbertum ipsum, cum Successores Episcopos omnes à Frisingensibus liberè electos, ex ipso, quod laudavimus, Imperatoris Diplomate constat. Oportebat hanc Electionis libertatem Frisingensibus impetrare, ne extraneis pateret accessus, qui nolunt intrare in ovile per ostium, sed aliunde ascendere tentant, non Pastoris, sed Raptoris munia habituri, quod alicubi experientia jamjam docuerat. Deinde id etiam exigebat S. Benedicti Regula, quæ Cap. 64. Electionem Anrhitus jubet esse liberam. Exempla quoque recentia non deerant, quibus ad obtinendam suam Electionis libertatem Corbinianus urgebatur. Waldomarus Abbas Monasterii Fossatenfis, à quo Ecclesia Parochialis Oppidi Castrensis, Patriæ Sancti Corbiniani, dependet, ante annos pauculos, nempe anno Christi 717. petierat, & à Rege confirmationem obtinuerat Privilegii, à superioribus Regibus & Pontificibus eidem Monasterio concessi, ut in ipso Monasterio nulla extranea vel opposita persona sine voluntate Abbatis vel Fratrum suorum ad dominandum vel competendum ingredi presumat, sed quem Abbas elegerit, & melior pars Monachorum de ipsa Congregatione, vel, si necessitas fuerit, de quolibet Monasterio post decessum Abbatis, vel quandoctoque ipse Abbas voluerit, licentiam habeant constituendi Abbatem, sicut in privilegio manifestissime designatur: qua de re videri potest Mabillonius Tom. 2. Annalium ad dictum annum Christi 717. Et præcedenti primùm annò Christi 716. Ceolfrius Abbas Wirenfis, ac Girensis Monasteriorum abdicatò Magistratu suos monuerat, ut ex suis sibi Patrem eligerent, qui aptior esset ad regendum, idque juxta statuta Privilegii, juxtaque Regulam Sancti Abbatis Benedicti: quod idem Mabillonius ad dictum annum adducit: missa facimus id genus quàm plurima alia, quæ apud Scriptores passim occurrunt. Neque minus providè successerunt commodis invigilavit Corbinianus, quando eidem Ecclesiæ Frisingensi ingenti studiò multa prædia, prata, vineas, & alia ejuscemodi bona adjecit, ut alibi monuimus, & ipse Acibo tradit: adeò, ut qui negaret, Corbinianum ceu Episcopum, ut vocant, solum Missionarium, seu Regionarium fuisse verum ejusdem Ecclesiæ Frisingensis Sponsum, inficiari tamen non posset, fuisse illius verum Patrem, ac primum, providentissimum, Sanctissimùmque Fundatorem, qui prima insuper Episcopi munia in ea exercuerit, non baculo tantùm & Myrta, verum præterea sacro etiam Palliò conspicuus.

Verus fundator
Ecclesiæ
Frisingensis,
Cap. 28.

Anno æp. 99.
Mortis præ-
fatus.

Interea ad finem Beatissimi Viri vita properabat. Èt mortis quidem tempus adeò sibi perspectum habebat Corbinianus, ut non diem tantùm, sed & horam obitùs sui, magni Patris Benedicti exemplò, Fratribus prædicere.

Ea ubi jamjam propinquavetat, anxius adhuc de Ecclesia sua Præsul Erimbertum, sanguine & Religione fratrem, ac postea Successorem suum, Ticinum ad Luitprandum, qui, ut diximus, interim Majas occupaverat, misit, expositurum Regi última vota sua, ac humiles preces, quarum hæc summa erat: pateretur Rex Majensia prædia, Deiparæ ad Ædem Frisingensem tum à Grimoaldo, tum à se donata, eidem Ecclesiæ esse perpetua. Deinde permitteret corpus suum à morte, propediem instante, Majis prope Divum Valentinum sepeliri. Ista per Erimbertum à Luitprando; per alium è Discipulis ab Hugiberto Duce id unum petiit, ut idem corpus suum exanime juberet Majas deferri, quod idem Dux jam aliàs eidem promississet.

Ad colium
migrat.

Hæc ubi tum pro Ecclesia sua, tum pro suo corpore sollicitus Præsul disposuerat, animæ deinceps solius curam habuit. Die mortis illucescente, (octava Septembris erat) quasi ad Nuptiales compariturus epulas, corpus ex more lavit, capillosque ac barbam tonderi sibi voluit. Id ubi conrigit, sacris indutus vestibus Sacrificium offert, Sibi que ipsi ad æternitatem iter instituturo Divinum illud Viaticum manibus propriis ministrat. Domum tregressus in le-
gum sese componit, vinum postulat, eoque vix summis labris degustatò,
Cru.

Crucis signum fronti imprimens, absque ullo cruciaris indicio magnam illam, sanctamque animam in Manus Creatoris sui placidissime reddidit, caelestibus gaudiis eternum coronandam.

§. XIII.

Sancti Corbiniani Exuviae Majas deportantur, ubi etiam de anno Mortis Illius.

Supererat, ut defuncti Sanctissimi antistitis voluntas de transferendo Majas corpore suo executioni mandaretur: id verò, ut prudenter advertit Freibergerus, difficillimum erat, ardentis populi studio translationi tanti thesauri sese vehementer opponente. Inde factum est, ut in Aede Cathedrali rumularentur Sacrae Exuviae, verum incaute prorsus, & invito Numine. Caelum enim assiduas per continuos triginta dies ac noctes pluvias spargens, refecurum non erat, nisi pia quidem, sed male cauta Frisingensium duritia mollesceret. Adfuere tandem remissi ab Hugiberto nuntii, qui mandatum Principis de transvehendo sacro corpore attulerunt: cui cum opponere nemo sese auderet, & alia major adhuc Divini Numinis vindicta impendere timeretur, tandem è tumba levatum est Sacrum pignus, reperitque formam venustissimum, placideque dormienti, ac spiranti adeo simile, ut non deessent, qui vivum crederent. Illud, cum & Ducis, & ipsius quoque Supremi Numinis voluntas urgeret, desinato curru in confertissima illacrymantis populi frequentia impositum fuit.

Verum (quae est aliquando apud homines etiam inter tristes rerum eventus infolentia) inter reliqui populi pias lachrymas non defuit procacissima quaedam puella, Magata nomine, quae astanti sibi facie feminae jocò detestabili diceret, hunc Episcopum, Corbinianum scilicet, fuisse antebac sibi perquam familiarum, & voluptatum egregium socium. Ast non culti caelesti oris impudentissimam spurcitiem Divina Nemesi. Ipsò enim temporis momento pedum alter Magatae riguit, ac femur in tantam curvitatem induruit, ut malum illud quanciscunque flitibus & precibus, dum viveret, amoliri à se non potuerit. Ceterum exanime Corbiniani cadaver in ipso itinere sanguine tam calido manare coepit, qualem è viventium, valentiumque naribus prorumpere experimur. Hunc fictili exceptum vase itineris Comites effossa terrà condiderunt, eo ipso in loco, ubi primò pernoctandum erat cum sacris Exuviis: de quo eodem loco, ac sacro sanguine redibit mentio, cum Ordo Historiae postularit.

Cum in partes *Vallensium*, seu, ut in aliis Codicibus legitur, *Vallenesium* (Incolarum scilicet vallis Reni, seu *Imthal*, si bene interpretatur) devenisset sacratissimum Corbiniani Corpus, Dominicus quidam, Romanus Civis, ingenti febrium aestu dudum vexatus meritis Beati Viri sanitatem sperans consequi, Corpus suum sacris Exuviis, sive Curru, sive portitorum humeris incumbentibus, subdere conatus est, effectu ram felici in supplicem descendente, ut, cum inde se erexisset, totus vegetus ac valens soniperedi suum conscenderit, Praeco factus ejus Meriti, quo apud DEUM Corbinianus polleret.

Postquam Majas, à Longobardis, ut diximus, occupatum oppidum ventum est, Longobardici Praesidiarii, insidias à Bojis veriti, ingressuris sese opposuere, longè aliud, quam viri sancti corpus afferri suspicati. Sed commodum eo ipso tempore Ticino à Rege litera advenere, quibus praecipiebat Luitprandus, ut sacrum pignus cum omni veneratione Majas admitteretur. Illic posthac referatò sarcophagò, pallioque & sudariò, quibus sacrum cadaver tegebatur,

tur, tantisper remotò, iterum Corbinianus quasi redivivus apparuit, cùm & formâ vividâ splenderet corpus, & iterum calidus è naribus sanguis prorumperet. Maximam ca res venerationem Divo conciliavit, præcipuè, cùm post illatò in tumulum sibi dudùm electum corpore, facta non humanæ, sed cælestes collucere visæ sunt, admirabili fragrantia, ad sepulturæ locum sparsâ.

Cùm Majis ita repositum esset Beatissimi Præsulis sacrum pignus, contigit, ut aliquando ipsâ Divo Corbiniano sacra die puer parvulus sub ipsum ferè diluculum oberraret, incautusque per præcipitium in præterfluentem inter Rupes Passarem * torrentem, magnis tum, ut sæpè solet, fluctibus tumultuantem, rucet. Nemo erat, qui non & vorticibus haustum, & ad ingentium saxorum scopulos collisum crederet; ea duntaxat Cognatorum cura erat, ut cada-ver sicubi fortè reperiri posset, contraherent sepulturæ mandandum. Hæc ita tentantibus apparuit crinibus parvulus ille sanus ac integer, saxo cuidam prægrandi adherens: Cui cùm ob vim torrentis nec navigio, nec aliâ opè appropriare possent, demùm opè funium per saxorum præcipitia sese demittentes sanum & integrum reduxerunt. Nemo erat, qui salutem parvuli non adscriberet Meritis Divi Corbiniani, quem DEUS in eo ipso illius Festo voluerit reddere gloriosum. Subdit Aribo, cùm ista narrasset, de puerulo illo hæc verba sanè notanda: *qui (parvulus) Divina Largitatis munere ipso præerat Episcopatus multis diebus*: quæ verba ponderans Mabillonius interrogans in morem subdit: *An Joseph, Aribonis Decessor, qui Italus Veronensis fuisse dicitur?*

Quis ille parvulus?

Vetùm id negandum esse suspicamur ex eo, quia Josephus Cathedram Frisingensem jam ascendit anno Christi 749. ut suo locò dicemus. Qui, si post mortem Corbiniani, adeoque post annum Christi 730. adhuc fuisset *puer parvulus*, sex scilicet, vel septem annorum, dicendus esset factus fuisse Episcopus, antequam tricésimum vitæ annum attingisset, quod nec ratio dicere, nec Canonæ fieri permittunt. Ad hæc, si verum est, quod quidam recentiores Frisingenses Codices tradunt, Josephum fuisse patriâ Veronensem, sanè non appareret, quâ ratione in pueritia sua in Passarim fluvium prolapsus esse dici possit, cùm Verona Majis, ubi Passaris Athesi fluvio miscetur, distet itinere trium ad minus dierum, uti perspectum est locorum illorum non ignaris. Itaque Aribo in puero illo parvulo alium neminem videtur voluisse designare, nisi scipsum; qui, sicut gratò animò beneficium à S. Corbiniano sibi collatum mundo non tacuit, ita gloriolam, quæ inde manare poterat, tacendo nomen suum à se amoliri piè conatus est.

Baculus S. Corbiniani fuit subdactur.

Legimus, fontem, olim in vicino monte S. Stephani à Corbiniano suscitatum, post abductas Frisingâ Ejus sacras Exuvias exaruisse, donec eadem sacra ipsiana Frisingam reducta fuerint. Verùm de his ægemus, cùm Historiæ series eò nos perduxerit. Porrò Scipio, seu baculus, quo vir sanctus fontem illum in Umbilico Montis S. Stephani clicuit, tum ad perpetuam Rei memoriam, tum ad venerationem publicam suspensus pependit in Cathedrali Basilica-haud procul à *tabernaculo*, in quo scilicet, Catholico more, asservari solet Eucharistiæ Sacramentum: ast anno Christi 1581. in festo Deiparæ ab Anglò salutariæ, nescitur à quo? sublati, & hucusque nondum restitutus est. Hæc è Catalogo Episcoporum Frisingensium, plurimum successivè scribentium industrâ usque ad Vici Adami tempora perductò, cujus domestica inscriptio est: *Chronica tertia.*

Aræ obitu S. Corbiniani.

Corbinianum ad cælos migrasse anno CHRISTI 730. asserit Velferus *Rev. Boic. lib. 4.* prope finem: ejusque sententiam confirmat Mabillonius *Sæculi III. Benedictini part. 1.* ad eundem annum. Consentit Baronius in *Notis ad Martyrologium Romanum IV. Idus Septembris.* Brunnerus *Annal. Boic. part. 1. lib. 5.* Gabriel Bucelinus in *Annalibus Germaniæ*:
item

item in *Germania sacra part. 1. Scriptor Boica gentis annalium part. 1. lib. 7 n. 21.* Antonius Pagius in *Critica* sua ad annum 730. Quibus omnibus accenseri, aut etiam præferri debent tres Catalogi Episcoporum Frisingensium, tertius, quintus, & sextus, in quibus annus mortis Divi Corbiniani dicitur fuisse Christi Sepingentesimus Tricesimus, ubi tamen non diffitemur, alibi obitum Corbiniani ad annum Christi 732. differri. Nos lubenter iudicio ac testimoniis plurium accedimus, & annum Christi 730. amplectimur. Et quoniam alibi gravibus testimoniis fulti Corbinianum ad annum Christi 724. Frisingam veluti ejus loci Pastorem introduximus, fateri cogimur, eum nonnisi sex annorum spatium illi Ecclesiæ fundandæ, dorandæ, atque regendæ impendere potuisse.

Quot ætatis annos numeraverit Corbinianus, cum cælo beatam animam transfcriberet, nemo Scriptorum hætenus prodidit; facile foret ætatis Ejus annos supputare, si constaret, quot annos numerârit Corbinianus, cum ad Beati Germani Episcopi Ecclesiam sibi Cellam construxit. Nam cætera ex Aribone constant, nempe Corbinianum post sui Episcopalem inaugurationem, & ante suum ad Frisingensium adventum annos septem adhuc exegisse in Gallia; prius verò in sua ad S. Germani Ecclesiam exstructa Cella vixisse annis quatuordecim; quibus viginti & uni annis si adjiciamus aëos Episcopatus sex, itaque ob duo itinera Romana unum aëum ultra adnumeremus, posteriores vitæ illius annos viginti octo tenemus. Illud unum ea in re certum est, Erimbertum, Corbiniani fratrem, eò fuisse natu majorem. Cum enim narret Aribo, Corbinianò nondum nato Waldekisum Patrem rebus humanis excessisse, necessum est fateri, Erimbertum ante Corbinianum natum fuisse, nisi fingamus, Corbinianam Matrem ad secundas nuptias convolasse, aut fingere Historicorum non est. Et quoniam Erimbertus primùm post novendecim ab obitu Corbiniani aëos è vis ereptus est, ut suo loco videbimus, cogimur asserere, Corbinianum ad provecctam ætatem non pervenisse, ac fortè aëum ætatis quinquagesimum non superasse, neque ante annum Christi 680. orbi natum fuisse. Sed nempe teste Divinò eloquiò *etæ senectutis est vita immaculata: & Corbinianus Consummatus in brevi, explevit tempora multa. placita enim erat DEO anima Illius.* & fortassis præviderat Vir humillimus, sibi, si proviveret, adhuc plures in Mundo honores imminere, quorum eum fuisse verè impatientem ex toto vitæ Illius decursu perpeximus. Hinc votis Corbiniani DEUS tandem annuit, & animam cælo dudum maturam honoribus minimè perituris coronavit.

His ad Aribonis potissimum mentem de vita, rebus gestis, ac sancta Mor-te Divi Corbiniani diligenter, ut speramus, exactis, & variâ tum monumentorum, tum Scriptorum autoritate firmatis, eruditi Lectoris iudicio permittitur, quid fortassis circa ea, quæ expendimus, affirmare, quid negare velic vel possit: Aribonis universam scriptionem nos in altera hujus operis parte primò statim loco referemus. Corbinianum, uti animò humillimum, ita etiam staturâ corporis non fuisse adeò procerum, ex sacris Ejus lipsanis metimur: & licet ossa à justa viri statura non admodum deficiant, sacri certe Capitis moles planè magna non est, ita in corpore non magno bæsit magna illa anima, quæ Magno huic, uti rerum series docebit, Episcopatus sexennii spatîo initia dedit in terris, nunc verò eidem potenti patrocinio semper assistit in cælis. Mor-te Divi Corbiniani ad annum Christi 730. affixa, intelligimus eum migrasse è vita, cùm Romanæ Ecclesiæ adhuc præsideret Gregorius II. qui cum quatuordecim abhinc annis consecraverat Episcopum. Orientis Imperio tum præerant Leo Isaurus, & Constantinus Copronymus, Regno Galliæ Theodoricus Dagoberti III. filius, ut Mabillonius refert: Bojariz verò Hugibertus Dux dominabatur. De vicinis quibusdam ejus temporis Episcopis alibi dictum est. Corbiniani defuncti nomen Salisburgenses S. Petri Monachi mox in librum Societatum suarum retulerunt, ut itidem jam monuimus. Cæterum post obitum

R. P. Caroli Meichelbecki Hist. Frising.

D

Cor-

26 *Vitæ S. Corbiniani Episcopi Frisingensis* §. 13.

Corbiniani Sedes Episcopalis Frisingensis decennio vacavit, Ejus tamen sacra familia Frisingæ perstitit, ut paulò infra videbimus.

*lib. 2. Cap. 22.
Chron. Arif.*

De Sancto Corbiniano extat antiquissimum, ac piâ simplicitate plenum Carmen apud Arenbeckium, quod subjungimus:

*Mittit hunc Præsulem Gregorius (junior) Corbinianum.
Spina concutitur, sed muſtum non violatur.
Præsulis reducit sur mulam furtim subactam.
Defert piscem Aquila Præsulis calicis emissum.
Domitat hic ursum post equum peremptum.
Judicem precatur, ne Latro morte puniatur.
Latronem redimit ab exitio triduanum.
Hic ordinat Monachum à Crucis morte redemptum.
Vir virgâ montem compellit mittere fontem.
Reficit æternus Episcopus populum verbis.
Sumpto viatico transfertur anima celo.
Corpus sacratum ter deno die tollunt tumulatum.
Frisingam vehitur Præsul inclitus sepeliendus.
Languores sanat, arreptos à Damone curas.*

Hæc antiquissimus versificator Frisingensis. Nos de reductione Reliquiarum Beatissimi Corbiniani agemus, cum tempus, ac rerum gestarum series sub Aribone mœnerit.

CAPUT II.

De Erimberto, Secundo Frisingensi Episcopo: ubi etiam de S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, Sedis Apostolicæ Legato, & Germaniæ Apostolo.

§. I.

De Patria, genere, & adventu Erimberti ad Frisingenses.

*Erimbertus
Corbiniani
frater.*

ERimbertum fuisse S. Corbiniani non Religione tantum, sed etiam sanguine fratrem, & quidem natu majorem, ex hæcenus deductis manifestum relinquitur. Hinc non est, cur de ejus patria, parentibusque plura disseramus. Porro Erimbertum unâ cum sancto fratre suo Corbiniano Frisingæ vixisse, bis ex Aribone edocemur, nempe ubi ille asserit, Corbinianum à fratre suo Erimberto de prævertendis Nisi insidiis fuisse communitum: & ubi narrat, Erimbertum octavo ante obitum Corbiniani die fuisse ab eodem missum ad Luitprandum Longobardorum Regem exorandum, ut bona Ecclesiæ Frisingensi tum à se, tum à Grimoaldo Duce comparata, & antehac in Boica, tum verò post occupatas Majas in Longobardica ditione sita, eidem Ecclesiæ permitteret esse stabilia, ac insuper pateretur suum à secunda morte, propediem instante, corpus humari propè Majas ad sacra Divi Valentini Episcopi Lipsana: quod utrumque feliciter Erimbertus impetravit. Non defunt, qui scribant, Corbiniani cadaver fuisse Frisingensi tumulo illatum ab eodem

*lib. 2. cap. 26.
lib. 2. cap. 29.*

eodem Erimberto fratre. Verùm cum de his Aribio nihil afferat, & aliàs Erimbertus ob iter longissimum Frisingâ Ticinum usque institutum octavò, ex quo missus fuerat die, (quò Corbinianus obiit) Frisingam redux venire nullò modò potuerit, existimandum potius est, & res ipsa suadere videtur, Erimbertum Ticinò, unà cum obrento Regis ad Majenses præfidiarios mandato, in reditu sancti fratris sui exuviis Majis occurrisse, vel certè eas Frisingâ Majas comitatum, ibidem S. Valentini Sacello, fundòque Frisingensis Ecclesiæ ritu Christianò intulisse. Cæterùm Erimbertum post Corbiniani mortem Frisingam cum confirmatione bonorum supra recensitorum à Luitprando obrenta regressum, deinceps à Sodalibus suis fuisse in Antistitem electum, discimus ex alibi laudato Cæsareo Ludovici III. Regis Diplomate annò Christi 906. Frisingensi Ecclesiæ concessò, in quo luculenter asseritur, *omnes Pastores ejusdem Sedis per ordinem eandem electionis securitatem usque ad Waltonem Episcopum ordine decimum, obtinuisse.* Itaque Regiminis Erimberti initium ad finem anni septingentesimi tricesimi commodè referri posse existimamus. Dignitatem illam fuisse Erimberto tum intuitu sanctissimi fratris, tum etiam propriarum virtutum ac meritorum consideratione delatam, nemo non intelligit. Sanè cum constet, Erimbertum primùm elapsis postea aliquòt annis Episcopali insulâ à Sancto Bonifacio, seu Legato Apostolico, fuisse redimitum, ideò, velut ante nos dudùm advertit illustrissima manus, quam suprâ Dissertatione VI. prolegomenâ laudavimus, idèmq; asseritur in Frisingensi Calendario, annò Christi 1708. impressò, censendum est, eum non quidem Episcopi, sed tamen Abbatis munus eousque gessisse, & dici fortassis potuisse Episcopum electum, ast nondum consecratum, seu ad exercenda Episcopi munia initiatum, donec tandem solennem illam inaugurationem sanctissimus ille Antistes Bonifacius Erimberto addidit: de quo Bonifacio ut hòc locò diffusius agamus, tum Frisingensis Historia, tum Erimberti Acta omninò postulant, quæ absque inferis Bonifacii gestis, luce, splendore, ac gloriâ præcipuâ destituerentur.

*Eidem in Sede
succeda.*

§. II.

Bonifacii Apostolatus in Germania usque ad Corbiniani obitum.

Angliam, sive Saxoniam transmarinam, non verò Scotiam aut Hiberniam Bonifacio fuisse patriam Mabillonius probat tum ex ejusdem Epistolis, tum ex iis Wandalberti verbis, quæ ponit Nonis Junii:

*Nonis Antistes fulget Bonifacius, Anglis
Edius &c.*

*Bonifacius
Anglus.
Acta sanctissimi
Ord. S. S. Part. 2.
cap. III. pag. 6.*

Scirpi Regiæ fuisse affinem, tradunt qui fidem habent versibus in Arcis Montunæ templo descriptis in hæc verba:

*E stirpe natus Regia Bonifacius
Britanniam ultrò deferens,
Autoritate Pontificis summi fuit
Apostolus Germania.*

Certè Petrus Stevartius in Commentario *de vita & rebus gestis S. Walburgæ*, Divum Wilibaldum vocat magni Martyris Bonifacii ex sorore nepotem: Wilibaldum autem natum esse Richardò Patre, qui Regiâ dignitate fulserit, quidam antiqui Codices produnt, qualis est, quem Eustadii in Parthenone Walburgino reperit, & edidit laudatus Stevartius. Existimari nihilominus Mabillonius, eos, qui Regium genus Bonifacio tribuunt, nullò argumentò niti legitimò: quod longè magis dicendum videtur de Joanne Schönlebenò, qui, ubi

Ante hac di-
ctus Win-
fridus.

agir de Sanctis Austriacæ Domûs, putat, S. Corbinianum, atque eo ipso etiam Erimbertum, fuisse cognatum S. Bonifacii nostri. Quod totum uicit se habeat: illud velut rem indubitam tenent omnes, fuisse Bonifacium nobiliorum profapia, parentibusque cum primis copiosis. Nativitatem Bonifacii in cidiisse in annum Christi 680. verisimile eidem Mabillonio, atque sociis Bollandianis videtur, veluti nos supra in eundem ferè annum nativitatem Corbiniani ex conjecturis quibusdam Chronologicis retulimus. Winfridi vocabulum in sacro regenerationis lavacro parvulus tulerat: sed quod postea, nempe anno Christi 719. in Bonifacii nomen felici omine mutatum est, uti suo loco dicemus, interea Winfridi nomine eum appellaturi, nisi res aliter postulet.

Et Monachus.

Admiranda sunt, quæ vel in ipsa puericia Winfridus gessit, cum nihil puerile, sed ingentia futuræ sanctitatis indicia etiam in quadriano parvulo deprehenderentur. Ille non nisi de Divini Numinis honore, de rerum celestium amore, de statu vitæ deligendo, de scientiarum Divinarum adipiscendarum studio, vitæque Monasticæ desiderio loquebatur, quod tamen molestè ferebat parens tandem, donec immisissò divinitus morbo, accedente insuper maturò cognatorum consiliò, rectius sapere, & filiolum septennem ad Monasterium Adefcancastrense dimittere didicit. Quantos sanè deinceps tum in viruturum, tum scientiarum studio progressus Winfridus fecerit, accedente cum primis *divino* (ut vitæ primus Scriptor S. Wilibaldus loquitur) *ingento*, paucis explicari non potest, neque capit hic locus. Illud unum hic annotandum censimus, quod multi Scriptores, quasi datà operâ reticent, atque tenebris involvere nituntur, nempe S. Bonifacium in Monasterio illo suo vixisse sub Regula S. Benedicti. Certè id manifestè docet S. Wilibaldus, præcipuus, ut diximus, vitæ Bonifacianæ Scriptor, ab ipsis sociis Bollandianis laudatus: ait enim, Bonifacium *labore manuum quotidiano, & disciplinâ officiorum administratione secundam præfinitam beati Patris Benedicti rectè institutionis formam instituisse*. Sanè quantà fide dignus sit sanctus hic vitæ Bonifacii Scriptor, ex eo Lector eruditus conjiciet, tum quòd ipse Bonifacii fuerit æqualis, imò, & infrâ videbimus, familiarissimus: tum quòd scripturionem suam Lullo, Moguntino Archiepiscopo, Bonifacii successori, & Megingozo Episcopo Herbitopolitano, viris eidem Bonifacio antehac conjunctissimis, & ab eodem Bonifacio in utroque Ecclesiarum illarum fastigio positis, & insuper scriptiorum illius correctoribus nuncupaverit. Omitimus penè innumera aliorum posteriorum Scriptorum testimonia. Illud tamen filere non expedit, quod Bonifacius in Concilio primo Germanico, in loco incerto anno Christi 742. congregato, teste Othlonò in vita S. Bonifacii *Canone 7.* statui voluit, nempe, *ut Presbyteri vel Diaconi non sagis, Clericorum more, sed casulis* (intellige ex Mabillonio, tunicis talaribus) *utantur, ritu servorum Dei*, nempe Monachorum, idem Mabillonius explicat: ubi merito observamus, etiam sæculares Presbyteros, atque Diaconos contra Clericos aliquando fuisse distinctos, atque præ iis ad exactiorem disciplinam adstrictos. Additur in eodem Canone: *ut Monachi & Ancilla Dei Monasteriales juxta regulam S. Benedicti vivere studeant*: qui Canon in sequenti ad Liptinas celebrato Concilio confirmatus est, velut testatur in Diplomate suo Carolomannus Dux & Princeps Francorum. Nihil hic de Fuldensi, nihil de pluribus aliis Monasteriis à Divo Bonifacio sub eadem Regula erectis adducimus, fortassis infrâ, cum res postulerit, aliqua ea de re commemoraturi.

Ante hoc 7. s. h. 81. m. 65.

Ante hoc 7. s. h. 81. m. 65.

Scripteramus ista, hisque similia olim, nempe Anno Christi 1707. & 1708. cum vir quidam eruditus, sed nobis eò tempore ne quidem ex nomine notus, qua nescio de causa graviter se à nobis sauciarum palam conquestus, tandem datis literis significavit, à Divo Bonifacio Sturmium, discipulum suum, futurum primum Fuldeasis Monasterii, à se excitati, Abbatem missum fuisse

ad Cassinense Divi Benedicti Monasterium, ubi disceret, quæ alios doceret. Ex quo sic arguebat Vir clarissimus. *Si jam prius innotuisset S. Benedicti Regula* Objectio
apud Anglos, eademque Monachismo ibi florente, præ manibus cunctorum suis-
set: quid ab Anglicano Monacho, ab ipso, inquam, Bonifacio, Anglicanum
Monachum Sturmium discipulum suum sub regulari observantia S. Wigberti
(alius Winberti) educatum, Cassinum mitti oportuisset ad discendum, quod
jam in patria a pueritia didicisset? Hæc Vir ille, sed utinam circumspicere!
 utinam sincerè! utinam erga S. Wilibaldi gravissimum testimonium, erga ma-
 ximorum & coævorum Præfulum censuram reverenter! Damus, imò conten-
 dimus, quòd S. Bonifacius discipulum suum Sturmium miserit ad Cassinates
 nostros. Damus, imò certissimum profitemur, quòd eum miserit ad discea-
 dum, quæ futuros discipulos suos doceret; at quis prudens exinde contra tes-
 tes illos gravissimos, & quidem Synchronos inferat, Divi Benedicti Regulam
 prius fuisse Anglis incognitam vel inusitatam! Audi vir clarissime! non misit
 Bonifacius Sturmium suum, ut Regulam S. Benedicti disceret; eam enim, si
 non habuisset ad manum, potuisset ex vicinis Franciæ Monasteriis postulare,
 domi à Fuldensibus exscribendam, legendam, observandam. Quid igitur?
 misit Sturmium Bonifacius (more etiam hodie non Monachis duntaxat, sed
 etiam aliis Viris Ecclesiasticis usitatò) ad domum ipsam primam S. Benedicti
 Abbatis, non ut Regulam novam acciperet, alteriusque schematis Monachus
 fieret, sed ut Regulæ, in quam dudum juraverat, accuratam & primævam
 praxin, & observationis modum disceret, & ad Cassinensium mores deinceps
 futuram suam Fuldensem Congregationem componeret. Hem ejus rei testem
 omni exceptione facilè majorem, sanctum scilicet Eglem, ipsius Sturmii di-
 scipulum. Is in vita sancti præceptoris sui ita habet: *Porro cum fratres Regu-*
lam S. Patrie Benedicti (ergò jam antea sibi notam) inhumanter observare de-
siderassent, & ad Monastica disciplina normam sua corpora, mentisque toto
animo inclinassent, consilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad ma-
gna alicubi miserentur Monasteria, ut fratrum ibi concordiam & conversa-
tionem Regularem (non verò Regulam nudam) perfecte discerent. Quod
cum sancto fuisset indicatum Episcopo (Bonifacio) prudens illorum collaudavis
consilium, & hanc legationem studio Sturmio injunxit. Simillima tradit Ru-
 dolphus Sæculi IX. Monachus Fuldensis in vita S. Liobæ: vides igitur prudens
 Lector, quòd Bonifacius, quòd Sturmius, quòd Fuldenses fratres non Regu-
 lam Benedictinam (quippe cui sese jam antehac sacramentò addixerant) sed
 observantiæ duntaxat methodum discere ex Cassinensi, & aliis Monasteriis op-
 tarint, eò ferè modò, quò hodièque Religiosi Divorum Augustini, Domini-
 ci, Francisci, & aliorum Patrum Alumni, sicubi sive utilitas, sive necessitas
 aliquando postulat, suas observationes instaurant ad exemplum eorum sive con-
 tuberiorum, sive provinciarum suarum, quæ Regulæ suæ præsidis inherent,
 observantiâ exactiori florent, Deique gloriæ & proximorum saluti laudabiliùs,
 & cum sænore animarum majori invigilant. Et quis nescit, fieri aliquando,
 ut una Ecclesia Cathedralis, tametsi sacrarum ceremoniarum ac rituum libros
 penes se habeat, ab altera tamen, ubi eorum observantia est accuratior, in-
 structionem, missis etiam piis exploratoribus querat? Verùm ista erudicis &
 bonis plùs, quàm satis. Cum aliis hic nobis non est negotium, qui à Le-
 ctore veniam speramus, si debito in propriam Regulam affectui, ac sinceræ ve-
 ritati contra quorundam villitigationes nonnihil indulgimus. Cætera, quæ
 nobis de S. Bonifacii Monachatu Benedictino suppetunt gravia argumenta, nunc
 quidem suppressimus: verùm si res suaserit, alibi fortè proferemus. Nunc
 ad pertexendum Historiæ filum.

Eulonia.

 Alia II. G. E. R.
 part. I. T. 2.
 pag. 176.

 Scientia ac
 virtus Bonifa-
 cii celebrata.

 Tancum ex Winberti sanctissimi Abbatis institutione profecerat Winfri-
 dus seu Bonifacius noster, ut jam non discipulum, sed Magistrum deinceps

juberetur, imò rogaretur; discipulis plurimis ob celeberrimam Nominis famam ad eum ex Anglia univèrsa passim confluentibus, ejusque magisterium ambientibus. Ille nihilò sublimiores ex ea popularium suorum laude capiens spiritus, uti profectu discipulorum suorum delectabatur unicè, ita si quos crassioris, tardiorisque ingenii comperisset, ex eorum tenuiori profectu ansam sibi profundæ humilitatis, sanctorumque commiserationis arripiebat, nullibi piè ambiciosior, quàm ubi de proferendis majoribus seipsum contemnendi causis agebatur. Tricesimò ætatis annò cum jam priùs ob insignem sapientix & sanctimonix laudem, in alios quoque largè dispensatam, Patris instar ab omnibus haberetur, sacerdotio fuit initiatus: quæ dignitas quantum in Winfrido euerit virtutum omnium decorem, ex *operum* potius *testimonio*, quàm *verborum indicio* colligi posse, cum Wilibaldo Othlonus (alter ejus vitæ scriptor, Emmemarianus Monachus, diu Fuldæ versatus) commemorat. Regià deinceps legatione (volente sacrorum Antistitum, Procerumque Synodo) ad Pertwaldum nostrum, Cantuariensem Archiepiscopum in arduo quodam negotio functus, tantùm adjecit nominis sui celebritati, ut deinceps publicis etiam conventibus sæpiùs interessè juberetur. Verùm quàm non titillaverit nova illa gloria Winfridum, quippe longè aliud, quàm famam, dignitatèque meditantem, paulò post ipse docuit; cum enim jam ab annis pluribus nonnisi divinæ gloriæ propagatio, Gentiliumque salus identidem provocarent, & æstibus insolitè incenderent animum, tandem obsecundandum Divino Numini ratus, cæcilia animi de gentium conversione vota Abbati, sodalibusque suis exposuit. Dicit non potest, quàm ea res percussit Cœnobiarchæ, totiusque sacri Contubernii animos, Winfridi præsentia, virtute, doctrinà, conversatione, atque sanctissimis exemplis ægerrimè carituros. Re tamen diu, ac maturè perpensa, cum intelligeret, quantum animarum lucrum facere Winfridus posset, tum fodales Monachi consensere. Preces deinde publicè à sacro fratrum coetu pro Winfrido ad DEUM non sine lacrymarum imbribus fuere fuisse, ut Optimus DEUS *Angelum bonum* ituro ad Barbaros Winfrido jungeret. Addita viæ solatia duo è fratrum numero, futuri itineris comites, & adjuviores. In Frisiam primam suam sacram expeditionem facere Winfridus certus erat. Verùm (ut sunt impervia humanis scrutationibus DEI consilia) nihil tum quidem proficere quantæcùnque Winfridi curæ. Hostilibus conflictibus ea ipsa tempestate, anno scilicet Christi 715. inter se collidebantur Carolus Martellus Major Domus Franciæ, & Ratbodus Frisiæ Dux, quem alii Regem vocant. Hinc uti leges, ita etiam Winfridi prædicationes inter arma, strepitusque bellicos vel silere jubebantur, vel audiri non poterant. Winfridus, cum frustra se agere intelligeret, Ultrajectum tantisper commigravit, ubi postea aliquandiu commoratus, ac demum occasionem alloquendi ipsum Ratbodum nactus, gravi oratione eundem interpellavit, ut sacratissima Christi dogmata suis prædicari, & viam ad cælum monstrari permetteret. Verùm cum surdo se loqui adverteret, & sacris excursionibus viam etiam aliæ causæ intercluderent, præcisè sibi tum quidem omni spe quidquam ad rei Christianæ augmentum efficiendi, in patriam ac Monasterium tantisper revertendum esse censuit, illuc reversus, afflictos ex Abbatis nuper defuncti casu animos reperit, verùm dolori statim ingens auxilium addidit, cum oblatos Abbatis honores constantissimò animò deprecaretur, novamque, & securiorem ad promovendam animarum salutem expeditionem meditaretur.

Regià legatione fungitur.

Conversionem populorum meditantur.

Venit in Frisiam.

Surdus loquitur.

Ad suos redit.

Annal. 7. 2. l. 20. n. 1. 47. 86.

Romanus petit

Eam secutam esse primùm anno Christi 718. post accuratam rei discussionem conclusit Mabillonius; quò annò, ut addit idem scriptor, & quidem aurum jam adultò, demum ex insula Britannia solvit Romanus petiturus, ubi à Gregorio II. prædicandi in Germania verbi DEI facultatem obtineret. *Discendens* (prosequitur laudatus scriptor) *Daniel, Wrenianus apud occidentales Saxonas*

xones

xones Episcopus binas literas commendaticias dedit, unas involutas seu clausas ad Gregorium Papam: alteras encyclicas universis Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, ceterisque fidelibus inscriptas, quibus proposito Abrahae & Loth exemplo eos hortatur, ut Religiosum Presbyterum, Deique omnipotentis famulum Winfrithum eam, qua par est, charitate cum suis excipiant, divinae promissionis oraculo, & caelesti mercede confisi. Extat haec Epistola inter Bonifacianas ordine tertia: qua verò Papa Gregorio directæ erat, desideratur: hæc tunc Mabillonius. Et his quidem literis instructus Winfridus post gravissima itinera terræ marique confecta, demum Romam pervenit.

Prima Winfridi cura sanctissima Romæ fuit, ut DEUM, beatissimisque Apostolos redderet sibi, propositoque suo propitios. Quod ubi multis per varias Ecclesias obsecrationibus exoraverat, tandem Gregorii II. conspectui se demissè obtulit, exhibitisque Danielis Episcopi literis, quid animò destinasset, cum ingenti demissione, singulari tamen sanctique facundiâ explicuit, utque (siquidem vota sua probarentur Vicario Christi) prædicandi Evangelium Barbaris munus sibi demandaretur, humillimè flagitavit. Gregorius summis DEI docibus mirè recreatus, subsistere aliquamdiu Romæ Winfridum iussit, ut matura cum eo consilia capere, & inire possit. Adhibitis itaque multis consultationibus Winfridum ad Germaniæ conversionem Pontifex destinavit, literasque publicas, inunctum prædicationis opus unâ cum insigni commendatione exhibentes, addidit, scriptas Idibus Maji annò Christi 719. uti jamjam in præcedentibus monuimus, id unum hic advertentes, literas illas fuisse inscriptas non Winfrido, sed Bonifacio, quod argumento est, inquit Mabillonius, tum Winfrido nomen à Pontifice mutatum fuisse, dictumque Bonifacium, ominosò sanè nomine, cujus præfagium rerum subsequendum eventus confirmavit. Ita rursus ille.

Ad Germaniæ
conversionem
delectatur.

Quanta ex eo tempore Bonifacius apud Thuringos, Frisos, aliisque Germaniæ populos usque ad annum CHRISTI 723. præstiterit, non est hujus loci pluribus describere. Gregorius Pontifex secundissimos prædicationis Bonifacianæ eventus edoctus, eum Romam evocavit Episcopali caractere insigniendum, & majori cum autoritate deinceps ad continuandum prædicationis munus in Germaniam remittendum. Ille ubi Romam advenit, expositâ prædicationis suæ ratione, autoritate Apostolicâ coactus est, inaugurationem Episcopalem admittere: quam etiam obediens Bonifacius suscepit pridie Kal. Decembris, nempe ipsò Divi Andreæ Apostoli festivo die, quò etiam jusjurandum ad Sepulchrum beati Petri præstitit, se nunquam ab Ecclesia Catholica desicendum, sed beato Petro, ejusque Vicario Gregorio, ac successoribus fidem, atque opem per omnia exhibiturum: Episcopos verò, qui ab institutis & disciplina majorum recederent, defugiturum, imò repressurum, si possit, aut statim ad Pontificem delaturum, si secus faxit, diras sibi imprecari, &c.

Rursum Ro-
mam vocatus.

Fit Episcopus.

His ita peractis Bonifacius non sine accuratissimis instructionibus, ac novis literis Pontificis in Germaniam cum sociis rediit, ubi patrocinii etiam Caroli Martelli Principis munus, Hassorum & Turingorum conversioni porro institit. Operarios deinde, & laborum socios, pleròsque ex Anglis, aliosque etiam ex Francis sibi adscivit, quos inter primò ferè locò numeranda veniunt magna illa nomina, Lullus, Burchardus, Megingozus, Wilibaldus, ac Wunibaldus germani fratres, ipsius Bonifacii, ut quidam juxta dicta volunt, confanguinei; ex foeminis Tecla, Lioba, & Walburgis; soror Wilibaldi & Wunibaldi, quos omnes Monastico instituto addictos fuisse erudici hodie consentiunt. Dicit non potest, quantos sancta illa, & verè Apostolica societas per Germaniam fructus dederit. Hinc sublatò è vivis sanctò Gregoriò Papà, ejus Nominis secundò, eodem adhuc anno Christi 731. successor in Petri Sede Gregorius III. Bonifacio literas tum amore, tum gaudio plenas scripsit, isque Pallium adjunxit, ut Bonifacius deinceps eo indutus in-

plis de-
notat.

ter

Ac potestate
influenti
Episcopatus.

ter Archiepiscopus censeretur, additâ insuper fermè insolitâ facultate instituen-
di alios in Germania Episcopos, hoc solò adjectò, ut io Episcoporum conse-
cratione duos aut tres Episcopos adhiberet, curamque haberet, ne quò modò
dignitas Episcopalis vilesceret. Hæc de rebus Bonifacii usque ad annum Christi
731. gestis recensere opus erat, ut Lector intelligat, quem virum, & res Boicæ
post Corbiniani obitum, qui in annum superiorem inciderat, postulerint, &
Superci, summò nostrò. imò totius Germaniæ bood concefferint.

§. III.

S. Bonifacius Bojariam in 4. Episcopatus partitur, & Erimbertum consecrat Episcopum.

Hereses à Bo-
jana pro-
fessibus.

Corbinianò è vivis sublato res Christiana per majorem Bojarie partem in
antiquum chaos relapsura fuerat, nisi ejusdem conservatio superis cordi
fuisse. Noo erant ea tempestate Episcopi certis Bojarie Ecclesiis affixi,
neque sacra ipsarum Ecclesiarum jurisdictio definitis limitibus erat circumsc-
pta. Inde factum, ut inimicus passim spargeret zizaia, è quibus funesta he-
terodoxorum dogmatum lolla copiosè succrescerent. Fuit ejusmodi lolium, pes-
simi scilicet cornatis homo Eremwolfus quidam, qui turbidò rei Christianæ
statu utendum ratus, ovemque meotitus erroribus incautos involvit in iis po-
tissimum Bojarie partibus, in quibus nemo reperiebat, qui hominem pesti-
lentem, prout res postulabat, tum dignitate tum doctrinæ vigore infestaretur.
Et erat tanta mali vis, & corruptionis periculum, ut fama longè latèque serpe-
ret, & ad ipsum quoque Bonifacium tandem deveniret. Is, ut primùm de per-
versis hæretici hominis conatibus edoctus est, illicò in Bojariam advolavit, &
pestem hanc virulentæ doctrinæ ac militiæ suæ convictam è fidelium cœtu pro-
scripsit, atque ex Ecclesia ejecit: infectos verò ejus venenò rudiores Bojarie in-
colas sciora dogmata docuit, Ecclesias lustravit, puriora virtutum semina
sparsit, & ubicunque sese ingerebat occasio, ad Mooasteria excitanda piorum
animis stimulos addidit, certus, nihil opportunius erroribus, ac deceptioni-
bus populi opponi posse, quàm sacra religiosorum virorum contubernia. Porro
quæ per Bojariam Monasteria Bonifacii instinctu ooo ita multò post surrexerint,
dicemus suis locis. Eum ad Bojos Bonifacii adveotum scriptorum aliqui ad an-
num Christi 733. referunt, alii ad annum 736. differunt: qua in re nil certi sta-
tui posse videtur, cùm primarii vicæ Boofacianæ Scriptores nihil suggerant, ex
quo certum rerum gestarum annum eruere liceat. Existimamus tamen, veri-
tatem propiùs attingere, qui Bonifacii adventum ad annum Christi 733. aut so-
quentem consignant.

Doctrinam
orthodoxam
refellit.

Rebùs in Bojaria cum in modum quoad tum quidem fieri poterat, ad vota
dispositis, ad Sodales suos Boofacius rediit, Thuringiæ & Hassiæ negotiis in-
vigilaturus; parùm enim agere sibi videbatur Boofacius, nisi ageret omoia, &
ubivis gentium superstitionibus ac vitis bellum indiceret, optimo jure à Baro-
nio dictus *comitru filius*, eò quòd fulminis instar impictatis munitiones destru-
xerit. Et quoniam successu rerum laborumque suorum felicissimò pluribus an-
nois deinceps usus fuerat, aliàs verò nusquam adhuc Gregorio III. tum Ecclesiæ
clavum tenenti sese præsentem stiterat, Romam tertio proficisci statuit.

Tertium Ro-
mam venit.

Tertiam illam profectionem Romam contigit anno Christi 738. Scri-
ptores consensu tradunt. Magous Britanorum, Francorum, Bojorumque
numerus Sanctum Præsulem Romam secutus est: quæ res Viri sancti veneratio-
nem mirificè auxit. Romæ rursus maximis ab amantissimo Pontifice gratiis
cumulatus, & à Romanis omnibus in summa veneratione habitus fuit: cui
etiam

etiam ibidem diutius commorandum erat, ut concurrentia ad se populi multitudinis, ejusque alloquium, & pias adhortationes ardentem efflagitantem fieret facis. Porro dicto rursus Sedi Pontificiæ sacramento, reditum ad Germanos suos urgenti, Pontifex iterum ad Episcopos, Abbates, & Optimates Germaniæ literas dedit, eosque, ut morem Bonifacio veluti Romani Pontificis vices gerenti, in omnibus, ut par esset, gererent, serio commouit. Versantes tum in Bojaria, & Alemannia Episcopos peculiariter hortatus est, ut locum sibi deligerent, ubi Synodum cogerent, atque de constituendis Ecclesiasticis rebus salutaria consilia caperent.

Bonifacius dum in Germaniam redire festinat, ad Luitprandum Longobardorum Regem Ticinum deflexit, ibique benignè, uti antehac Corbinianus, habitus, & aliquamdiu detentus est. in Germaniam redit.

Interea Hugibertus Bojariæ Dux fati concesserat, eidemque successerat Utilo, à quibusdam Oatilo. Odilo, & Odilio & Ocilo, nuncupatus. Hæstant scriptores, num Utilo sanguinis jure, an alio nomine Ducatum tenuerit? qua in re neque nos quidquam statuere possumus, destituti instrumentis idoneis. De anno, in quem tum mors Hugiberti, tum initium Ducatus Utilonis, incidit, inter eosdem scriptores notabile dissidium reperimus, quod ut nonnihil expendamus, extra instituti nostri rationem non esse censemus. Utילו domi-
natur Bojaria.

Arenbeckius Utilonis initia refert ad annum Christi 735. *vel quasi*. Arenbeckio subscribit Avencius; & Aventinum alicubi ferè sequitur Mabillonius. Contra verò Chronicon antiquum Salisburgense, à P. Hieronymo Pezio editum, & à Scriptore usque ad annum Christi 1398. productum, designat annum Christi 739. cui calculum suum Velferus & Brunerus adjiciunt. Ast Mausolæum S. Emmerami & Adeltreiterus rem dubiam sive ad annum 738. sive 739. sive denique ad 740. referunt. Steindelius annum 740. absolute ponit Adeltreitero teste. In quo Historicorum dissidio nos in præfens nihil certi definituri, id unum discutiendum hic suscipimus, ad quos annos initia Utilonis non possint referri, quod occasione itineris Bonifaciani confecturos nos esse speramus. Ejus epocha.

Hæserat aliquantum, ut supra scribere cœpimus, Ticini apud Luitprandum Bonifacius, Româ in Germaniam reversurus. Romam accesserat annò 738. autumnò adultò; Non ita multò post, nempe circa initium anni 739. reditum ad Germanos instituit, uti Mabillonius bene probat in notis ad num. XXVIII. vitæ Bonifacianæ ab Othlono conscriptæ. In ipso reditu, cum iterum Ticini apud Regem nonnihil moraretur, non ab alio, quàm ab Utilone Duce in Bojariam invitatus est, quod nemo dubitat, idemque in Bonifacii vita discretè asseritur. Itaque initium regiminis Utilonis rejci nequitiam potest ad annum 740. ut manibus palpamus. Sed nec ad annum 739. consignari potest, ne dicendum sit, initium Ducatus Utilonis, & invitationem ab Utilone factam congnisse eodem planè tempore, nempe circa initium anni 739. quod utat impossibile non sit, dicere tamen duriusculum est. Itaque omnino decernendum videtur, initium Regiminis Utilonis saltem retrahi debere ad annum 738. id, quod suo loco, ubi de Josepho Episcopo agendum erit, adhuc certius innotescet, interea de his facis.

Bonifacius in Bojariam delatus, provinciam rursus multa & laboriosa morum, doctrinæque emendatione purgandam deprehendit. Enimverò licet antehac Eremwolfum lupum illum callidissimum è Bojaria eliminasset, vulgusque ejus doctrinis pestiferis infectum instillatos ab illo errores dedocuisset, non deerant tamen alii quidam sacrilegi, qui præterea Pontificia legatione amplissimam tractandorum sacrorum potestatem sibi commissam menirentur, atque in novos errores populum precipitent. Et verò tantò gravius invaluit mali magnitudo, quantò magis vulgus imperitum pastorum, doctorumque Bonifacius
quosdam
fiesdo-epi-
scopos è Bo-
jaria episc.

Orthodoxorum defectu patebat pessimorum inveteratorum imposturis. Tam pervicax tamen malum non fuit, ut Bonifacii operam, curasque elideret, quod, qua ratione effecerit Bonifacius, mox narraturi sumus.

Quatuor ibi
Episcopatus
instituit.

Perlustraverat diligentissimâ visitatione Bojariam Bonifacius, totumque serpensium errorum malum in Pastorum stabilium defectum redundare adverterat. Ergo Apostolica Autoritate fretus operi ingenti manus admovendas censuit. Collata fuere super constituendis quorundam locorum ordinariis Episcopis cum Utilone, ejusque Optimatibus consilia. Annuere illi Bonifacio, ut Bojariam universam in quatuor Episcopatus (*Parochias* tum vocabant) distribueret, eosque certis limitibus circumscriberet; ut, quas quisque Episcopus oves pascendas haberet, & de quarum instructione DEO, summoque Pontifici rationem redderet, omnes nosset, & fines alienos non invaderent, suos vero exacte curarent. Salisburgensi itaque Sedi, in Monasterio S. Petri erectæ præfecit Bonifacius Joannem Episcopum & Abbatem, qui in Monasterio Vinsbhelnsi Angliæ Benedictinam Regulam antehac professus, postea inter alios socios ex eadem Angliâ ab eo evocatus fuerat, ut ex Historia Salisburgensi discimus. Frisingensi Cathedrali, ac *Monasterio S. Corbiniani*, ut in quibusdam Instrumentis nuncupari recte alibi diximus, Erimbertum nostrum imposuit, jam antehac à suis electum, ut ex supra adductis apparet. Ratisbonensibus Præsulem dedit Gaubaldum, qui in Monasterio S. Emmerami episcopium suum constituit, uti ex Mausolæo ejusdem S. Emmerami constat. Vivilonem nuper ipse Gregorius III. Pontifex ordinaverat: qui proinde in Sede Pataviensi persistit. Bonifacius tamen illius, uti & cætorarum Diocesium, terminos descripsit, quoniam in loco recens instituti Antistites sacris carenoniis, & characterè Episcopali insigniti fuerint, incertum est. Dubium tamen vix esse potest, quin in sua quisque Ecclesia à Bonifacio consecrationem obtinuerit, adhibitis semper duobus, aut tribus aliis Episcopis, uti Bonifacius à Pontifice jussum fuisse supra exposuimus.

Lib. 8. Cap. 8.

Cap. 16.

A Pontifice
postea con-
firmatus.

Tocius negotii gesti seriem Bonifacius statim nuntiavit Pontifici: qui eorum successu mirè ex hilaratus, factum Bonifacii datis literis amore plenissimis commendavit, & prout optaverat Bonifacius, ad quaestiones quasdam propositas exactè respondit, ac non solum tres illos novos Episcopos, verum etiam Vivilonem instructioni, & correctioni illius subjecit, adjuncta insuper potestate, atque exhortatione etiam alibi terrarum, ubi res postularet, Episcopos Apostolica delegata Autoritate constituendi. Literæ illæ Pontificiæ tanti utique nobis esse debent, ut hic plenè recitentur, atque Bojorum animis inculcantur, itaque ex sic habent:

*Reverendissimo & Sanctissimo Fratri Bonifacio Coepiscopo
Gregorius Servus Servorum Dei.*

DOCTORIS Gentium egregii & Beati Pauli Apostoli vox est, dicentis: *Diligentibus DEUM, omnia cooperantur in bonum. Agnoscetes itaque in Syllabis fraternitatis tuæ, quia de Germania gentibus, quas sua pietate Deus noster de potestate Paganorum liberavit, & ad centum millia animas in sinu Sanctæ Matris Ecclesiæ, tuo conamine, & Caroli Principis Francorum aggregare dignatus est, sed & in Bojariorum provincia, quæ à te acta sunt, agnoscetes, Datori omnium bonorum Domino DEO nostro, extensis ad Cælum manibus gratias retulimus: quia januam Misericordiæ & pietatis in illis partibus Hesperii, ad cognoscendam viam salutis aperuit, & misit Angelum suum, qui preparavit viam ante te. Igitur quia judicasti perrexisse te ad gentem Bojariorum, & invenisse eos extra ordinem Ecclesiasticum viventes, dum Episcopos non habebant in Provincia, nisi unum nomine Vivilum, quem nos paulo ante*

ante ordinavimus, & quia cum assensu Uilonis Ducis eorundem Bojario-
rum, seu Opimacium Provincia illius, tres alios ordinasses Episcopos, & in
quatuor partes illam divisisti, id est in quatuor Parochias, ut unusquisque
Episcopus suam habeat Parochiam, bene & satis prudenter peregristi frater,
quoniam Apostolicam praeceptionem ex nostra vice implesti, & sicut tibi prae-
cepimus, ita egisti; itaque non desinas frater Reverendissime docere eos
Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanae Sedis traditionem, ut illu-
minentur rudes, & viam salutis teneant, per quam possint ad aeterna praem-
ia pervenire. Presbyteros autem, quos ibidem reperisti, si incogniti fue-
rint viri illi, a quibus fuerint ordinati, & dubium est, eos Episcopos
fuisse, qui eos ordinaverunt, si bonae actionis, & Catholici viri sunt ipsi
Presbyteri, & in Ministerio Christi, omnique lege sancta educati, ab Episcopo
suo benedictionem Presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic Ministerio
sacro fungantur. Illi vero, qui baptizati sunt per diversitatem & declinationem
linguarum gentilitatis, si tamen in nomine Sanctae Trinitatis baptizati sunt,
oportet eos per manus impositionem, & sacri Chrismatis confirmari. Nam
Virgilius Episcopus a nobis est ordinatus. Hic si aliquid excedit contra Canonica-
m Regulam, doce & corripue eum, juxta Romanae Ecclesiae traditionem, quam
a nobis accepisti. De Concilio vero, ut juxta ripam Danubii debeas celebra-
re, nostra vice, praecipimus fraternitati tuae Apostolica auctoritate, te ibidem
praesentari. Et in quantum tibi Dominus vires dederit, predicare verbum sa-
lutis non cesses, ut Religio Christiana in nomine Domini crescat, & multiplicetur.
Nec enim habebis licentiam, Frater, pro incepti laboris utilitate in uno
morari loco, sed confirmatis cordibus fratrum, & omnium fidelium, qui rare-
sunt in illis Hesperis partibus, ubi tibi Dominus aperuerit viam salutis, praed-
icare non desistas. Et ubi locum irveneris, secundum Canonicae Regulam
Episcopos ordina ex nostra vice, & Apostolicam atque Canonicae traditionem
eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis praemium tibi preparabis,
quoniam Omnipotenti DEO facies plebem perfectam. Non pigeat, Dilectissime
Frater, iumenta carpere aspera, & diversa, ut Christiana fides longe, late-
que tuo Conamine extendatur, scriptum namque est, arcta & angusta via est,
que ducit ad vitam. Operare itaque Frater opus bonum, quod cepisti, ut in
die Christi JESU merearis dicere: Ecce ego, & pueri, quos dedisti mihi, non
perdidisti ex eis quemquam. Et iterum, Domine quinque talenta dedisti mihi,
ecce alia quinque superlucratum sum. ut subsequenter merearis audire vocem
Domini dicentis; Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, su-
pra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Data IV. Kalend. No-
vembrii, Imperante Domino piissimo Augusto Leone, Imperii ejus anno XXIII.
sed & Constantini Imperatoris ejus filii anno XX. indictione V. III.

Hæc literarum Pontificiarum est formula: Cujus notas Chronologicae re-
spondere anno Christi 739. Eruditissimi Scriptores Mabillonius, & Pagius do-
cent. Tu interim bone Lector nunquam negabis, vera & sincera stabilito-
rum Episcopatum Bojariae initia, ac bene coordinatae Christianae Religionis
decora post DEUM, ac Pontificiam Sedem, Benedictinis potissimum
hominibus, ac praecipuis Sancto nostro Bonifacio Ger-
maniae Apostolo in acceptis esse ferenda.



§. IV.

Bonifacius cætera Pontificis iussa executioni mandat.

IN ea, quam ex Othlono mox recitavimus, Gregorii III. ad Bonifacium epistola, duo præcipuè injuncta fuisse conspicimus, nempe ut juxta *Ripam Danubii* Concilium convocaret: &, ubi suaderet rei Christianæ utilitas, etiam alios per Germaniam Episcopos institueret, Cathedrasque erigeret.

Bonifacius
anno 740.
nullum Con-
cilium cele-
bravit.

Baronius, ut ostenderet, Bonifacium Gregorii mandatis quanto cyùs fecisse factis, statim ad annum Christi 740. commemorat, Concilium à Bonifacio fuisse celebratum. Sed ballucinstum hic fuisse magnum illum, & doctissimum Annalium Ecclesiasticorum Scriptorem, vel ex eo unico constat, quòd is rem probet ex epistola Bonifacii, data ad Cuthbertum Cantuariensem in Anglia Episcopum. In ea enim epistola ait Bonifacius, se, jussu Pontificis Romani, & (quod accurate observandum) rogatu *Principum Francorum & Gallorum* Synodum congregasse. Id cum ex ipsius Bonifacii testimonio certum sit, planè non apparet, quomodo ea Synodus potuerit convocari anno 740? De aliis enim Principibus utique intelligi Bonifacius non potest, quàm de Carolomanno, & Pippino, Caroli Martelli filiis. Atqui anno Christi 740. nondum Regni habenas capessiverant duo illi Principes ac Germani Fratres, Patre primùm annò sequenti mortuò, uti, Pagiò teste, inter omnes convenit. Frustra igitur Synodus illa ad annum Christi 740. ponitur. Nec dubium est, quin ea ipsa, quam adduximus, ratio etiam alios permoverit, ut ab ea Baronii sententia recederent, ac primam Bonifacii Synodum ad annum Christi 742. & ad Zachariæ Pontificis tempora proferrent, qua de re singulariter consulendus est Pagiùs ad dictum annum 740. & 742. Ex quo tamen nemo prudens inferet, Bonifacium Gregorii III. Pontificis mandatis non obtemperasse. Duo enim præceperat Pontifex, nempe ut Synodum institueret: & Episcopos, ubi necessitas exposceret, novos consecraret. Posterius mandatum primò locò Bonifacius exequendum censuit: primùm verò in aliud commodius tempus transiit, optimà sanè ratione, nempe ut institutis priùs pluribus Episcopis, Synodus frequentior coalesceret, sicque majori Patrum numero de promovenda re Christiana consilia caperentur.

Non tamen
desuit man-
datis Ponti-
ficis.

Eiſterrenſem
Episcopatum
erexit.

Inter cæteros, quos Episcopali munere dignissimos Bonifacius censuerat, erat Wilibaldus ille, de quo in superioribus dictum est. Is, peractò Hierosolomitano itinere, decimò jam annò in ipso sacro Cassinensi Monasterio sub Divi Benedicti Regula vitam sanctissimè agebat. Hunc ut à Pontifice Bonifacius obtineret, eidem supplex factus est, rogavitque, ut Wilibaldus interposità Pontificiâ Auctoritate Romam evocaretur, ac postea in Bojariam mitteretur. Annuit Pontifex, ac Wilibaldum Romam vocavit, statimque, ut ad Bonifacium sese conferret, districtè præcepit. Paruit vir Sanctus, atque itineri sese continuò accinxit.

Egit interea Bonifacius cum Suitgario prædite Comite de Hirsberg, qui ad cultus Divini propagationem ingens terræ spatium Bonifacio obtulerat: conclusumque inter eos fuit, terram illam Wilibaldo esse conferendam, futuro dignissimo animarum Pastori. Monitus ea super re fuit Bojarie Dux Utilo, ad quem etiam Wilibaldus, statim, ac in Bojariam venit, se contulit, septena deinceps diebus in Aula commoratus. Rebùs in Aula peractis Wilibaldus ad Suitgarium Comitem primùm, postea uterque ad Sanctum Bonifacium apud Frisingenses commorantem instituit iter. Bonifacius viros Religiosissimos Frisinge cum maxima cordis læticia complexus, locum amplissimum, à Suitgario sibi oblatum, Wilibaldo contulit, & utrumque monuit, ut Eistertum (aliis

Eusta-

Eustadium, Aichstadium, & Aureatum dictum) sese conferrent, terram eosque incultam, Christianæ Religionis ferè expertem, lustrarent, ac de loco, in quo Monasterium conderetur, sedesque Episcopalis constitueretur, deliberarent. Paruere Wilibaldus ac Suitgarius, ac Iustratâ Provinciâ locum illum elegerunt, qui, ut nonnulli suspicantur, à quercuum copia, hodièque *Aichstet* dicitur. Inde Frisiogam uterque ad Bonifacium sese recepit, ubi etiam prima Nobilissimi Episcopatus Eistettenfis fundatio conclusa fuit, Comite uoiversam toparchiam offerente. Rebus ita conclusis Bonifacius & Wilibaldus cum Illustrissimo Comite Suitgario Frisingâ Eistettum concessere, ubi sacer Antistes Bonifacius Wilibaldum statim Presbyterii honore insigniuit, futurò primùm anò eum inauguraturus Pontificem. Id non contigisse primùm Annò Christi 746. manifestum fit ex eo, quòd Wilibaldus jam in prima Synodo Bonifaciana Annò Christi 742. coo vocatâ, comparuerit Episcopali charactere insignitus, ut ex ipsis Carolomanni Principis literis constat: ut adeò loogè verius primæva Eistettenfis Ecclesiæ institutio ad Annum Christi 740. referatur, ita scilicet, ut eodem annò locus Wilibaldo dicatur fuisse traditus, isque in Festo S. Mariæ Magdalene ad Presbyterii Ordinem ibi fuerit promotus: sequenti verò anò Christi 741. Episcopali dignitate auctus: ac demùm annò Christi 742. Myrâ Pontificiâ jam conspicuus ad Synodum venerit.

De iis rebus Lector benevolus consulere poterit Arenpeckii *Chronicon Bojariorum lib. 2. cap. 27.* apud P. Beroardum Pezium *Tom. III. Anecdotorum part. III.* Item Henricum Canisium *tom. 4. antiq. Lect. à pag. 475. usque ad pag. 513.* Acta Sanctorum Mabilionii *Sec. III. part. 2. a pag. 365. usque 392.* Ac rursus Mabilionii Annales Ord. S. Bened. *tom. 2. lib. 21.* Demùm Anxooium Pagium in Critica ad annos Christi 740. 741. & 742.

Sanè quò tempore Bonifacius Wilibaldum Episcopali charactere insigniuit, is quadragesimùm primùm ætatis annum agebat. Boofacio Wilibaldum consecranti cooperati sunt Burcardus Herbipolensis, & Wizo Buriburgensis Episcopi, ambo paulò ante consecrati Pontifices ab eodem Bonifacio, qui etiam Erfordiensibus Pontificem dederat Adalarium. Et hæc quidem omnia ad mentem Gregorii Papæ: cujus tamen Pontificis obitus io huic ipsum annum Christi 741. ac Mensè Novembrem incidit, postquam Carolus Martellus Franciæ Pro-Rex mensè Octobri eum io æternitatem præcellerat. Interea, uti speramus, luculenter demonstratum maoret, Bonifacium mandata Pontificis circa novorum Episcoporum institutionem sanctè fuisse executum: quod hic præcipuè probandum suscepimus.

Ad eandem fermè laudem Bonifacii insuper præcipuè pertinet, quòd Ejus potissimùm iostinctu plura insuper Monasteria per Bojariam fuerint coodita. Inter hæc primò fortè locò memorandum venit Monasterium Benediçtoburanum, cujus fundatores Landfridus, Waldramus, & Èlilandus supra laudati, crebris visitationibus à Bonifacio, cùm sæpiùs in Bojariam venisset, salutaci, monitisque saluberrimis incitati, non sua duotaxat omnia coostruendis pluribus Monasteriis tradidère, verùm etiam tandem sese ipsos Deo sub Divi Benediçi Règula manciparunt, sacro Habitu ab Ipso Bonifacio induiti, cùm primariam Ecclesiam Benediçtoburanam, ab iis ædificacam, bonori beatissimi Patris Benediçi dedicasset, quod in omnibus Chronicis Benediçtoburanis ad hos ipsos anos refertur, quibus Episcopatus à Boofacio in Bojaria, & alibi fuisse erectos hætenùs intelleximus. Fuisse ab eodem S. Bonifacio etiam sacris ritibus iniciatam Ecclesiam Monasterii in Altenmünster, Benediçtini tuoc Ordinis, ex vita Sancti Altonis maifestum est, quamvis de anno rei gestæ inter Scriptores dissidium sit. Nec dubitaverim ego, quin etiam Alberto & Okario Bonifacius sive adhortationibus, sive exemplis Auçtor fuerit, ut Tegernseensis, atque Illmense Monasteria conderent, quorum initia ad eosdem ferè annos pertinere infra videbimus.

Id factum est Frisingæ.

Alli Episcopi: tui Bonifacio iustitiam.

Monasteria coodita.

AG. II. O. 2. A. part. 1. 7. 8. pag. 115.

Et Cathedra-
libus Ecclesiis
adjuvata.

Cæterùm prope ipsas Cathedrales Bojariz Ecclesias ferè omnes eo tempore solita fuisse erigi Monasteria, aut Monasteriis jam erectis Cathedras Episcopales adjungi, explorata res est. Id enim factum esse Salisburgi, Frisingæ, ac Ratisbonæ nemo eruditus dubitat. Ipse etiam S. Wilibaldus postquam Episcopatus gradum accepit, in loco, qui dicitur Eistet, Monasterium construere incipiebat, atque ibidem sacram Monasterialis vitæ disciplinam in usum prioris vitæ, quod videndo ad S. Benedicium, nempe in Callinensi Monasterio, *Et non solum ibi, sed & in multis Monachorum mansionibus exploraverat, in semetipso ostenderet*, uti legimus in ejus vita, quæ extat apud Mabillonium *Sæculi III. Benedicini part. 2.* Hinc meritò Gretserus S. J. in observationibus in vitam S. Wilibaldi ait, certum esse, *Germanicum nomen Wînstet / quo multis in locis Ecclesie Cathedrales appellantur, à Monasterio descendere, quia primi illi Canonici vitam Monasticam profitebantur.* Ita ille.

742. 181.

Longissimum foret enumerare alia Monasteria, rum à Bonifacii Discipulis alibi: tum à Sancto Pirminio in Bojaria inferiori circa ea tempora erecta. Verùm ad nostrum propositum ea non ita prope accedunt, quibus hic solum disquirendum restat, num S. Bonifacius non tantùm expleverit jussu Pontificis in ordinandis pluribus Episcopis, verùm etiam in convocatione Synodi ad *Ripam Danubii*?

Bonifacii
Synodum
MABUCCI.

Diximus, Synodum aliquam Bonifacianam Bavaricam à Baronio perperam ad annum Christi 740. fuisse positam, eamque Bojariz Scriptoribus Velfero, Brunnero, Adelzreittero, ipsisque aded vitæ Bonifacianæ primariis Scriptoribus Wilibaldo & Othlono esse planè incognitam: quam etiam ignoravit Mabillonius, & Antonius Pagius operosè impugnavit. Fuisse verò postea à Bonifacio Anno 742. congregatam aliquam Synodum, certum est: sed locus, ubi celebrata fuerit, etiam accuratioribus Criticis manet incertus. Bonifacium Anno 742. Ratisbonam Episcopos convocasse, habetur etiam in Mausolæo Divi Emmerammi, cui applaudit Historia Salisburgensis Mezgeri: verùm cum nulli in eam rem antiqui Suffragatores idonei producantur, suspicari licebit, Mausolæi & dictæ Historiæ Scriptores ex eo duntaxat duxisse conjecturam de Synodo Ratisbonæ celebrata, quòd Gregorius eam jussit conscribi ad *Ripam Danubii*: id quod postea re ipsa contigisse tunc fatebimur, cum Canones illi Ratisbonenses fuerint producti, qui hætenus, quantum nobis constat, nulli comparuere. Interea primam Synodum Bonifacianam potiùs in aliqua Franciæ parte, quam in Bojariz Metropoli (Ratisbonæ) fuisse congregatam, certum esse videtur tum ex Othlono, qui eam in *Francia* fuisse celebratam testatur, tum ex ipsa Synodo, cum in ea nulla fiat mentio Episcoporum Bojariz, sed Franciæ duntaxat, & aliarum Regionum, Carolomanno, & Pippino subjectarum. Antonius Pagius suspicatur, Synodum ad *Ripam Danubii* fuisse impeditam sive ex morte Gregorii III. sive ob incompositam Ecclesiarum Germaniæ oconomiam, aut alias rationes incognitas. Nobis autem verisimile videtur, impedimentum illud provenisse ex *rogatu Principum Francorum, & Gallorum*, qui scilicet malebant Synodum congregari in aliqua urbiem suæ potestati subjectarum, quam Ratisbonæ, scilicet in Regia Bojariz, cujus Dux Utilo illo ipso tempore Gallorum & Francorum jugo sese, ac Provincias suas subtrahere, ac Regis titulum sibi assumere toto nisu conabatur, uti bellum sequenti annò 743. exortum luculentissimè demonstravit. Et fortè ea ipsa causa erat, cur in prima illa Bonifaciana Synodo nemo Episcoporum Bojariz comparuerit. Interea quidquid demùm de his omnibus sentire fortè aliis lubeat, certum est, Bonifacium Pontificiæ jussioni, quoad fieri potuit, in convocando Concilio obsecundasse. Neque dubium est, quin Bonifacius, qui Acta illius Synodi cum Cuthberto Angliæ Metropolitæ communicavit, ea etiam ad Bojariz Episcopos, à se institutos, transmiserit: quod itidem secutus etiam po-

S. Bonif. in ep. ad
Gallorum J. J.
Cœc. vol. 1955.
edit. Martini.

ribus contigisse circa Decreta Concilii Aquisgranensis, suo loco videbimus.

Canones ejus Concilii, Germaniæ primi, in Synodo sequenti Liptinenfi fuere confirmati, ut passim Scriptores, & Acta Conciliorum probant. Illos, cum sint prolixiores, malumus in partem nostram secundam Diplomaticam differre, ex quibus apparebit, eos nihil diversum continere ab iis, quos Bonifacius Cuthberto perscripsit, & Baronius ad annum Christi 740. non ita providè retraxit.

Bonifacius, quem hætenus nonnisi molendis pro Dei gloria rebus maximis religiosissimè insudasse perpeximus, etiam deinceps pro Dei Ecclesiam intra, tum extra Bojariam labores ingenres impendit, postquam à Zacharia Pontifice novam prædicandi in Bojaria Verbum Dei facultatem, eamque amplissimam impetravit. Verùm ea omnia percurrere non est hujus loci. Meritus tandem fuit, ut, postquam Gervilio Moguntinus Episcopus ob commissum homicidium dignitate sua motus esset, deinceps ipse præficeretur Sedi illi Moguntinæ, quæ in ipsius gratiam deinceps futura esset Metropolis totius Germaniæ, cui Frisingensem quoque Ecclesiam, tametsi in Norico sitam, usque ad initia Archiepiscopatus Salisburgensis fuisse subiectam, vix est, cur dubitemus, cum Gregorius III. Papa etiam Pataviensem Episcopum Vivulum sive Vivilonem correctioni Sancti Bonifacii subjecerit, veluti ex Ejus epistola supra recitata sit manifestum.

Agnovit olim Germania collata in se ab Apostolo suo Bonifacio beneficia, quæ hætenus utcumque recensuimus, & alia ferè innumera, quæ hisce inserere profusio nostri ratio non permittit. Bojariæ etiam seu Norici Episcopi Monasterio Fuldensi, à Bonifacio excitato, profusà liberalitate fuere addicti. *Extans fideles tabule* (inquit Brunnerus *part. 1. lib. 5. Annalium Boicorum*, Broveri antiquitates allegans) quibus Episcoporum Boica erga Fuldense Carnobium liberalitas est consignata. Salisburgensis Ecclesia ex Salinarum proventus talenta annua duodecim representavit. Ratisbonensis ex vinearum, fundorumque redditu olei tantum, quantum equi clivellarii duo lagenis deferrent: piscem insuper, insigni magnitudine, Esocem (Zausen vulgò) proprium Danubii solum. Eadem munera Batavensis Episcopus Vivulus cum fide misit: sed eò vitâ sancto, posteriores sue pietatis pœnituit. Casei in alpiibus pressi Erimberti Frisingensium Episcopi donum fuere. Wilibaldus verò Eislestensis Praeful omnem villam unius usumfructum Fuldensibus transcripsit. Tam prædiorum villarumque à reliqua plebe Fuldensibus adjectorum, vix iniri numerus possit.

Certe ex sola Alemannia, sive Suevia, & Boica aliquot milium donatio recensita, tam felicitis gleba & soli, ut fundus unicus indomitos equos octoginta, quinquaginta boves, porcos nonaginta saepe mitteret. Hæc Brunnerus. Imò hæc olim in Bonifacii reverentiam Germania, ac præcipuè Bojaria nostra. Olim, inquam, non verò hodie. Nostrâ enim ætate, cum plurima quidem de extimarum gentium Apostolis etiam vulgus non ignoret, de propriæ patriæ Apostolis scitur aut parùm, aut nihil; & quæ domesticæ sunt, vilia sunt, & negliguntur. Sola ferè extranea, & nova placent. Quod quàm sit à ratione alienum, & in Deum, gentisque propriæ Apostolos incurium, etiam cæci vident.

§. V.

Profanus Bojariæ status sub Erimberto Episcopo.

Expendimus hætenus, quid ab aliquot annis Hierarchæ Romani Gregorius III. & Zacharias Pontifices, atque Apostolicus sanctæ Sedis Legatus Bonifacius præstiterint ad animarum salutem in Bojaria procurandam. Nunc res postulat, ut etiam paucis agamus de profano per eos annos statu:

*Act. Hist. Boicæ.
7. p. 4. col. 1919.*

Part. ab. n. 3.

*Fit primus
Archiepiscopus
Moguntinus.*

*Antiqua Ger-
maniæ erga
Bonifacium
gratitudo.*

*Mem. 2. pag.
674.*

statu: absque cujus noticia Erimberti nostri reliqua historiola mutila foret, & obscura.

Carolus Martellus.

Quò ferè tempore Erimbertus noster Ecclesiam istam Frisingensem suscepit regendam, Theodorico Franciæ Rege Anno Christi 737. mortuò, secutum est Interregnum spatiò propemodùm quinque annorum, quibus Carolus Princeps, cognomentò Tudes, seu Martellus, regnavit usque ad annum 741. uti in Chronologia brevi Sæculi III. Benedictini Mabillonius tradit. Filios ex legitima uxore Carolus duos habebat, Carolomanum, & Pippinum, de quibus suprà meminimus; Filiam verò Hiltrudem. Ex Sonichilde Boja alium

Regum Carolomanno & Pippino filios distribuit.

Filium sustulit, Gripbonem nomine. Carolus Princeps, cum mortem sibi instare intelligeret, Regnum inter duos illos priores Filios partitus est, Pippino Neustriã, eã nempe Galliæ parte, quæ Occidentem potissimum respicit: Carolomanno verò Austriã, seu eã alterã parte, quæ Gallia, imò Francia Solem Orientem excipit, traditã.

Gripbone regisio.

Gripbonis sive natalium vitiò, sive tenerioris ætatis prætextu, nulla ratio habita est: & tumultus ab incauto Juvene tum quidem suscitã, brevi habuere finem, postquam is expugnato, quod occupaverat, Laudunò à fratribus datus fuit in custodiam. Indignissimè interea id tulit Gripbonis Mater Sonichildis, astuque fãmineò ultura contemptum, suadã quadam muliebri consilium suggestit Hiltrudi, ut dehis fratribus, à quorum dominandi libidine nonnisi tyrannidem, & parem cum Gripbone foret expectare possët, in Bojariam fugeret, ubi absque dubio ad thorum præpotentis Principis assumenda esset. Et profectò placuit consilium Hiltrudi, quippe quæ rebús suis clam dispositis è Gallia in Bojariam feliciter delata est.

Hinc rubræ.

Utilonis Ducis cum Hiltrude conjugum: ex quo Tassilo.

Bojis, ut alibi vidimus, eã tempestate Utilo Dux præerat, ingentis spiritus Princeps. Hic ut primùm profugam è Gallia nobilissimam Virginem conruitus est, eam in sponfam sibi elegit, atque ex ea sequenti statim annò natum sibi Tassilonem filium vidit. Et hæc quidem omnia communi Scriptorum calculò comprobantur; inter quos tamen controversia intercedit, cuinam scilicet æræ Christianæ anno Nativitas Tassilonis respondeat? ex cujus dubii solida decisione, cum plura alia pendeant, operæ pretium facturi videmur, si rem breviter quidem, ast non indiligenter discusserimus. Diverfa Scriptorum placita paucis referimus. Arenbeckius Tassilonis Nativitatem reponit ad annum Christi 740. Aventinus, quem sequitur Scriptor Mausolæi S. Emmerami ad annum 741. Oculatiores verò Bojorum Historiographi Velferus, Raderus, Brunnerus, Adelzreiterus, Rettenbacherus ad annum 742. designant. Alii denique cum Steindelio ad annum 743. differunt.

Ex his neque Arenbeckii, neque Aventini opinionem sustineri hodie posse, certi sumus: quod facillè conficimus. Martellus ex calculo hodiè recentissimo obiit annò Christi 742. mense Octobri, ut suprà jam monuimus. Secuta est Regni divisio inter Carolomanum, & Pippinum. Huic successit Lauduni à tumultuante Gripbone occupati obsidio. Hinc deditio, & ipsius Gripbonis in custodiam retrusio. Subsecuta fuere enarrata Sonichildis consilia: fuga Hiltrudis è Gallia in Bojariam, ejusque cum Utilone Duce connubium. Quæ omnia, si intra semestre contigisse dixerimus, rebus hisce gestis nonnisi arctas temporis angustias constituemus, & Utilonis interim cum Hiltrude nuptias ante mensè Aptilem sequentis anni 742. non fuisse celebratas dicere cogemur. Demus deinde, quòd posthac statim intrã novem mensium intercapedinem ex Ducali illo thoro natus sit Tassilo, propiùs sãe fortassis erit, ut ejus natalem lucem ad annum 743. quàm ad annum 742. ne dicam 741. reponamus: quod eruditi Lectoris crisi lubentes committimus. Et hæc quidem de Tassilonis nativitate.

Utilo regum dignitatem meruit.

Inter hæc Utilo sive gloriã Prædecessorum suorum, sive ambitione Majorum Domús Franciæ, quibus ipse bastenùs ad evertendos, atque ejiciendos è Galliã

Galliis Saracenos maximam opem, validissimamque manum contulerat, excitatus, posito Ducis nomine Rex appellari voluit, nihilò inferiorem se ratus iis, qui Regiò quidem Franciæ tituló abstinerent, sed reapse nonnisi imaginarium Regis nomen alteri (Chiliderico) permitterent, ipsi verò tam Regi, quàm populus liberrimè jus dicereat, ac rerum potirentur.

Ea Utilonis consilia veluti Franciæ Majestati illatam injuriam jamdiu interpretati Carolomannus & Pippinus, cùm aliis gravioribus bellis feliciter defuncti essent, tandem anno 743. Arma in Boicum movent. Neque sine Regia armatorum multitudine hostibus occurrit Utulo usque ad Lycum fluvium. Verùm sive quòd Carolomannus ac Pippinus militum numero aut alacritate prævalerent, sive quòd Boji exiguam in Ducis sui Utilonis causa fiduciam ponerent, turbatis à Franco Milite Bojorum ordinibus, ultra Oenum Utulo fugatus, & ad mi-
Et Franco-
nam in se
arma condi-
tal.

Et Franco-
nam in se
arma condi-
tal.

Quibus cede-
re cogitur.

tiora consilia conversus, sequenti anno Christi 744. cum Francis pacem constituit, & Regis titulum abiecit.

Non obstant eæ per Bojariam turbæ, quo minùs egregias interim radices in ea Provincia ageret Christiana Religio, cùm & Utulo, & alii Viri Illustres passim Religiosa per eam Provinciam contubernia excitarent, quidam etiam ipsos in iis DEO consecrarent. Inter cœnobita illa præcipuò locò commemorandum venit suprà laudatum amplissimum Tegernseense Monasterium, cujus opulentissimi, nobilissimique Conditores fuere Adalbertus quidam, & Okarius, germani fratres, sive ex Bojaria sive Burgundiæ Ducum, Regumque sanguine exorti. Ex iis Adalbertus in primum Abbatem lectus, tantà Sanctitatis famâ eidem præfuit, ut Monachorum numerus ad centum quinquaginta excrevisse dicatur: quibus omnibus alendis abundè provisum erat à profusissima Fundatorum pietate. Erimbertus noster Ecclesiam illam circa annum Christi 746. Ritum Christiano Divini Numinis, ac S. Petri & Pauli Apostolorum honoribus consecravit, cooperantibus sibi Joanne Salisburgensi, atque Garibaldo Ratisbonensi Episcopis, ut monumenta Tegernseensia probant, & Arenboeckius tradit.

Monasterii
Tegernseensis
primordia.

P. Serr. Pro-
Annot. T. 3.
p. 3. Col. 452.
Chron. Sax.
Cap. 39.
Et illiusmodi
seu limuliter.

Nec dubium cuiquam esse debet, idem præstitisse Erimbertum nostrum Illminensi Monasterio, eorundem Fundatorum grandi liberalitate erecto, cui primum Abbatem præfectum fuisse tradunt Utonem, fundatoribus affinitate conjunctum. Addidèrè viri illi gloriosissimi duobus hisce Monasteriis Collegium quoddam sæcularium Canonicorum S. Hippolyti. Verùm quia illud situm erat in Ripensi Norico, nempe in hodierna Austria inferiori, ad Erimberti curas non pertinebat. De eo agit Vir Cl. P. Hieronymus Pezius T. 1. de *Scriptoribus Rerum Austriacar. pag. 739. Et seqq.* ubi etiam tradit, ad illum fluvium conditum fuisse statim ab initio Collegium sæcularium Canonicorum; verùm aliter habet Hundius in Metropoli, qui videri potest, & nomen *Illminster*, seu *Ibni Monasterium*, ei opinioni luculenter refragatur. Cui accedit, quòd constat, ei Monasterio præfuisse Abbatem B. Lullum, Divi Virgilii spocium, ut infrà sub Aribone Episcopo dicemus. De aliarum Diocesium Monasteriis hoc tempore per Bojariam institutis hęc agere, nostrum non est.

Cæterum postquam ea ipsa ætate, nempe circa annum Christi 746. Carolomannus, florentissimus Princeps, ejuratis spèbùs caducis in Italiam, ac Monasterium Montis Soractis primùm; postea in ipsum Divi Benedicti Cassinense contubernium stupente toto orbe fecerant, atque ibidem Monachum induerat, universis Regni Curis Pippino relictis, Gripho, teste Anaalista Metensi, ab eodem Pippino dimissus è custodia, insuper habito fratris favore, rursus Regnum ambire, rèsque novas moliri cœpit. Itaque ad Saxones primùm (inimicam eo tempore Francis gentem) delatus, verùm inde repentino Pippini adventu ejectus, ad Bojos cum tumultuariis copiis venit, imparatos opprimit, Hiltredem forem suam, & Tassilonem suum ex ea Nepotem in deditionem accipit, & neminè resistente jura Bojia dicere incipit. Absentem eo tempore,

Caroloman-
nus Princeps
et Monas-
terium Cassi-
nensis.

Griphone
ractus sumel-
tuante.

aut morbo impeditum Utilonem fuisse facilitè mihi persuadeo: cùm Scriptores, ubi de novis illis Griphonis tumultibus agunt, nullam Utilonis mentionem ingerant; mortuum eo tempore fuisse Utilonem Scriptores quidam opinantur. Verùm gratis id asseri, nos suò locò certissimis argumentis demonstrabimus.

Interea non tulit illatam tum forori tum Nepoti suo injuriam Pippinus. Itaque cum maximo Exercitu delatus in Bojariam, Griphonem inde eiecit, & Tassilonem, adhuc parvulum, Ducem dixit: ab eoque anno Tassilo deinceps annos sui Ducatùs numerare solitus est, uti inter cæteros R. P. Simon Rettenbacher eruditè advertit.

Tassilonis
epocha
Annal. Crem-
fens. lib. 1.
p. 17.

Sed nempe quisnam censendus sit annus Tassilonis primus, à quo is epocham sui Ducatùs duxerit, hoc opus, hic labor est decernere, Scriptoribus rursus in diversas opiniones distractis. Neque otiosè agendum esse in designanda epocha illa, monent nos documenta sanè multa, à Tassilone subscripta, quæ impostèrùm accuratè tractanda occurrent, ut certos rebus gestis annos (quoad equidem fieri potest) deinceps assignare valeamus. Arembeckius in *Chronico Bojariorum lib. 2. cap. 8.* tradit, Tassilonem iniisse Ducatum vivente adhuc Genitore anno 747. quem sequi convincitur Laudatus P. Simon Rettenbacher, eruditus Annalium Cremifanensium Scriptor, dum *lib. 1. cap. 8.* initia illius Monasterii ponit ad annum 777. quem Thassilo in Diplomate vocavit annum Ducatùs sui tricesimum, quamvis ipse P. Rettenbacher antehac *cap. 7.* in annotatione marginali decima alium annum designaverit. Subscribit eidem Arembeckii sententiæ etiam eruditissimus Mabillonius. Contrà verò Annales Bertiniani & Regino malunt ponere annum Christi 748. atque eidem opinioni à Rerum Boicarum Scriptoribus calculum suum adicere videtur Adelzreiterus, & ex extraneis Pagius. Communior verò Scriptorum sententia primordia Ducatùs Tassilonis transfert ad annum Christi 749. Ita enim habent Annales Francorum Fuldenfes: item Annales Eginhardi Metenses, & alii, uti videre est apud Marquardum Freberum *de Rerum Germanicarum Scriptoribus T. 1. editionis tertiæ Struviana*; quibus è nostris Boicis Historiographis Viri eruditissimi Velferus, & Brunnerus accedunt. In hoc Scriptorum dissidio, & rerum Caligine censemus omninò eligendam esse sententiam, secundò locò positam, ita ut epocha Ducatùs Tassilonis incidat in annum Christi 748. uti epocha Regni Pippini, teste Pagio & aliis, certissimè ponenda est anno 752. Cape, Lector benevole, mentem nostram ex hoc scemate, ad dissipandas tenebras, uti speramus, non ineptò, & infrà quasi ad oculum demonstrandò.

Annus Christi.	Ducatùs Thassilonis.	Unctio Pippini.
748 ^m	1 ^m	- -
749	2	- -
750	3	- -
751	4	- -
752	5	1 ^m
753	6	2
754	7	3
755	8	4
756	9	5
757	10	6
758	11	7
759	12	8
760	13	9
761	14	10
762	15	11
763	16	12
764	17	13

765	18	14
766	19	15
767	20	16
768	21	17

Qui idem annus fuit Pippini ultimus, Caroli verò filii primus. Sed concinuum schema.

769	22	Caroli, 2
770	23	3
771	24	4
772	25	5
773	26	6
774	27	7
775	28	8
776	29	9
777	30	10
778	31	11
779	32	12
780	33	13
781	34	14
782	35	15
783	36	16
784	37	17
785	38	18
786	39	19
787	40	20
788	41	21

Quo anno Thassilo exautoratus, & in Monasterium detrusus est.

Ut hujus Schematis veritatem demonstremus ad oculum, alia re non indigemus, quàm coævis instrumentis, hæctenus nunquam in lucem productis. Et ecce tibi optima!

Legimus in aureo illo, ac vetustissimo, sive primo Traditionum Frisingensium libro Traditionem *Timonis de Toalbach*, factam sub Josepho Episcopo, in qua notæ Chronologicae hæc ponuntur. *Anno secundo Regnante excellentissimo Pippino Rege, quando Dominus Apostolicus in partibus Gallia venerat, anno sexto Tassilonis electissimi Ducis.* Quæres modò, Lector, quis sit annus, quo Dominus Apostolicus, nempe Stephanus II. (aliis III.) in Galliam venerit? Respondet Baronius, id contigisse anno Christi 753. & post Baronium id ipsum Pagius asseverat. Rectè. Ergò annus Christi 753. fuit Pippini secundus, Tassilonis sextus, uti accuratè Schema nostrum exhibet; sed ad alia Testimonia.

Sequitur in eodem libro rursus alia donatio, quæ facta dicitur *anno IV. Regnante Domino Pippino illusterrimo Rege, & in VIII. anno Tassilonis Venerabilis Ducis.* Ubi rursus videmus, initia Regiminis Tassilonis iterum integro ac completo quadriennio præmitti initio Regiminis Pippini: iisque notis Chronologicis designari annum Christi 755.

Rursus in eodem venerabili Codice exprimitur alia donatio facta *Regnante Illustrissimo Rege Domino Pippino anno octavo Regni ejus: & Venerabile Duce Tassilone anno 12. Regni ejus, indictione XII.* Ubi iterum quatuor completis annis epochæ Pippini & Tassilonis distant, Chronologicis hæc notis annum Christi 759. designantibus, etiam Indictione optimè respondente. Ergò verum manet, Epocham Tassilonis duci non posse, nisi ab anno CHRISTI 748. Quam sententiam etiam egregiè fulciunt Antiquissimi Annales Ratisbonenses continuati nonnisi usque ad annum Christi 820. ac editi à Mabillonio nostro *R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.* F 2 *Tom.*

Tom. 4. *Analec.* pag. 476. ubi sic habetur. *Anno à Nativitate Domini DCC. XLVIII. Pippinus Grifonem de Bajorraria expulsi, & Tassiloni Ducatum dedit.*

Schemati oostro etiam accuratè consonat illud ex vita S. Ruperti. *Anno Incarnationis Domini 773. dedicata est primò Ecclesia S. Rudberti à S. Virgilio, anno 26. Regni Tassilonis Ducis.* Quibus Testimoniois oihil addendum esse censuimus, atque opinamur, eos, qui haftenùs aliter scripsère, promptò animò nostræ sententiæ fuisse accessuros, si Instrumenta vidisset, quæ nobis præ oculis ac maibus habere concessum est, maxime cùm ooo appareat, in quoniam chartario sinceriora ac vetustiora de Tassilooe Boico Principe reperiri possint Instrumenta, quàm io hoc Frisingensi. Interim, licèt quinquennem, aut ad summum sexennem puerulum Tassilonem jam fuisse anoo 748. Ducem appellatum certum sit, non debebant tamen ex his quidam Scriptores iofferre, Utilionem eò annò fuisse mortuum. Nam ut Pippinus parvulum Tassilonem, suum ex Sorore Nepotem, singulari amoris privilegiò appellaret Ducem, opus non erat, ut Utilo esset sive mortuus, sive exauctoratus, quia utique parvulo illi non fuit idcirco delatum Provinciæ imperium statim capessendum, sed spes raorum, & jus successioneis, ac quedam cum Patre io Ducatu Societas. Sic enim etiam ipse Tassilo annò sui Ducatùs tricesimò filiolum suum Theodooem vocavit Ducem, addendo, *Anno etiam Ducatùs ejus (Theodonis) primo,* absque eo, quòd ipse Tassilo aut statim mori, aut Ducatu se abdicare cogitaret, uti suo tempore luculenter demonstrabimus in Diplomate fundationis Cremifanensis annò Christi 777. factæ. Saoè Utilionem diu adhuc supervivisse, ac Bojariz etiam præfuisse, postquam Pippinus Tassilonem Ducem appellavit, ex iis meridiaò luce clariùs apparebit, quæ sub Josepho Episcopo III. gesta fuisse commemorabimus. Nunc his ita discussis ad pertexendam Erimberti nostri historiam revertimur.

Tassilo Dux appellatur, quoniam Tassilo inter vivos adhuc supervivisse.

§. VI.

Cætera gesta, & obitus Erimberti Episcopi.

UTur Erimberti Sacrum Regimen in ea, quæ haftenùs descripsimus, turbida Bojariz tempora inciderit, non desunt tamen Instrumenta, quibus pia fidelium quorundam erga Domum Beatæ Mariæ Frisingensem liberalitas ea ætate commendetur. Occurrit primò locò donatio quorundam bonorum in vico Zollinga, trans Ambronem fluvium sitò, Frisingâ ooonis unico milliari germanico distante, Frisingosi Ecclesiæ à Moatberto quodam, eiuſque conjuge Totana sub Utilone Duce, atque Erimberto Episcopo facta. Instrumentum tum ob insignem antiquitatem, tum ob ootam Chrooologicam statim hic inferendum ceosumimus; sic igitur habet:

Donatio in Zolling.

Dominus noster *IESUS Christus* ac Redemptor omnium per sanctum Evangelium clara voce intonat dicens: *Theſaurizate vobis thesauros in celo, ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Ego tamen Moatbertus unà cum conjuge mea Totana nomine in quantum potui hujuscemodi exemplum secutus, tradidit ad domum Sanctæ Mariæ semper Virginis in loco Frisinga, ubi Erimbertus Episcopus Sacerdos præesse dignoscitur, quicquid Pater meus Pesto mihi in hereditatem reliquit in loco, quod dicitur Zollinga, seu quicquid ad me legibus pertinere videbatur, in omnibus trado atque transfundo ad jam dictum domum in manus Erimberti Episcopi in presentia cuncta familia sancta Maria, id est, casus, curtes, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus,

bus, mancipias, jumentas, pecudes, & omnem utensilium in ea verò ratione firma donatione, ut post obitum meum & conjugæ meæ, hereditas mea hæc pro me & meis hereditas sit Sanctorum in perpetuum ut si quis de Hæredibus meis, vel qualibet opposita persona contra hæc donationem venire vel frangere valuerit, inprimis iram Dei incurras, & omnium Sanctorum atque Angelorum agmina extraneus permaneat, & insolubile vinculo damnatus sit, & quod repetit, evindicare & Judice terreno culpabilis sit auri D. solidos, & quod retulit restituat quadruplum & donatio ista firma & stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum in Castro Frisinga mensis Septembris die XII. anno Gloriosissimi Ducis Ottilonis VIII. † Signum Moatberti, qui hæc donationem fieri rogavit, & Conjunx ejus Totana simul cum illo consentiens & firmans: † Signum Quartini Presbyteri. † Signum Felix Presb. † Signum anulo judicis. † Signum Reginoni Judicis. Signum Cunoni. † Signum Sindo. Signum Maurini. † Signum Hroado. † Signum Hroadunc. † Signum Wrmharti. † Signum Reginolf. † Signum Reginpaldi. † Signum Cundpaldo. † Signum Cympho. † Signum Chunni. † Signum Birtilo. Signum Aro. Ego benigne ac si indignus Presbiter scripsi & subscripsi Ottilone Duce confirmante.

Ex hujus vetustissimæ Membranzæ Chronologica Nota intelligimus, Donationem istam factam esse anno Christi 745. cum epocham Utilonis Ducis ad annum Christi 738. supra constituerimus.

Cæterum tamen nullum aliud instrumentum Donationis, sub ipso Erimberto exaratum, occurrit, ex iis tamen, quæ in subsequenti Josephi & Aribonis Episcoporum actis recensēbimus, manifestum fiet, non solum hæc, sed plures etiam alias donationes in Helfendorf, Tullingen & Dirnzhausen, sedente Erimberto Frisingensi Ecclesiæ accessisse. Plura instrumenta cum ipse Cozrohus non inveniit, ea cum aliis jam eo tempore peritissis censēbimus, quod ipse Cozrohus in suo Proœmio deplorat, ut suo loco sub Hittone Episcopo monebimus.

Ab hoc Episcopo consecratam fuisse Ecclesiam Sancti Emmerammi in Helfendorf, loco scilicet, Marryriò Ipsi Sancti Episcopi illustri; itidem constat ex Instrumento, tempore Aribonis conscriptò, quod iterum suo loco referemus. Idem Episcopus Ecclesiam in Biberbach Deo dedicavit. De Tegernseensi Ecclesia sacris ritibus initiatâ jam alibi diximus.

Certum est, obiisse Erimbertum Calendis Januarii. Id enim non solum domestici Episcoporum Catalogi, verum etiam Kalendarium vetustissimum Frisingense, quod vidit & exscripsit P. Gamantius S. J. Vir autem Clariss. Eccardus Hannoveranus excerpta illius nobiscum communicavit. Annum verò (more suo) non designarunt Scriptores veteres: & posteriores in eo designando non conveniunt. Video, in Chronico Domestico tertio poni annum Christi 749. In primo & secundo annum 751. In quinto & sexto annum 758. alibi 750.

Sanè qui Documenta Documentis consulere, mortem piissimi hujus Antistitis ultra annum 749. differri vix posse deprehenderunt, uti in consequenti bus apparebit.

Præfuisse censetur Erimbertus Ecclesiæ Beatæ Mariæ Frisingensi, & familiæ S. Corbiniani, Abbatis quidem nomine ac munere annis novem: deinceps verò velut Episcopum annis decem. Tumulo illatus est Erimbertus prope aram S. Matthæi in Ecclesia Cathedrali: ubi cum anno Christi 1699. die 29. Augusti jussu hodierni Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Episcopi JOANIS FRANCISCI aperirentur sepulchra complura primorum Loci Episcoporum eò consilio, ut area Cathedralis Ecclesiæ, eousque inæqualis & gibbosa, majoris decoris ergò complanaretur, ac via sterneretur illic è sacro Vestitario seu Sacratio ad aras progredientibus Sacerdotibus commodior, inventum est

Kalend. Frising. de Anno MDCCVII. Sepulchra Erimberti.

Erimberti Corpus, in quo hæc potissimum fuere notata. Caput erat oblongum, è quo nonnisi dentes tres desiderabantur. Eidem Capiti imposita erat Mytra, antiquò, sed perquam artificiosò opere filis aureis contexta. Dignus ornatus erat annulò aureò, cui insertus cernebatur sapphirus. Tota annuli rotunditas deprehendebatur instar canaliculi, in medio vacua. Pedum Pastorale non spectabatur integrum, sed majori duntaxat sui parte ibi repositum. Sandalia (calceamenti scilicet genus, quò Episcopi Sacris solenni ritu operantes utuntur) erant fibulata ex corio variè inciso, quod antiquis illis temporibus Ecclesie mos postulabat, quo scilicet significaretur promptitudo Episcopi ad prædicandum verbum Dei, uti apud Dominicum Macrum in suo *Hierolexico* advertit Albinus de *Divinis Officiis*. Idque etiam è accuratius exprimitur in Sandaliis Erimberti, quò parte sui anteriori sint acuta, eà ferè figurà, quæ hodièque Hungaris est usitata. Supererant insuper partes notabiles, atque preciosæ vestimentorum sacrorum, quæ funeri fuisset Erimberti superinductæ fuerant. Mirabamur etiam (nam & mihi paulò pòst rem omnem oculis conspicerè, ac manibus contrectare licuit) inbarrentes sacris illis vestibus ternites, quo nomine vermium, ex carnibus putrefactorum corporum nasci solitorum, genus intelligimus. Auxit admirationem sanguis in densitatem concretus; ut planè stupore defixi hæreremus, quòd ex corpore, jam ante annos plus quàm nongentos tumulatò superessent indicia talia, qualia ferèpissimè alia defunctorum corpora nec post annos viginti duntaxat habere solent. Corpus illud Venerabile, cùm primùm operarii satisfecissent mandatis, in novum, sed meliorem tumulum compositum est. Erimberti fuisset eas exuvias æstimabatur ex traditione antiquissima, & Chronicis domesticis, quæ docent, Corpora primorum S. Corbiniani Successorum fuisset juxta tempora ac ordinem mortis tumulata prope Aram S. Mathæi: item ex consuetudine antiquissima, quâ ipsis Calendis Januarii locus ille insternebatur pannò nigro accensis tribus cereis: uti etiam die 2. Novembris, quo Commemoratio omnium defunctorum fidelium peragitur: item ex ipsius sepulchri forma humili, cùm subsequenti Episcoporum sarcophagi fueriat deprehensi ex lapidibus, hic verò Erimberti nonnisi ex argilla, seu terra figulari. Cæterùm de Erimberto in libro Traditionum quarto seu magno sequens distichon legimus:

*Mundo defunctus Pater Erimberte secundus
Fratrem consequeris proximus & meritis.*

Erimberti ætate, & quidem annò Christi 747. Divum nostrum Bonifacium à Zacharia Pontifice datum fuisse sponsum Moguntinæ Ecclesie, in ejus gratiam factæ Metropoli totius Germaniæ, alibi diximus, & passim Scriptores meminere. Ac sic demùm in eandem nostram Germaniam introducta fuit Hierarchia sacra, ad promovendam rem Christianam tantis vocis à Summis Pontificibus, bonisque omnibus desiderata ac suspirata.

Quinam ex Monachis Divi Corbiniani Sociis tempore Erimberti in erecto Frisingensi Conventu superfuissent, non ita constat, cùm, ut diximus, nonnisi unicum Instrumentum superfit, quod Erimberti tempore confectum est. Superfuisset autem plures, certum omninò omnibus esse debet, quia ab iis Erimbertum fuisse electum, ex Diplomate Cæsareo suprâ evicimus.

Referuntur in illo Erimberti Instrumento inter testes *Quartimus Presbyter, Felix Presbyter, & Benignus Presbyter*. Nomina verò illa plurimùm abhorere ab asperitate vocabulorum, quæ ea ætate inter Bojarios usitata erant, vel ex solis Instrumentis Frisingensibus palpabile est. Unde eos fuisse Monachos, sive à Corbiniano, sive ab ipso Erimberto olim aliunde Frisingam adductos, pronum est suspicari. Neque ullâ ratione obstat, quòd nomen Monachi in Instrumento non adjiciatur. Id enim causæ nostræ nihil officere in superioribus semel iterumque pluribus demonstravimus: quibus plura hic adijcere non vacat.

Quòd-

Quòdſi ad annum Chriſti 749. mortem Erimberti benè retulimus, conſequens eſt, ut dicamus, eum obiſſe annò ſacri ſui Frisingenſis Regiminis univerſim decimò nonò, Pontificalis verò dignitatis decimò: Zachariæ Pontificis nonò: Imperatore Orientis Conſtantinò Copronymò: Rege Francorum Childericò: Majore Domùs Pippinò: Utilone Bojariz Duce, neutiſquam tunc jam mortuò: & Taſſilone parvulò nondum quidem rerum Bojariz potente, ſed tamen Duce designatò. Salisburgenſibus ſacra jura adhuc diſpenſabar Joannes Episcopus, idèmq; Monasterii S. Petri Abbas: Ratisbonenſem Eccleſiam etiãnum regebat Garibaldus: Patavienſem Beatus, qui Vivilo ſeu Viviloni ſucceſſerat. Quis verò Sabionenſi Eccleſiæ eò annò præfuerit, ignorare nos ultrò fatemur. Erimberti nomen Salisburgenſes noſtri in Necrologio ſuo, ac libro Societatum ſtatim poſt Vivilonem Patavienſem poſuere: poſt Erimbertum verò Beatum, itidem Patavienſem Episcopum, qui in Catalogis Episcoporum Patavienſium, quos Hundius, & P. Gabriel Bucelinus recentent, deſideratur, uti Mabillonius noſter optimè demonſtrat; cujus ſententia ex laudato vetuſtiſſimo Codice Petrenſi ſolidè roboratur. Nunc ad Joſephum, Episcopum tertium, gradum faciamus.

Tom. 4. 1000.
Annot. pag.
127. O 124.

CAPUT III.

De Joſepho, Episcopo
Frisingenſi III.

§. I.

*Joſephi electio: Eccleſiæ Frisingenſis incrementa:
atque Iſanenſis initia.*

EXtat in libro primo Traditionum Frisingenſium Inſtrumentum quoddam donationis factæ ad Eccleſiam Cathedralem B. V. Frisingæ, expeditum ſub Joſepho Episcopo annò Utilonis Ducis duodecimò, die XII. Februarii, quod paulò inferiùs adducemus. Atqui annus duodecimus Utilonis alius non eſt, quàm Chriſti 749^m eòdem Utilo experit Ducem annò Chriſti 738. ut alibi diximus. Includendo autem annum 738. & 749. deprehendimus, annum illum Utilonis fuiſſe duodecimum, quamvis adhuc nondum completum, uti attentè expendentibus fiet manifeſtum. Itaque factis certum eſt, annò 749. die 12. Februarii Joſepbium jam fuiſſe electum in Episcopum, Erimbertò præcedentibus Kalendis Januarii ejusdem anni terris creptò.

Assens. cle.
Gruon.

Qui genus, unde domo fuerit Joſepbus noſter, nullis argumentis idoneis demonſtrari poteſt. Veronenſem patriã fuiſſe, quidam Catalogi Episcoporum Frisingenſium produunt; qualis eſt, quem Hundius in *Metropoli* allegat. Huic opinioni accedit conjectura aliqua, quòd ſcilicet Joſepbus fuerit devotiſſimus Sancto Zenoni Episcopo Veronenſi, quippe in cujus honorem Ipſe Monasterium in Iſana (Iſſen) erexit, ac in ea Eccleſia voluerit terræ commendari. Verùm iſta tanti non ſunt, ut certitudinem inter Eruditos pariant. Vidi ego in recentioribus quibusdam Codicibus Vitæ Sancti Corbiniani agi de Cive quodam *Veronenſi*: & tamen in vetuſtis Codicibus legitur *Breonenſi*; quæ duo magnam diverſitatem habent, uti ex iis palpari poteſt, quæ de Breonibus in vita Sancti Corbiniani annotavimus. Si ſimilis depravatio etiam irrepſiſſet in Joſe-

Patria Joſephi
Episcopi.

Tom. 1. pag.
103.

§. 5.

Joſe-

Josephi nostri Acta, dicendus is esset non Veronenſis, sed Breonenſis. Neque deest coeſectura, eum Breonenſem potiùs, quàm Veronenſem fuiſſe. Nam Breonenſibus Corbinianus & Erimbertus in ſuis itineribus Italicis ſepiùs innotuerunt, maximè cum eo loci Corbinianus urſum nemine non ſtupente cicuram reddiderit: cum Veronenſibus verò (quantum ex reliquiis vetuſtorum Documentorum colligere licet) nec Ipſe, nec Erimbertus ullam unquam negotium habuerit. Deinde ipſe etiam Sanctus Corbinianus maximà veneratione Sanctum Zenonem Episcopum Veronenſem coluit, & tamen ipſe Veronenſis non fuit. Verùm ad certiora veniamus.

de J. Cap. 10.

Eligunt li-
bert.

Josephum non fuiſſe aliunde accitum, sed è gremio Friſingeniſis familie ſeu Monasterii electum, dubitare vix ſinit tum religioſiſſima obſervantia, à Divo Corthioiano, & Erimberto inter ſuos introducta, ut aded inter eos non defuerit, qui Episcopale munus cum dignitate gereret: tum libertas eligendi à Sancto Corthioiano eidem ſue ſacræ familie ad mentem Regulæ Sancti Benedicti impetrata. Neque tantis ſtudiis eo tempore preſtabatur Episcopalis Dignitas, ut fieri conſuevit poſteris temporibus, quibus aliquando de lana potiùs, quàm de ovibus agitur. Josephum inſigni pietate ac Zelò Episcopali munere digniſſimum fuiſſe, vel ex eo intelligimus, quòd non ſolum fidelium liberalitatem erga Cathedralē ſuam Eccleſiam provocarit, verùm etiam novo Monasterio Iſanenſi ingentes curas impenderit.

Liberalitas cu-
jadam Amilo-
nii erga Fri-
ſingeniſem
Eccleſiam.

Primus, quem circa ipſa Episcopatus Josephi primordia in Eccleſiam Friſingeniſem munificum fuiſſe legimus, erat quidam Amilo nomine, Wolfperchi filius, qui in manus Episcopum noſtri traſofudit totum, quod hereditatis titulò acceperat in *Wolfbertheſhuſia*: quod loci vocabulum à Parete Donatoris Wolfperchto videtur fuiſſe deſumptum. Cooigit ea donatio annò Ducis Utilonis XII. Chriſti 749. die 12. Februarii, ipſeque Utilo præſens aderat, ut diſertè in Inſtrumento exprimitur. Taſſilo Utilonis filiolus eidem traditioni, ſub Josepho Episcopo, ac Parente ſuo Utilone factæ, confirmationis quoddam rohur adjecit. Ubi manihùs palpamus, Utilonem adhuc Josephi Episcopii tempore fuiſſe, ac Taſſilonem cum eodem Parente ſuo in gerendo Ducatu ſocietatem quandam habuiſſe. Inter teſtes ejus Inſtrumenti annotatur *Arbeo*, futurus nempe Josephi Succeſſor: qui ſicut Monachus, ac poſtea Abbas fuit, ita nemo bonus negabit, etiam ceteros, inter quos locum in Inſtrumento ipſe habuit, non fuiſſe alterius conditionis homines, sed itidem Monachos: quod ex paulò poſt dicendis luculentius eluceſcet. Ubi interim præmonendus eſt Lector, Donationum Friſingeniſi Eccleſiæ factarum teſtes ſerè ſemper fuiſſe *de Familia*, ſeu Conventu ejusdem Eccleſiæ, veluti in progreſſu Hiſtoriz fiet manifeſtum. Inſtrumentum donationis non piget hiſce inferere, quod ſic habet:

de Wolfper-
chi filio

DUm in Dei nomine cogitante vel tractante de anima mea ſeu de vita futura, ut in quantitate apud pio Domino veniam merear accipere, idcirco ego peccator Amilo rem propriam meam, quam Genitor meus Wolfpercht mihi in hereditatem reliquit in loco, quod dicitur *Wolſpertheſhuſia*, trado atque tranſſando ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, qua ſita eſt in publico loco nuncupante *Friſinga* in manus Joſeph Episcopii in præſentia Ottiloni Ducis, ut Chriſto propitio habeat poteſtatem ad ſalvandum & ad dominandum, jam non adſipendam, sed ad meliorandum. Si ego ipſe aut aliquis de Hereditibus meis vel quislibet oppoſita vel extranea perſona contra hanc donationem venire aut eam frangere voluerit, inprimis iram Dei incurrat, & ab omni loca Sanctorum excommunicatus vel extraneus appareat, & inſuper unà cum diſtringente ſiſco auri libras III. & argenti libras V. coactus exſolvat, & quod repetit, evindicare non valeat, sed præſens Donatio iſta firma & ſtabilis perma-

permaneat stipulatione subnexa. Actum est hoc XII. die Mensis Februarii, in loco nuncupante *Machinga*. Anno XII. *Oniloni Ducis*. Et post hac ego *Tassilo Dux Bajoriorum* hanc epistolam confirmari propria manu ✚ signum *Amilonis*, qui hanc traditionem fieri rogavit. ✚ signum *Rathari*. ✚ signum *Uttini*. ✚ signum *Linsprandi*. ✚ signum *Hrodeo*. ✚ signum *Fridaberti*. ✚ signum *Regimberti*. ✚ signum *Hroadoalti*. ✚ signum *Fridribi*. ✚ signum *Arbea*. ✚ signum *Conthari*. ✚ signum *Cozrati*. ✚ signum *Goatsfridi*. Ego *Benignus indignus Presbiter* rogatus & petitus scripsi & subscripsi.

Aliam donationem anno *Tassilonis Ducis* tertio, CHRISTI 750. die 3. ^{Item Nobilium de Fagana, seu Vaga.} Septembris precibus *Josephus* impetravit. Arctiora erant vicina pascua, quæ coucus ad *Frisingensem* Conventum pertinebant, quàm ut pecoribus ad necessarios proventus capiendos alendis sufficerent. Interea nemo non videbat, amplissima circa *Erchingam* tum prata tum pascua jacere planè inculca, ac nulli hominum usui deservire, quæ tamen numerosissimo gregi pascendo abundè pabulum ministrare possent. Itaque *Josephus* iis, ad quos jure domini amplissima illa planities pertinebat, nempe *Viris Nobilibus de Fagen*, supplex factus est, ut loca illa, unde nemo hominum quidquam utilitatis caperet, permitterent *Ecclesie Frisingensi* esse utilia. Et sanè facilem assensum *Præful Optimus* obtinuit: & *Tassilo Dux*, aliique *Viri Nobiles* assensum *Josepho* præbuere. Donationis literæ scriptæ fuere in hæc verba:

Dum in Dei ego nomine *Josephus Episcopus Pastor atque Rector* *Dominicarum* orium consilientium *Beata DEI Genitricis Maria*, seu & cæterorum *Sanctorum* in *Castello* nuncupante *Frisinga*, dum erga eodem loco conexa arve *Ducali* pascua non sufficerant, appetivi locum ad proprios *Hæredes*, quo vocatur *Erchinga*, & isidem pro necessitate domos construxi, quia antea jam temporibus plurimis inculca atque deserta remansit, omnis autem *Possessores* hujus loci prumptis viribus donantes atque tradentes pro remedium animarum suarum, imprimis gloriosissimus *Tassilo Dux Bajoriorum* quicquid ad *Feringas* pertinebat pariter ipsis consentientibus *Alfrid* cum fratribus suis & participibus eorum atque consortiis, reliquas autem partes quicquid ad *Genealogiam*, qua vocatur *Fagana* pertinebat, tradiderunt ipsi, id sunt: *Ragino*, *Anulo*, *Westi*, *Wormhart*. & cuncti participes eorum, donantes atque transfundentes seu firmitatem secundum jus *Bajororum* facientes ut ipsaque hujus loci, id est *Erchinga*, sine utrorumque *Genealogiarum* sine fraude ditionibus *Beata prædicta DEI Genitricis Maria* consistere in perpetuum firma permaneat, ut nulla requisitio ab *Hæredibus* vel futuris prolibus, eorumque qui firmitatem nequebant, adesse debeat; ut si quis contra hæc firmitatis epistolam fraudare conaverit cum prædictam *DEI Genetrix Mariam* communiæ causam id itaque *Epistola* firmitatis hujus præsentem *Domno illustrissimo Duce nostro Tassilone*, & *Judicem* ejus consentientibus cum illo pariter, quorum nomina ex parte scripta hic retinentur, qui signum manuum eorum firmaverunt; ✚ signum manus *Tassilonis Ducis*. ✚ signum manus *Ragionis* testes sunt qui enterfuit. ✚ signum manus *Oadalhart* testes qui enterfuit. ✚ signum manus *Altrvic* testes. ✚ signum manus *Tatonis* testes. ✚ signum manus *Chuniperthi*. ✚ signum manus *Puni*. ✚ signum manus *Hrodhardi* *Judicis*. signum manus *Pettonis*. ✚ signum manus *Odalfridi*. signum manus *Regimberti*. ✚ signum manus *Einhardi*. Actum in villa, qui dicitur *Deoinga*, regnante *Domino illustrissimo Duce nostro Tassilone*, die tertio mensis septimi anno tertio *Regni* ejus. Et ego *Tassilo Dux Bajororum* confirmari hanc epistolam. Ego *Ato* indignus *Presbiter* jussus scripsi.

Donationem istam, Frisingensi Ecclesie longè utilissimam, factam esse an-
nò CHRISTI 750. ex anno Tassilonis tertio, ibi designatò, clarè intelligimus.
Atto Presbyter, qui donationis formulam conscripsit, nostrò quidem iudiciò
suius non est, quàm qui postea futurus erat Scarantienis Monasterii Abbas, ac
demùm, post Aribonem, Frisingensis Episcopus. Poterat ista donatio confirmari
à Tassilone, octenni parvulo, cùm etiam Ministri seu Iudices donationi subscri-
berent; eamque ratam haberet. Sigillorum usus eo tempore adhuc in eiusmodi tum
Donationum tum Confirmationum literis signandis aut raris, aut nullus erat, sed
sufficiebat signum manu propria ductum, veluti è sexcentis donationibus Fris-
ingenſi Ecclesie factis constat; illud interim non capimus, quod quidam tradunt:
nempe Tassilonem anno Christi 750. aratule suæ ad sursum octavo, equò subli-
mem cervos, aut etiam apros fuisse infectatum; Certè si eo innocuè volu-
patis genere gaudere Tassilo unquam voluit, in ætatem robustiorem disſerre
necessariò debuit. In tot Tassilonis Instrumentis Frisingæ asservatis nullum de
Tassilonis, etiam adulti, venationibus vestigium occurrit.

Erchingæ de-
scriptio.

Sanè pascua illa spatiosa Erchingensis, ubi tantus pecorum, cervorùmque
numerus cernitur, usque in hodiernum, quo scribimus, diem ad Frisingen-
sem Ecclesiam pertinent unà cum villa perampla, cui dudum accessit Arx, for-
talitii instar fossà circumdata, quæ auram libertinam, & prospectum quaquà
versum largissimum, amœnissimùmque habet, cervis, pecoribus, volatilibus
circum circa ingenti numero ludentibus, ad eò, ut eadem arx Frisingensì aula,
in eam viciniam sese aliquando animi causà conferenti, jucundum diversorium
præbeat, maximè cùm Erchinga nonnisi sesqui milliario germanico ab hac ur-
be distet, & medio itinere inter Frisingensem, & Ismaningensem nobilissimam ar-
cem à Celsissimo & Reverendissimo Principe & Episcopo Joanne Francico è funda-
mentis suscitata, cubet, ac vicinam insuper habeat aliam arcem in Pirkenek, quæ
primum sui Conditorum Eundem Celsissimum Principem laudat, sylvulà amœnissi-
mà circumcincta, pluribus rivulis totum inter eas arces spatium bellissimè ir-
rigantibus.

Fuisse Josephum nostrum non solùm Frisingensis, verùm etiam Isanensis
Ecclesie Oeconomum sedulum, colligimus ex donationibus, eidem Isanensi Ec-
clesie factis. Et Ipse quidem Josephus Episcopus dicitur Ecclesiam illam DEO,
ac Divo Zenoni Veronensi Episcopo consecrassè, eique Sacrorum virorum
contubernium adjunxisse; id enim discimus ex omnibus Chronicis & Indici-
bus Frisingensium Episcoporum; dotavit eam Ecclesiam Josephus Episcopus
prædiis compluribus, tum pretiò comparatis, tum ex fidelium liberalitate ob-
latis. Donationum Instrumenta duo hic annectimus; primum hæc continet:

DUm in DEI nomine cogitante vel tractante de anima mea seu de vita futu-
ra, ut in quantitate apud pio Domino veniam merear accipere. Idcirco ego peccator Ouniberth rem propriam meam, quam Genitor meus Adalperth
mibi in hereditatem reliquit, dono atque transfundo ad Ecclesiam Sancti Zenonis
quæ sita est infra fluminem dicitur quæ Isana, * dono atque transfundo ad
ipsa loca Sanctorum, ubi jam diximus, omnia quicquid habemus in vico, qui
dicitur Paingas (pagus est Præfecturæ Aiblingensis, hodie Pang) cum rebus
omnibus acquisitis quicquid ibidem pertinet sub nostra potestate hoc sunt manus
X. cian familiae. Inprimis Pollo & Coniunx ejus Mahshilt cum omni familia
eorum, Eparhelmo & Coniunx ejus similiter Oadalheid, Frocnolf cum Coniunx
sua, Zliuphis cum Coniunx sua, Lantumi & Coniunx ejus, Agilolf & Coniunx
ejus, Wacheri & Coniunx ejus. Hartine & Coniunx ejus. Horfcolf & Coniunx
ejus, Otheri & Coniunx ejus item Luiphaid cum duobus infantibus, &
hæc omnes cum coloniis & uxoribus & filiis vel familiis seu cum omnibus uten-
siliis & adhuc alia, quæ invenire potuimus ipsos similiter adfirmamus ita ut jam
dixi-

* Ita.

diximus praesente Episcopo Joseph & aliis Sacerdotibus, seu & omnem plebem, qui in circuitu steterunt, & cum manu propria posuit super Altarem Sancti Zenonis, & tradidit omnem rem supradictam ea ratione, firma donatione Etiam si ego ipse aut aliquis de heredibus meis vel quislibet opposita persona, qui contra hanc donationem venire, aut frangere eam voluerit, imprimis iram DEI incurrat & ab omnibus locis Sanctorum excommunicatus vel extraneus appareat, & insuper una cum distringente fisco cum auri libras V. componat, argenti libras X. & quod repetit, evindicari non valeat, sed praesens donatio ista firma & stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum in Ecclesia Sancti Zenonis, regnante Tassilone Duce anno V. VI. Id. Augusti, & haec sunt testes. ✕ signum Chuniperhti, qui hanc traditionem fieri fecit. ✕ signum Victoris Diac. ✕ signum Sigiperhti. ✕ signum Hutzilo. ✕ signum Virewudi Clerici. ✕ signum Sladio Judicis. ✕ signum Erlohc. ✕ signum Irminhart. ✕ signum Balduini Presbyteri. ✕ signum Doetrici. ✕ signum Timuni. ✕ signum Haholti. signum Hailat. Ego Alprith indignus Presbyter rogatus & Petrus hanc donationem scripsi manu mea.

Hujus donationis annus cum fuerit Tassilonis quintus, dubium nobis esse vix potest, quo fuerit Christi septingentesimus quinquagesimus secundus, ut ex sehemate nostro apparet. Caeterum haec est prima mentio, quae in Frisingensibus Membranis de Ecclesia Sancti Zenonis in Isen occurrit.

Alterum instrumentum contioens plures dooationes, à variis eidem Ecclesiae Isanensis, incertis tamen annis oblatas, sic habet: Notum est cunctis fidelibus veracisque viris, qualiter Dominus Joseph Episcopus cum multis fidelibus veracique viris congregavit & condunavit rem, quae pertinet ad domum Sancti Zenonis quod adificatum est infra flumine, quae dicitur Isana, aliud adquisivit Dominus Joseph Episcopus cum pecunia, aliud tradiderunt & donaverunt fideles Viros & dicaverunt domum DEI, quod supra diximus, & Sancti Zenonis tradiderunt partem terrestriam, ut adquirerent sibi feliciter Caestem Patriam possidere, & animas eorum à periculo liberare. Imprimis Oatilo Dux tradidit VIII. mansos vestitos, & ipse Joseph adquisivit & comparavit mansos vestitos VI. Ramuolf tradidit mansos VII. Alpole tradidit mansos V. Echo tradidit mansos V. Alumar Presbyter tradidit mansos III. Sunderheri tradidit mansos IIII. Pirheilo tradidit mansos II. Heimperth tradidit mansum I. Warmunt tradidit mansum I. Eibo tradidit mansum I. Hitzilo tradidit mans. Hutzilo tradidit mansos II. Reginheri tradidit mansos III. Tamo tradit mansos III. & quicquid habuit illa die. Pehnhari tradidit Coloniā unam, Wolsfheri tradebat unam Coloniā.

Ex hoc instrumento iterum convincimur, Utilionem Ducem adhuc inter vivos fuisse, cum Josephus Episcopus Ecclesiam suam Isaneensem dotaret. Caeterum monemus hic Lectorem, antiquorum vocabulorum minus peritum, vocabulū *Mansus* intelligi certam mensuram agri, uti rectè monemur apud Freherum in *Glossario vocum semilatinarum ac barbararum*, Tomo primo in nova editione Argentoratensi adjecto. *Mansus vestitus* idem nobis est, ac *mansus* ^{Quid mansus vestitus} ^{pag. 421} ^{pag. 46.} *culcus*: qualis oempe opponitur *manso apso*, seu non culto: id quod colligimus ex celebri illo Arnonis Salisburgeosis Instrumento, quod Duker in suo Chronico sub eodem Aroooe refert, in quo multiplex mentio occurrit de *mansis vestitis & apsis*, & inter alia de quodam terrae spatio dicitur, quod jaceat *apsum*: quo vocabulo quid intelligemus, nisi agrum non cultum?

Caeterum quatenam eo quidem tempore Sacrum Virorum Cooubernium Isanae Josephus erexerit, discimus ex rebus sub Aribone Episcopo, Josephi Successore, item sub Attooe & Hittone gestis, ubi Isana vocatur *Monasterium*, & ^{Monasterium Isana.} insuper indicari videtur, Abbatem ibi Monachis praefuisse, uti suo loco expendemus; quod totum egregie confirmatur ex eo, quod Cozbrov ooster in primo Indice Primi Traditionum libri Isanam *Cellulam S. Zenonis* appellet. Eundem loquendi modum adhibet Hoholus in instrumento, quod infra §. III. producemus.

ge, quando Dominus Apostolicus in partibus Gallie venerat, anno sexto Regni Tassilonis electissimi Ducis VIII. Kal. Julii, Luna XXVIII. Actum in villa qua vocatur Toolpabe.

Ex hoc Instrumento inter cætera intelligimus, Aribonem temporis successu factum esse Archipresbyterum Josephi, sed quem adhuc majores dignitates excepturæ erant, uti paulò post videbimus.

Anno Christi 755, pridie Idus Martii, ac postea X. Kal. Augusti ejusdem anni Cathedrali huic Ecclesie bona quàmplurima, nempe Casas, *Curtas*, id est, prædia rustica, agros, prata, pascuæ, silvas, piscationes, mancipia, pecudes, suppellectilem, terras cultas & incultas Eparharus quidam, & Scarcholfus contulere. Prolixè id testantur Instrumenta, quæ hic subjungimus. Primum sequentia sic exhibet:

DUm in Dei nomine cogitante me de anima mea, ut in quantitate apud pio Donatio Eparhari Freabytel.
 Domino veniam merear accipere, ego Eperheri Presbiter rem propriam, quam Genitor meus Chumhari mihi in hereditatem reliquit, propriam portionem, quam de fratribus meis recepi, dono atque transfundo ad altarem Beata Maria semper Virginis & Petri Apostolorum Principis cum Sociis eorum, per consensum fratrum meorum Colonias VIII. cum eadem donationem, quam Genitrix mea prius tradidit per manum meam & fratrum meorum, quam pari modo per epistolam hæc confirmo dono atque transfundo casas, curtas, pratas, pascuas, silvas, aquis, aquarum decursibus, mancipia, jumentas, pecodes, & omnem utensiliam, in eadem modum, ut apud patre meo utebatur, & hereditas mea hæc pro me & meis hereditas sit Sanctorum in perpetuum, ut si quis de Heredibus meis, vel qualibet opposita persona contra hæc donationem venire vel frangere temptaverit, inprimis iram Dei incurrat & omnium Sanctorum atque Angelorum agmina extraneus permaneat, & insolubile vinculo damnatus sit & quod repetit evindicare non valeat, & Judice terreno culpabilis sit auri libras X. argenti libras X., & quod retulit, restituat quadruplum. Ego Adalfrid in omnibus his sermonibus, sicut supra dictum est, hereditatem meam omnem ad eadem Ecclesiam Beata Maria Dei Genitricis in loco Frisinga simili modo confirmo, in ipso die tradidi post finem meum pari confirmatione constitui & testes firmavi Colonias duos cum reliqua utensilia omnia præsentem cuncto populo sacra hæc donatio & præsentem Archipresbitero. Hæc sunt testes scientes & providentes atque confirmantes; & hæc sunt nomina eorum: Arbeo, Eperhari, Erchanperth, Albuni Presbyteri, Sigisfrid Diaconus, Adalfrid Monachus. Fridhari, Adalfrid, Waltheri, Helmhrib, Carthari, Hebriker, Fridurib, Chumhari. Hæc sunt modo testes videntes & audientes atque firmantes, ut firma & stabilis permaneat peracta traditio hæc. Actum in villa Forhaab II. Idus Martii Luna XVIII. indictione X. anno III. Regnante Domino Pippino illustrissimo Rege, & in VIII. anno Regni Tassilonis venerabilis Ducis. Ego Heres, id est, Arbeo rogatus atque petitus hæc donatione scripsi & subscripsi & testes firmavi, & ipse testis ad sui hæc videns & audiens.

In hoc Instrumento observamus, Aribonem non solum testem, verum etiam Scriptorem Donationis egisse, ac suum Aribonis nomen (quod idem Bojis erat ac Erb) latine reddidisse, seque *Hæredem* vocasse: quo nomine deinceps per sepe usus est. Inter testes, post Presbyteros & Diaconos, ponitur Adalfrid Monachus, haud dubiè, quod is nondum sacro Ecclesiastico ordine esset insignitus. Verum de his suo loco.

Progredimur ad Instrumentum Starcholfi, cujus tenor est sequens:

DUm in Dei nomine cogitante vel tractante me de anima mea seu de vita Donatio Starcholfi.
 futura, ut in quantitate apud pio Domino veniam merear accipere ho-

spitem mundi me fateor, finem meum considero recepturum, prout vero secundum promissionem Dei. Id me erogante rem propriam in villa, qua dicitur Assoltraph (hodie Affalterbach, Præfecturæ Pfaffenhovienſis) omnem quod Genitor meus Timo in hereditatem reliquit, ad Ecclesiam Beatae Mariae semper Virginis in loco Frigisinga constructam. Ego Searcholf tradidi & transfundavi ut post obitum meum hereditas sit Sanctorum, ab oriente confinio, quod dicitur Poasimpah, & super hoc Culturam, quam Waldcor habet, & ipsum cum omne utensilia sua ab occidente Grintilapah confinio, & super hos rivus contra Aquilonem secundum reclusitudinem sulcis usque in locum, que dicitur Rotinsuppar a Meridie. Phetarabha flumen terminum designetur infra hos terminos ad supradictum locum trado atque transfundo Mancipias, Servos, tributales, Casas, Curtes, silvas, Pradae & alias pratas super Isura flumine inter duas fossas, quod superiores pratas vocant, pasena infra termino aquas, Mulinos (nempe Molendina, uti noster P. Martene interpretatur) piscationes omnem rem cultam, non cultam, secundum quod ad ipsum confinium pertinet, jumentos IIII. oves XXX. Porcos XX. in augmentatione & nutrimento & possessionem eternam, ut donatio hac firma & stabilis permaneat, pro me & meis Antecessoribus. Nam si quis contra hac donationem frangere vel venire conaverit, prolatum & districtum sibi Dei iudicium faciat, & cum agmina Angelorum habeat causam & fiat, se alienam invasisse, & Judice tereno solvat, ut mos est, suum Ullergelt (id est pretium attonationis, quo ejusmodi persona taxatur: uti Velferus explicat) Et hac epistula non minus firma permaneat. Et hac testes Uuolfmar, Marcellus, Rihbuni Sacerdotes. Seculares hac sunt: Usto, Alpoit, Neuo, Poso, Raginhart, Sigiheri, Haduperht, Alpruh, Cauuipald, Alpheri, Ratolh ad confirmandam & testificandam traditionem. Actum in villa Assoltraph X. Kal. Augusti anno IIII. regnante Domino Pippino illustrissimo Rege nostro. Et anno V. III. Regni Tassilonis Duci Venerabilis. Ego Arbeo indignus presbiter rogatus & petitus donationis Epistulam scripsi & subscripsi.

Et hæc quidem Donationes primò hoc Episcopatus Josephi septenniò obvenere Frisingensi Ecclesie. Alias infra videbimus, dum interea, quid eodem tempore in reliqua Bojaria, Italia, Francia ac Frisia gestum sit, ad illustrandam Frisingensem Historiam necessariò expendendum est.

§. II.

Acta illius Temporis publica.

Supervixisse Utilonem Bojariz Ducem, postquam Tassilo filiolus Dux à Pippino appellatus est, ex Instrumentis hætenus adductis manifestum est. Suspiciantur Scriptores aliqui, Utilonem deinceps Monasticam vitam amplexum fuisse. Verùm aliud nos docebunt ea, quæ inter ipsum Utilonem, & S. Virgilium, tunc Sancti Petri Salisburgi Abbatem, adhuc postea evenere disſidia: ut mihi quidem Utilo videatur amasse, atque elegisse vitam à turbibus Aulæ remotam, ita tamen, ut, si res postularer, semper ad resumendas Patriæ habenas præstò esset.

Magis seriò rem egit eo tempore Ratchisus Langobardorum Rex, qui devicta, ut vocant, Pentapoli, nempe expugnatis quinque Italiæ Civitatibus Arimino, Pisauo, Fano, Auximo, & Ancona, Zacharia Pontifice auctore, factus est Clericus (uti in vita S. Anselmi Abbatis Nonantulani habetur) nempe Monachus Cassinensis. Clerici enim nomine à pluribus illius temporis Scripto-ribus Monachum fuisse significatum, rectè etiam advertit Antonius Pagius ad Annum Christi 750. quo ea res contigit: & nos aliàs idem supra usque ad nau-

An Utilo eo tempore factus sit Monachus?

Ratchisus Langob. Rex Monasticam vitam amplectitur.

seam ostendimus. Ita eo tempore in uno Monasterio Cassinensi duo maximi, potentissimique totius Europæ Principes, Carolomannus (de quo in præcedentibus dictum) atque Ratchisus calcatis sceptris atque coronis, quas alii etiam daro sanguine consecrantur, humilem Monachorum vitam elegerunt, & fervire DEO, quàm imperare Mundo maluerunt.

Quòd sponte sua, in Monasterium secedendo, fecerit Carolomannus & Rarchisus, paulò post, nempe anno Christi 752. pati coactus est Childericus Francorum Rex, ex Merovingis ultimus, ademptò Sceptrò in Monachum actus, Pippinò in Regem electò. De Regni Franci translatione in Pippinum, Eginhardus noscitur, Carolo Magno, Pippini filio, à secretis; postea Monachus, & Abbas variorum Monasteriorum, in vita ejusdem Caroli sic scribit: *gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Childericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium trusus est, durasse perhibetur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen jam dudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præferebat. Nam & opes, & potentia Regni penes palatii Præfectos, qui Majores Domus dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, cenebantur, neque Regi aliud relinquebatur, quàm ut Regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undecunque venientes, audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erant edocuit, vel etiam jussus, ex sua vel potestate redderet, cum præter inutile Regis nomen, & pecarium vite stipendium, quod ei Præfectus Aula, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quàm unam parvi reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, pauca numerostatis habebat. Quocumque eundem erat, carpentò ibat, quod bubus junctis & bubulco, Rustico more, agente trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui Convantum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. Ad Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, Præfectus Aula procurabat. Quo officio tum, cum Childericus deponeretur, Pippinus Caroli (Magni) Regis velut hereditario jure fungebatur. . . . Pippinus autem per auctoritatem Romani Pontificis (Zachariæ) ex Præfecto Palatii Rex constitutus est. Ita Eginhardus noster, & ex Eginhardo Pagius ad annum Christi 751.*

Conveniunt Scriptores, unctionem Pippini, jussu ejusdem Pontificis, à Sancto nostro Bonifacio factam esse anno 752. atque inde epocham Pippini duci, Pagius ad eundem annum invictè probat, ut supra monuimus; quam epocham etiam nos hæc tenens secuti sumus, & sequemur imposterùm. Bernardus à Mallinkrot Decanus Monasteriensis in eruditissimo suo de *Archicancellariis Sac. Rom. Imperii Opere* tradit, S. Bonifacium eodem anno, Christi 752. fuisse Pippini Regis Archicancellarium, idque probari ex literis, Epternacensi Monasterio concessis, in quarum fine hæc leguntur: *Bonifacius Archicancellarius recognovit.* In quodam Monasterio detrusus sit Childericus, non convenit inter Scriptores. Mabillonius & Pagius (quorum exquisitissimam eruditionem atque fidelitatem præ aliis veneramus) designant Monasterium Galliarum Sichiense; uxor illius Gisala inter Religiosas Moniales Parthenonis, ad Cochelum Bojarie lacum nuper instituta, ac Benedictoburano Monasterio subjecta, se recondidit, atque in utrumque Monasterium, Benedictoburanum scilicet atque Cochelense (quorum posterius jam ab Hunnorum tempore desit) magnificè liberalis fuit; qua de re agitur apud Clar. P. Bernardum Pezium in *thesauro Auctodotorum Novissimo Tom. II. part. III. Col. 609. & 610.* Videri etiam potest Aventinus *Annal. Bojar. lib. 3. miki pag. 300.* Cerrè ejusdem Gisalæ vetustissimi quidam Codices hodiè que in dicto Monasterio Benedictoburano exhibentur

Childericus in Monasterium trusus.

Missa Regni Franci eo tempore constituta

Gisala Monialis in Cochel.

illasi,

illæsi, & apud Eruditos, qui viderunt, ingentem, ut par est, venerationem habent.

Zacharias PP.
moratur.

Post eas profanarum Coronarum vicissitudines etiam in Apostolico Palatio secuta est mutatio, Zacharia Pontifice post Pippini inunctionem mortuò. Quantum huic Pontifici debeat Francia, ex translato in Pippinum Sceptro apparuit. Germania nostra eidem Pontifici manet devinctissima, uti abundè demonstrant epistolæ, à Zacharia ad Bonifacium, à Bonifacio ad Zachariam datæ. Divi etiam Benedicti Institutum sibi arctissimè devinxit idem Zacharias Pontifex, dum Dialogos Magni Gregorii nostri (quem P. Gregorius Kolb S. I. certò esse in Pontificem electum ex Ordine S. Benedicti asserit) atque adeò etiam Divi Benedicti Acta Græcè vertit, Græcisque legenda exhibuit. In Zachariæ locum subleclum est Stephanus II. Romanus, ex eodem nostro Divi Benedicti Ordine, qui, ut subjungit mox laudatus P. Gregorius Kolb, *dies post electionem suam numeravit tres duntaxat, dubiò posteris relicto, an ob brevissimam temporis periodum dicendus fuerit felix, an infelix magis? infelix hac in parte forsàn solum posuit dici, quòd ob dies Pontificatus sui paucissimos Stephanum è numero Pontificum multis exoleverunt Historici: nostrum verò ut in numerum veniat, electum fuisse Pontificem sufficiat.* Ita P. Kolb in ferie Romanorum Pontificum. Verè sic transit gloria mundi, quod recens electis Pontificibus occini solet.

Succedit Ste-
phanus II.

Reg. 109.

Et mox Ste-
phanus III.
adit II.

Cui scribit
Bonifacius.

Nova postea electione subrogatus est Stephanus alter Romanus, dictus communiter secundus, quoniam prioris (qui ante consecrationem obiit) nulla ratio habita est, ut Mabillonius in Annalibus ad annum Christi 752. tradit: „qui paulò post de S. Bonifacio nostro in rem nostram subjungit: accepta Ste-
„phani Papæ electione, Bonifacius Episcopus ac Germaniæ Apostolus, non
„statim literas ad novum Pontificem dedit, sed paulò seriùs: quod ipse excu-
„sat epistolâ 91. qua familiaritatem & unitatem Sanctæ Sedi Apostolicæ, qua-
„lem sub tribus ejus Antecessoribus habuerat, ab eo sibi concedi rogat, para-
„cum se dicens ad ea omnia persequenda, quæ per triginta sex annos ad Eccle-
„siæ utilitatem facere conatus fuerat: & ad emendanda errata, quæ hoc in
„munere commississet; idè verò tardius scripsisse ait, quòd præoccupatus fuis-
„set in restauratione Ecclesiarum, quas Pagani incenderant, qui per titulos &
„cellas nostras (inquit Bonifacius) plùs quàm triginta Ecclesias vastaverunt &
„incenderunt; ita Bonifacius, & cum eo Mabillonius.

Ac postea in
Frisiam redit.

Ad annum Christi 753. refertur, quòd idem S. Bonifacius, Germaniæ nostræ præcipuus Apostolus, subrogatò sibi in Sede Moguntina Lullò, in Frisiam redire animo constituerit, ut ibi prædicationis suæ, ac Martyrii coronam acciperet, ubi prima Christianæ doctrinæ semina sparserat; id reipsa postea consecutus est anno 755. & quidem, juxta S. Wilibaldum Biographum sequentem in modum.

Statuerat diem certam Bonifacius, quæ conversis ad Christum, & Baptismi gratiam consecutis Frisonibus *Confirmationis* quoque Sacramentum impenderet. Porrò illucescente quæ destinata fuerat die, cum expectarentur vocati Frisii, non ii, qui ad sacram inunctionem invitati erant, ut cum quibusdam aliis Orblonum putat, sed juxta Wilibaldum, alii, quos videlicet auri Cupido acciverat, summo mane comparuère, & quidem armati magnò numero, jugulis primùm Bonifacii & Sodalium, deinde speratis auri, ac pretiosæ suppelleclilis thesauris imminentes. Advertère statim truculenta, quæ Sicariù molirentur, consilia, qui in Bonifacii comitatu erant: hinc & ipsorum aliqui de corripiendis, quæ quidem reperiri possent, qualibuscunque armis solliciti erant, ut se, ac maximè Sanctum Episcopum, laniantæ ac crudelitati barbaræ eximere possent. Et eadem quidem consilia agitabant Neophyti, pro Bonifacio, Ejusque Sodalibus solliciti. At obstitit clementer Bonifacius, utque arma tum Socii sui tum Neophyti ponerent, paternè cohortatus est, asserens, non esse mala pro malis

malis rependenda, sed tempus monere, ut ad gloriosam Martyrii Coronam omnes paratò sese animò offerrent, agonemque suum optimo Numini commendarent, certi, post exiguam temporis atque doloris morulam in cœlis fidei, laborum, & fusi sanguinis recipere amplissimam mercedem, & vicà gaudere felicissimà ac sempiternà.

Vix ejusmodi verba finierat, cùm irruens ex omni parte Gentilium furor breviculò temporis spatio Bonifacium, cum suis crudelissima cæde immolavit gratissimas Cœlo Victimâs. Itum deinde ad agendas prædas, cistæque ac scriptura, in quibus recondita erat sacra suppellex, nempe Sanctorum Reliquiæ, Codices sacri, cum annona modica, magna festinatione ad naves fuère expor-tatæ à Barbaris, ignorantibus, ecquid tandem thesauri in iis latiret? mota deinde inter scarios quæstio de præda dividenda, nonnisi ferrò decisa fuit. Dum enim è prædis quisque aliud vocis suis destinat, aliis idem sibi postulan-tibus, altercatio exorta in furias & mutuas cædes concitavit barbaros, iis ipsis, quos in Bonifacium, Ejusque socios modò adegerant, gladius perimendos; adeò celeri pede latronibus institit Divina Nemesis.

Qui è strage illa superfuère barbari, ingenti perfusi gaudiò, sibi solis om-nem prædam à Dijs fuisse servatam existimabant; ait ubi effracta fuère existi-matorum thesaurorum conditoria, inanissimis spebùs delusi, lymphaticorum instar, codices sacros ibidem repertos per prata, locaque tum palustria, tum aliis fordibus fetida sparserunt, grandiori tamen vesaniâ, quàm nocuementò. Omnes enim sacri illi Codices mox à fidelibus reperti, & ad varias Ecclesias deinceps delati, superfuère Othloni adhuc tempore, nempe circa finem undeci-mi sæculi Christiani; qui inter cætera testatur, sacrum quemdam Codicem, quem vix unquam seponere solitus fuerat Bonifacius, quemque vibrati in se gladii icui objecerat, mucrone quidem perossum fuisse, ita tamen, ut nulla sacri illius voluminis litera fuerit expuncta: eundemque Codicem hodiæque ex-tare Serarius & Browerus scribunt. Sed vide, obsecro, benigne Lector, quæ de tribus ejusmodi vetustissimis Bonifacii Codicibus nuperrimè in lucem de-dit Vir Clariss. & eruditissimus Joan. Fridericus Schannat Fuldenfis Historiogra-phus suis Vendemiis literariis, quorum exemplar, è prælo haud dudum elucta-tum, nullo prorsùs meritò nostrò communicare nobiscum voluit. Sanè eos etiam, qui sacros illos Codices, atque reliquam Ecclesiasticam suppellectilem dictum in modum diripuerant & abjecerant, statim post triduum, à perpetrato flagitio exactum, DEI vindicta comprehendit. Cùm enim devotissimi Bonifacio Christiani impiam eidem Præceptori suo Sanctissimo, sociisque illa-tam necem intellexissent, tum rei atrocitate, tum tenerrimâ in trucidatum meliorem Parentem suum Bonifacium pietate commoti, ad arma convolarunt, & superstites Sicariorum reliquias partim in fugam conjecerunt, partim ingenti strage prostraverunt. Illud verò admirationem meretur, quòd superstitès Frisi, qui viventis Bonifacii doctrinam aspernati fuerant, eò interemptò Divi-na corruptione Magistra eandem promptis animis susceperint. Cæterùm ex-uvie Præfulis Sanctissimi deinceps Trajectum, inde Mogunciam, demùm ad Monasterium suum Fuldense, inter plures eventus mirabiles delatæ, ibidem in Basilica asservantur, profusus in supplicis beneficiis clarissimæ.

Hæc nonnihil diffusius in Apostoli Germani gratiam devotissimò calamo ex-plicare oportebat, monente Othlono in vita Ejusdem Sancti Bonifacii his ipsis verbis: *Confidenter dico, quia quicumque filiorum ejus (Bonifacii) Germano-rum videlicet, agnitò tanti Patris labore, vel ex scriptis, vel vulgaribus di-ctis, non eum, quantùmque prævales, veneratione amplectitur, in honore, quem Parentibus exhibere jubemur, negligens invenitur. Quòd si negligentia peccatum est, & omne peccatum punitur: negligentia simul punienda creditur.* Præmiserat autem Othlonus: *Sicut Abraham Pater omnium ductus est Christo*

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

H

cre-

Ibi fides ad
Martyrium
perfectissimum
cogebatur.

Et ab impiis
trucidatus.

Vast. theoz.
capit. disci-
pularum.

Barbaji pag-
norum.

Elogium S.
Bonifacii.

credentium: haud aliter Sanctus Praeful Bonifacius omnium Germania Incolarum dici potest, pro eo, quod illos verbo sanctae praedicationis primitus Christo genuis, exemplis confirmavit, postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua charitate nemo majorem valet exhibere. Haec Octloous, libro primo vita Div. Bonifacii circa finem. Quae cum etiam Frisingensem hanc Cathedralam, & Bojot universos praecipue respiciant, omitti non posse visa sunt.

Apud M. A. H. II.
Ord. S. B. Sac. III. part. II.
Pg. 11.

Caroloman-
nus obiit.

Idem, qui Sancto Bonifacio, annus (Christi 755.) ultimus etiam fuit Carolomanno Principi, quem abjecto Franciae Principatu Monasticen amplectatum fuisse, aliam diximus. Ejus memoriam ad Bojos etiam pertinere, intelligitur ii omnes, qui meminerint, eum fuisse Principem *Austria*, id est, Orientalis Franciae, ad quam Bojaria nostra pertinebat, quod Utulo Dux, postea Regis titulo, testatus est. Apud Cassinates nostros Carolomannus *Beati*, imò etiam *Sancti* elogio honoratur. Sequenti anno, Christi 756. Pippinus Tici-

Tassilo in ca-
stra Pippini.

num obsidione cingens, Tassilonem nostrum, *prope puerum* in castris & procioclu habuit, inquit Velferus: qui Tassilo postea anno proximo comitanobus Bojorum Primoribus (quibus an Josephum Episcopum nostrum accensere liceat, incertum est) coeventum Francorum Compendii adiit, ac se suaque tam Pippino Regi, quam filii ejus Carolo & Carolomanno in clientelam solenni gentis more, interposito etiam ad Divorum Dionysii, Martini ac Germani corpora Sanctissimò juramento tradidit; ægre id tulisse Patrem Tassilonis Utilonem, testatur Reverendissimus Autor Mausolæi S. Emmerammi, & ipsum etiam Tassilonem ejus rei poenitudinem subiisse, subsecuta deinceps fata docuere. Ceterùm eodem anno Stephanus Papa III. fati coecessit, locumque reliquit fratri suo Germano, dicto Paulo I. paupertatis Cultori, ac pauperum Patri eximio. Verùm nunc Frisingam quasi è diverticulo redeundum est.

Supplicat com-
municat.
Eidem Sacra-
mentum di-
cit.
Cap. 26.
Stephano
III. Paulus
I. sufficitur.

§. III.

Novi Benefactores Ecclesiae Frisingensis. Scarantien- sis Monasterii Fundatio: Et Mors Josephi Episcopi.

Inter Munificos Ecclesiae Frisingensis Cultores primò loco memorandus venit Hammincus quidam, qui Ecclesiae Frisingensi multa bona contulit ex utraque Isaræ parte, num supra, num infra aut prope Frisingam, incertum. Instrumentum Donationis, quod in hujus Operis parte altera recitamus, Aribo scripsit Tassilonis Ducis jussu Mense Decembri anoo 757. utique postquam Tassilo cum suis Compendiò jam redierat. Circa idem tempus Thedericus quidam largam donationem de *Theoruneshusun* (oempe *Ditzhausen*) jam antehac sub *Beata memoria* Erimberto Episcopo factam, Josepho nostro confirmavit. Scripsit hujus etiam donationis membranam Aribo, in qua tamen Chronologica Notæ non coveniunt, cum annus Tassilonis decimus cum Iuditione duodecima componi non possit; itaque aut in anoo Tassilonis, aut in Iuditionem error irrepit.

Part. III. R. 4.

R. 5.

Accuriores temporis notas habet Instrumentum Haholti & filii ejus Arnonis, qui Ecclesiam in *Possilimbach*, id est, Pietenbach, Burgkrainecosis Domnii, suadente Josepho Episcopo construxerunt, egregie dotarunt, ac tandem Ecclesiae Cathedrali donarunt. Visum est, illud Instrumentum statim hic inferere. Sic igitur habet:

In Christi nomine. Ego Haholt nuncio cunctis in Bajouuarja provincia manentibus, qualiter peccatis meis facientibus causa circa me contigit, quòd à

qui-

quidam homine vobere infidelis vitæq; desperatus jacebam, parentibus meis mihi consilium dantibus, ut Josephum Episcopum ad consolationem anime meae, & ad profectum filii nostri Arnonis nomine ad consilium vocassem, & ipse Venerandus Episcopus sicut rogavi ad medelam mihi infirmo advenit, & simul nobiscum consilium dant, ut in ipsa hereditate mea Ecclesiam edificassem, quod dicitur ad Poatinspach. Et ego Habolt ipso Consilio audito congaudens misericordia ejus feci, sicut ipse dixit; edificata Ecclesia ad dedicandam ipsam Ecclesiam invitavi iterum Episcopum Josephum, & ipse dedicando perfecit, sicut rogavi. Dedicata autem Ecclesia, advocata Conjuge & filio meo Arnone simul cum aliis Parentibus meis, cum eorum consilio & consensu, & eorum manibus impostis quicquid propria hereditatis habere videbar in loco prenotato, firmiter tradidi in manus Josephi Episcopi, ut per ipsam firmiter traditionem factam firmiter tenetur ad domum Sancte Marie a die presente ad Frisingas, nisi quod filius meus nomine Arnaud sinem visa sua in beneficium de domo Sancte Marie habuisset ipsam causam meam ad augendam & emeliorandam, nam in nullo comminuendum, hoc complacitavi, & cum testibus confirmavi. Postea vero Divina pietas spatium vite, virtutemque corporis & anime dedit, quod volui ad Frisingas venire, & ipsam traditionem consummare, sed Divina Gratia volente contigit Josephum Episcopum venire ad sturviu Illane ad cellam & Oratorium Sancti Zenonis, & Ego ipse Habolt revertens cum Conjuge, & ipso filio nostro Arnone ibidem ad Episcopum veniens, & multis ibidem congregatis presentibus, ego & Conjux mea communem Carum filium nostrum adprehensis manibus, & elevatis filii nostri Arnonis pari consensu offeravimus filium nostrum in altarem Sancte Marie in domo Sancti Zenonis edificato, ut in ipsa offerione cum omni integritate hereditatis nostre persisteret ad domum Sancte Marie ad Frisingas, quicquid presente tempore visi fuerimus habere vel exinde adgregare, vel adquirere potuimus ad nos pertinentibus, Mancipiis, Curtiferis, adficiis, pecoribus, agris, pratis, cultis, & incultis, pascuis, silvis, pomeriis, sarrinariis, aquis, aquarumque decursibus, omnia in omnibus perpetualiter ad Frisinga tradidimus ad domum Sancte Marie Virginis pro redemptione animarum nostrarum; hoc factum est ad Ilane in domo Sancti Zenonis. Anno Incarnationis Domini DCCLVIII. Indiæ. XI. anno XI. Tassiloni Ducis Regni ejus; in mensis Majo VIII. Kal. Jun. Ipsi testes per aures tracti: Heibras, Ejo, Katolt, Oaso, Podalunc, Eodunc, Uurmheri, Helmperht, Cauuo, Eonolt; Uuolfher, Vuillabelm, Cotchelm. Temo, hanc traditionis Cartulam Hares Presbyter conscripsit, jussione Josephi Episcopi, seu rogatione Habolti, & filii ejus Arnonis traditorum. Ita Haboltus: Cujus Instrumentum ideò lubeo res huc inferuimus, quòd Notæ illius Chronologicæ ex nostra opinione sint accuratissimæ. Observabit etiam Lector, Istanam vocari Cellam & Oratorium S. Zenonis: quæ suot verè propria Monasteriorum nomina apud veteres, itè alibi monuimus.

Arnonem, Habolti filium, esse eum ipsum, qui postea Archiepiscopus Salsburgensis renunciatus fuit, olim existimavimus. Verùm, certiora edocti, errorem nostrum suò locò diluemus, dum Arnonem illum aliunde evocatum fuisse demonstrabimus.

Anno XII. Tassiloni Ducis, Christi 759. Chuniperhtus quidam condidit in honorem Beati Apostolorum Principis Ecclesiam in Pohe, id est, in Pach, Cranspergensis Præfecturæ, eamque egregie doratam defensionem Josephi Episcopi, ac Successorum Episcoporum subjecit. Josephus eandem consecravit, atque in defensionem accepit. Subscripsere præter Chuniperhtum Joseph Episcopus, Maano Episcopus Neoburgensis ad Daoubium (qui Episcopatus fecutis temporibus magnam partem Augustano accessit) ac præter multos alios Aribo, qui instrumentum conscripsit, Tassilonis autoritate postea firmatum. Eodem anno

no aliam Ecclesiam excitavit Adaluncus quidam in *Abansina*, nempe *Abens*, Abenspergensis Præfecturæ, multis bonis eidem adjectis. Invitatus Josephus Episcopus noster sacris caeremoniis eam iniciavit: Adaluncus verò Cathedrali huic Ecclesie addixit. Proximò annò Wettinus quidam eidem Ecclesie Cathedrali amplam donationem in *Hroadosfing*, hodie Ruedfing, adiecit.

N. 9. Secuta est eodem anno alia Donatio Fridaperthi in *Eparaha*, quo nomine intelligimus *Ebrach* Wasserburgenfis Præfecturæ.

N. 10. Accessit alia traditio Davidis in *Mammendorff* Dachaviensis Præfecturæ, sed annò incertò. In Instrumento Donationis inter testes nominatur *Alto reclusus*, quem non fuisse alium, quàm S. Altonem, primum Abbatem Monasterii, ab ejus nomine *Alto-Münster* dicti, omninò persuasum habemus. Domùm Tassilo Dux eidem Frisingensi Ecclesie insigni munificentia confirmavit donationem jam antehac à Patre suo Uilone factam in *Hafalbach*. Instrumentum Donationis seu Confirmationis Tassilo manu propria munivit, nullis cæteroque Notis Chronologicis adjectis. Inter testes singulari notà dignissimus est *Virgilius Abbas*, qui absque dubio alius non est, quàm Virgille Sanctus, qui postea vicinorum Episcoporum, atque inter eos (uti omninò videtur) etiam Josephi nostri hortatu permotus, ab iisdem sacris Præfulibus Salisburgenfis Episcopus fuit consecratus, cum priùs fuisset Abbas Monasterii S. Petri ibidem, uti habetur apertè in celeberrimo illo Indiculo Arnonis Archiepiscopi, quem suprâ ex Dükero laudavimus, idemque in Salisburgenfi Historia recitatur. De hoc S. Virgilio in consequentibus sæpiùs redibit mentio.

N. 11. Præprimis memotabilis hic est Fundatio Monasterii in Scarantia, vulgò *Scharnz*, facta anno Tassilois Ducis XVI. Christi 763. Res ita contigit.

Reginpertus quidam consentiente germanò Fratre suo Irminfridò, & Matre Akilindâ, atque consanguineis Otilone & Crofone in Scarantiensi solitudine Ecclesiam Divo Petro Apostolorum Principi construxerant, adjectò Cœnobio, cui prædia quàm plurima tum intra, tum extra montes posita, item piscationes, pascua, & id genus alia destinaverant. Tassilonis igitur imperatò assensu Reginpertus unâ cum fratre suo cum in finem Josepho Episcopo prædicta bona consignavit, ut loci curam susciperet, atque Abbatem cum consensu Fratrum ibi constitueret. Decreti fuere in censum annuum, Ecclesie Frisingensi exhibendum, *duo pedules*, conformes Regulæ, nempe S. Benedicti, qui *Cap. 55.* agens de *indumentis Fratrum* tertio *pedules* commemorat. Annui Josephus noster, & è suis Aribonem, Archipresbyterum suum, primum Abbatem Fratribus illis præfecit, inter quos etiam numerabantur Fundatores illius Cœnobii Reginpertus & Crofo, quorum posteriori Aribo *Corona* (Monastica) signum dedit, uti in Instrumento dicitur. Sanè quid deinceps circa illud Monasterium contigerit, suis locis annotabimus.

pag. 1046. Monasterium Scarantiense.

Cæterùm *pedules* esse quoddam indumentum pedum, Monachis antiquitùs usitatum, discimus ex Macro in *Hierolexico*: Hæsteno in *Disquisitionibus Monasticis*, & aliis. Paulus Diaconus *pedules* pro Tibialibus accepit, quando dixit: *non debent Monachi causari, si pedules alibi fuerint.* Verùm ista incidenter.

p. 6. 13. 21. N. 12. Idem Josephus Episcopus construxit Ecclesiam S. Martini in Biberbach (Dachaviensis Præfecturæ) hodièque superstitem, & Divo Martino sacram, Filialem Parochie Vierkirchenfis, postquam tres *Titulos* (intellige tres sacras ædificulas) in unam Ecclesiam congestit, qui tituli jam antehac ad Erimbertum pertinuerant. Quo anno id contigerit, non reperimus annotatum. Extant in hodiernum diem quodam pacto tituli illi, Aræ nempe tres; prima Divo Martino, altera Beate Mariæ Virgini, & tertia S. Bartholomæo Apostolo consecrata. Atque hæc ferè sunt, quæ ex residuis antiquissimis membranis Frisingensibus de Josepho nostro erui potuere.

N. 13. Quo

Quo anno, quove anni die è vita Josephus migraverit, nihil constat ex vetustis Codicibus. Extant tamen Catalogi Frisingensium Episcoporum tres, in quibus obitus Illius ponitur anno Christi 764. die 17. Januarii: quod sanè verosimile est, quia annò proximò, nempe 765. Aribonem jam fuisse Episcopum constat ex Instrumentis suò locò adducendis. Ad eandem diem obitus Josephi Episcopi etiam in Gamanfii Excerptis reponitur.

Maximam fuisse Josephi nostri inter fideles existimationem, discimus ex Arnolfo nostro in vita S. Emmerammi, ubi *Cap. 4.* de puella quadam Frisingensis Diocesis, quæ anno integro nihil cibi, nihil potùs admiserat, eoque pacto ad extremam maciem deducta erat. *Tunc Parentes*, inquit Arnolfus, *quid quirent facere ignorantes, consilium inierunt, ut eam Joseph Frisingensi Episcopo præsentarent, sperantes ejus auctoritate suam communi reddere vitam.* Et fecit equidem Josephus, quidquid potuit. Verùm quia puellæ sanitas honori S. Emmerammi à Deo destinata erat, ea Ratisbonam mittenda fuit, ubi etiam sanitatis gratiam accepit. Nobis interea satis est demonstrasse, Josephum apud suos famà ingentis virtutis ac sanctitatis claruisse.

Cæterùm Episcopus hic noster cumulum sibi elegit in Ecclesia Sancti Zenonis, à se, ut ferunt, unà cum Monasterio constructa, apud posteros titulò *Beati* honorari solitus. Celsissimus ac Reverendissimus Princeps, & Episcopus JOANNES FRANCISCUS (quem Superi servant Ecclesiæ & populo suo!) cùm antiqua per totam ferè Bojariam Epitaphia studiò ingenti, proprià manu conscriberet, Ilanz in lapide sepulchrali Josephi Episcopi hanc inscriptionem invenit. *Hic est sepultus Beatus Josephus Episcopus Frisingensis, fundator hujus Ecclesiæ, & obiit annò Domini septingentesimò sexagesimò quarto. Transpositus est in Tumbam istam per Dominum Christianum Starch, Decanum hujus Ecclesiæ anno Domini 1473.*

E quibus & aliis suprà adductis apparet, qua ratione corrigendi sint Scriptores, qui & Josephi mortem, & Aribonis electionem ad alios præcedentes annos retrahunt. Itaque Josephi ex hac vita transitus contigit annò à consensu Episcopali Cathedra decimò quintò, sub Pontificatu Pauli I. qui Stephano anno Christi 757. successerat: Constantinò Copronymò Orienti etiamnum imperante: Sanctò Virgilio nostro Salisburgensi, Symperò Ratisbonensi, Antheimò Patavienfii Ecclesiæ præsidenribus. Quis Sabionensem Episcopatum eo tempore gubernarit, nobis hætenùs incognitum manet. Bojariz Utilo ejusque filius Tassilo Duces præerant. Petrenses nostri Josephi Episcopi nomen post Gawibaldum Ratisbonensem, & Sidonium Patavienfem Episcopos mortuorum Fastis inscripsere.

CAPUT IV. De Aribone, Episcopo Frisingensi IV.

§. I.

Aribonis Electio, & Merita præcedentia.

Aribonem fuisse Parvulum illum, qui ope S. Corbiniani è vorticibus rapidissimi torrentis Passaris prope Majas mirabiliter creptus fuerit, satis, ut opinamur, in superioribus evicimus, ubi vitam Divi Corbiniani conclusimus. Consequens est, ut eum aut Majis, aut prope Majas natum fuisse dicamus. Et sanè is non poterat se gratum magis exhibere

bere Tutelari suo Corbiniano, quàm si vicæ reliquum, quod Corbiniano et alse debebat, Frisingæ Deo inter illius posteros consecraret. Quantos sanè Aribio inter Frisingenses nostros fecerit tum in virtutis, tum literarum studio progressus, tractu temporis res ipsa docuit, dum deinceps ad Presbyteratûs gradum promotus, Josepho Episcopo à scribendis Instrumentis, Archipresbyter, postea Abbas Scarantiensis, ut hæcenus vidimus: demum verò Frisingam revocatus, ac Myrâ Episcopali redimicus fuit, Arnone, de quo itidem in præcedentibus mentionem fecimus, Scarantiensibus in secundum Abbatem datò. Id contigisse Anno Christi 764. ex eo colligimus, quòd eodem anno, & quidem die 17. Januarii Decessor Illius Josephus obierit, ut supra insinuavimus. Diem Electionis nullibi invenimus designatam. Cæterum illius nomen diversimodè scribitur. Alibi enim legitur Arbio, alibi Arbeo. Rursus Arpio, & Arpeo, quæ utique omnia idem significant, & etymologiam manifestè deducunt à veteri Theodisco vocabulo *Arbon*, quod hodie castigatius redditur vocabulò *Ërb* / latinè *Hares*, Hebraicè *Cyrimus*: unde etiam, ut supra jam monuimus, Aribio noster seipsum vocavit *Haredem*: & alibi *Cyrimum*: velut etiam benè notavit Velferus.

For. Hist. l. 5.
pag. 308. 309.

Aribio inter
Scriptores
Ecclesiasticos
reponitur.

Tom. 2. antiq.
Lect. pag. 7. C. 6.

Solet Aribio noster recenseri inter Scriptores Ecclesiasticos, ut videre est apud Dominicum Cave Sæculò octavò ad annum Christi 760. idque meritò suò, eoquòd non tantùm vitam Divi Corbiniani, ut sæpè jam commemoravimus: verùm etiam vitam S. Emmerammi Episcopi & Martyris literis commendaverit, uti legimus in epistola Arnolphi Comitis & Monachi ejusdem S. Emmetammi, quam Henricus Canisius refert. Ubi etiam ipse Arnolphi eum *Cyrimum*, ac *Haredem* appellat.

Fuisse Aribonem virum in sacris Codicibus, in Regula S. Benedicti, in ejusdem vita, à S. Gregorio conscriptâ, & aliis id generis Codicibus exercitatissimum, nemo negabit, quisquis scriptam ab illo vitam S. Corbiniani eruditè expenderit. Interea dum ad Acta Aribonis nostri literis consignanda devenimus, opus est, ut Bojariz circa ea tempora conspectum Lectori exhibeamus.

§. II.

Status Bojariz extra Frisingam.

Utilonem Bojariz Ducem, utur sese fortassis ab Aula strepitu ad tempus retraxerit, nihilominus supervixisse usque dum S. Virgilius Abbatiz S.

Petri Salisburgi admotus est, planè usque ad evidenciam constat ex supra laudato Indiculo Arnonis, ubi recensetur exorta Utilonem inter & Virgilium Abbatem controversis, dum Utilo Dux, à Capellano suo Urfo inductus, partem quorundam prædiorum, ad Divi Petri Monasterium pertinentium, voluit eidem detrachere, acque Urfo ad aliam *Cellam*, sive Monasterium, nempe S. Maximiliani in Pongau, tradere, Virgiliò Abbate sese pro viribus opponente.

pag. 1153. C.
1154.

Neque ab his abludunt, quæ referuntur in Libro *Donationum Ecclesie Salisburgensis* apud Henricum Canisium *Tom. 6. antiq. Lect.* Imò sententiam nostram magis confirmant. Fuit autem Virgilius factus Abbas S. Petri Salisburgi

l. 4. 2. Cap. 9.

Anno Christi 754. Si benè calculum duxit Scriptor Historiz Salisburgensis Mezgerus noster, qui tamen non dissimulat, pleròsque Scriptores subiecuta primordia Episcopatus S. Virgiliù differre usque ad Annum Christi 764. veluti

l. 4. 2. 0. 2. 8.
apud Meibell. Sc.
cul. III. part. II.
Pag. 310.
Sicut adnotat Dr.
l. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
T. 1. in Chronica
Favrii. pag.
114.

idem Scriptores Utilonis obitum primum reponunt ad annum Christi 765. quibus Scriptor vicæ S. Virgiliù, S. Eberhardi Discipulus, apertè accedit, saltem quatenus S. Virgilium Pippino Regi, & Bojariz Duci Utiloni Synchronum statuit. Illud insuper ex his certum manet, S. Virgilium non adussè Episcopatum Salisburgensem anno Christi 746. quod nonnemo existimavit: quemad-

modum

modum etiam ex hæcenus disputatis manifestum est, Utilonem non obiisse anno Christi 748. quod Antonius Pagius, aliique credidère.

De Tassilone Bojaræ Duce, Utilonis filio, quem Pippino Regi Sacramentum dixisse supra recensuimus, Annalista Mettensis ad ista tempora hæc habet: *Anno Dominica Incarnationis 763. Pippinus Rex habuit Placitum generate (intelligit, Conventum publicum) Francorum in Nirvern. Inde ob infidelitatem Waisarii perfidi Ducis quartum iter in Aquitaniam direxit. In eodem Placito Tassilonem Ducem Bajorum habuit: qui postpositis Sacramentis & iurjurando, quod quondam Regi Pippino, Avunculo suo, promiserat, sine licentia ejus ad usque Bojariam fugit, & nunquam amplius faciem Regis Pippini videre meruit.* Annalists huic consentiunt Boici Scriptores Velierus & Brunnerus cum aliis. Quo id consilio Tassilo fecerit, non prodicitur. Fortè non inanis conjectura est scribentium, Tassilonem noluisse suò suorumque sanguine Francis emere victorias, nihil sibi profuturas: indecorum quoque censuisse, ut, quem Boji Principem venerarentur, Franci inter servos numerarent. Verùm utcumque se res habeat: Pippinus de Tassilonis potentissimi Ducis secessione meritò anxius, in annum sequentem Wormatiæ novum Conventum coëgit, ubi communibus suffragiis conclusum fuit, desertorem ferrò ulcisci. Et verò, absque dubio, bellò peccata fuisset Bojaria, nisi fatiùs visum esset Aquitanico bello finem imponere. Itaque meditata in Bojum consilia ex periculi metu, & virium defectu, intra iram persistère, quæ, cùm in aciem educi non posset, premi debuit. Sunt, qui cum Pagio ad annum Christi 764.

scribant, Tassilonem, postquam à Pippino sese retraxerat, supplicem esse factum summo Pontifici, ut missis in Franciam Legatis pacem inter se, & Pippinum componeret. Neque precibus defuisse Pontificem, atque è suis quosdam ad illud iter destinasse: qui tamen, cùm Ticinum venissent, progredi ulterius prohibiti sint à Desiderio Langobardorum Rege, qui filiam suam Liutburgam, Francis inimicissimam, Tassiloni in matrimonium vel jam collocaverat, vel brevi se collocaturum speraverat. Illud communi fermè omnium Scriptorum calculò circumfertur, eo quidem tempore Tassilonem cum Francis in gratiam minimè rediisse, donec Carolus Rex, deinceps Magnus appellatus; misit Sturmione nostrò, Fuldeasi Abbate, eum ad renovandum fœdus invitavit, atque ad obsequium reduxit: qua de re egregiè Brunnerus, qui consuli potest.

Romæ in mortuorum numerum Anno Christi 767. relatus est Paulus I. Pontifex Maximus. Is Successorem habuit Stephanum IV. ex Ordine Sancti Benedicti assumptum. Quò anno Christi 772, è vivis sublato, in Petri Cathedram assumptus est Hadrianus I. qui Theodonem, Tassilonis nostri filium, salutariibus unctis Romæ abluit. S. Virgilius circa eadem tempora Salisburgi splendidam. Divo Ruperto Basilicam non sine miraculo excitavit. Utilonis Ducis mortem Velierus ad annum Christi 765. reponit. Nos ad Aribonem revisimus.

§. III.

Donationes quædam, sub Aribone Ecclesiæ Frisingensis factæ: ubi de primordiis Monasterii Inticensis.

POapo, Vir nobilis, ut peccatorum suorum veniam consequeretur, sibi, que Deum, supremum Judicem, propitium redderet, adhibito nobilium Cognatorum consilio, filiorumque consensu hæreditatem suam Domui S. Mariæ Frisingæ tradere constituerat. Accidit verò eo tempore, ut publica Synodus (nescitur, qua ex causa) Frisingæ celebraretur. Itaque lauda-

Tassilo Dux
Sicm non
Tervat Pippin.

Frusta bel-
lum contra
Tassilonem
decepiant.

Annot. Brin. lib.
I. num. 13. C.
Jopp.

Ann. Hübneri
in Italia L. 2. 1.

Ann. Brin. I. 1.
Pag. 177.

Increment
Ecclesiæ Fri-
singensis.

tus Poapo unâ cum Cognatis ad prædictam Ecclesiam delatus, animi sui propositum Hæredi Episcopo exposuit. Probavit pium consilium Aribo, & promisit, curaturum sese, ut memoria Poaponis Suorumque in dicta Ecclesia fieret perpetua. Itaque Poapo coram dictis Cognatis & aliis Testibus sæpè memoratæ Ecclesiæ Beatæ Virginis Frisingæ donavit, quiddam juris habuerat ad *Wshje*, & ad *Holz* (fortè in Wiechs Aiblingensis, & in Holzen Schwabenfis Præfecturæ) eâ tamen adjunctâ conditione, ut ipse cum filiis, eorum, quæ donata fuerant, usumfructum ad vitæ dies haberet: post mortem verò omnia *Monasterio S. Mariae cederent*. Cujus Donationis testis est Hæres Episcopus, cum tota familia Sanctæ Mariæ. Chronologicæ Notæ, Instrumento donationis adjunctæ, sibi non respondent, dum exprimitur annus Pippini Regis XVI. Christi DCCLXV. Indiçtio IV. ut adeò, si anno Christi ibi designato inhærendum sit, Pippino debeat assignari potius annus XIV. & Indiçtio III. uti eruditi agnoscunt. Verùm ejusmodi sphalmata in Notæ Chronologicæ sæpiùs irrepere, nôrunt, qui evolvendis antiquis Instrumentis operam diu navârunt.

N. 13.

N. 14.

N. 15.

N. 16.

N. 17.

Eodem anno accessit alia Donatio Hroadheri cujusdam, qui Ecclesiæ Beatæ Mariæ bona quædam in *Susindach & Polach* certis conditionibus adjunctis tradidit. Successit nova stititio ex hæreditate Eginonis Monachi, quam Aribo noster redhibitiò quodam pretiò acquisivit in *Irmina & Perabbah*. Subjungitur traditio Patrimonii Anonis, idem, ut videtur, Monachi, qui insignia bona in *Prising* eidem Ecclesiæ contulit. Similis Donatio secuta est in *Chrakinachra*, seu *Krainaker*, ubi Aribo Ecclesiam sancti Valentini consecravit, ejusque dotem, in suam dispositionem oblatam, acceptavit. Ubi optimè observatur, in omnibus Dedicacionum actibus notari dotem Ecclesiarum, ipsas verò Ecclesias, cum in modum *dotatas*, saltem post mortem Fundatorum fuisse potestati ac dispositioni Episcopi commissas: *ut auctoritas præcorum declarat*: quæ verba non in præsentia tantùm, verùm etiam in multis aliis ejusmodi Instrumentis adjiciuntur. Cæterùm inter testes hujus Donationis laudatur Atto Abbas, utique non alius, quàm qui Ariboni in Regimine Scarantiensis Monasterii successit. Reginperthus quoque Presbyter, ibidem notatus, non videtur esse diversus ab eo, qui ejusdem Scarantiensis Monasterii primarius Fundator, ac postea Monachus fuit, velut superiùs probavimus.

N. 18. 19. 20.

21.

Circa idem tempus sub Aribone Episcopo Ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ ad Rotam fluvium: item Ecclesiæ S. Michaëlis Archangeli in Holzhausen: rursum Ecclesiæ Sancti Zeononis Isanenfi, ac denique Ecclesiæ Beatæ Virginis in *Germania* in monte, fortè *Germanberg*, ex fideiùm quorundam pietate eximia dona fuere oblata: quæ omnia distinctiùs recensere non esset, nisi Lectoris patientiâ abuti.

Memoriam singularem sibi deposcit ea Donatio, quâ Tassilo Dux ab Attono, S. Petri in Scarantia Abbate exoratus, ejusdem Monasterio tradidit locum *India*, aliàs etiam *Intica*, & *Campogelau*, hodie *Imching* dictum, situm in hodierno Comitatu Tyrolis, ubi Dravus fluvius inter asperrima montium juga fontes habet. Erat is locus eousque inaccessible & inhospitus, spatiosus tamen, & qui ad culturam redigi posset, si Colonorum industria accederet. Hunc locum Atto noster donari sibi à Tassilone petiit ad novum Monasterium eo sine ibi erigendum, ut vicina *Sclavonorum* (nempe Sclavoniæ & adjacentium locorum) Gens, quæ eousque antiquis gentilitatis tenebris involuta erat, eò faciliùs ad Christi Sacra (Monachorum utique operâ) adduci posset. Acceptissimam sibi fuisse eam Attonis Abbatis petitionem testatur ipse Tassilo, qui idcirco etiam *manu propria, ut potius, characteres chirographi inchoando depinxit*. Actum id est in *Panzano*, nempe Bullani, vulgò *Bozen*, eòdem ipse Dux rediret ex Italia anno Ducatus 12. Christi 769. consensientibus Judicibus, & Optimatibus: inter quos in Instrumento adducitur *Almus Episcopus*, nem-

nempe Sabionensis. Totum Instrumentum in parte altera cum Lectore communicamus.

De hoc Monasterio, posthac in Collegium Canonicorum Sæcularium converso, atque municipio progressu temporis adjecto, sæpius deinceps erit scribendi occasio. Si verba R. P. Antonii Foresti *part. 3. lib. 3.* bene interpretamur, ad ejusdem Monasterii Donationem etiam Desiderius, Langobardorum Rex, Tassilonis Ducis Socer, multa adiecit.

§. IV.

Reductio Corporis Sancti Corbiniani Majis Frisingam.

Sacratissimas Beati Corbiniani Exuvias in superioribus Majas inter miracula Cap. 1. §. 13. comitati sumus. Nunc tempus monet, ut earum reductionem, ab Aribone factam, ex ipsius Aribonis Scriptis hic recenseamus. Eam non contigisse primò anno Christi 770. convincimus duobus Instrumentis Donationum, Frisingensi Ecclesiæ annò Tassilonis vigesimo secundo, Christi 769. à Sikifrido quodam & Adalberto factarum, quippe in quibus primò occurrunt verba illa, deinceps sæpiusimè repetenda: *ubi* (intellige in Cathedrali Frisingensi Basilica) *ipse pretiosus* (Corbinianus) *in corpore humatus esse cernitur.* Annus reductionis Reliquiarum S. Corbiniani ex Amate. De iis Instrumentis mox infra agemus.

Neque hic attendimus, quod objici nobis possèt: nempe Corbiniani Reliquias fuisse Majas delatas anno Christi 730. ac, teste Aribone, primò, post quadraginta annos, adeoque non ante annum Christi 770. inde esse reportatas. Non, inquam, ista attendimus. Nam verba illa, quibus de 40. annorum intercapedine loqui Aribo dicitur; tametsi in quibusdam recentioribus Codicibus (qualis est, quo Surius, & ex Surio Mabillonius usi sunt) omninò reperiantur; defunt tamen in Codice Benedictoburano, ante annos ferè 700. scripto: ac præterea magnam interpolationis suspicionem pariunt, dum aliter in Suriano, aliter in Andecensi, Sæculo XV. excerptò, leguntur. Præterea Aribo in prædictis Codicibus, ac multis eorum locis nimis latinus est, neque ullà ratione præfert eam simplicitatem, quàm Episcopus ille Instrumenta superioris allegata conscripsit: Et, si Benedictoburanum Codicem cum Suriano atque Andecensi Lectòr contulerit, plures etiam alias manifestas interpolationes & correctiones deprehendet. Quæ etiam ratio fuit, ut alteri hujus Operis parti primò statim numerò totum genuinum, sibi que similem Aribonem è Codice Benedictoburano infereremus. Itaque non est, cur eos juniores Codices attendamus, minùs, cur eos duobus illis antiquissimis Instrumentis præferamus. Sanè interpolatori indignamur minimè; quippe qui fortassis indicare aliud non voluit, quàm quadraginta *circa* annos fluxisse à translatione S. Corbiniani usque ad Ejus reductionem: quod ei lubentes damus, dum nos annum 38. vel 39. statuimus. Verùm de his judicet Lectòr. Superest, ut quis, qua occasione, quo rei successu sacrum illud Pignus Frisingam reverterit, exponamus.

Langobardi Majis, ut in superioribus perspeximus, potiti, sacras Divi Valentiniani, Pataviensis olim Episcopi Reliquias Tridentum abduxerant, quas deinceps mutato rursus rerum statu Tassilo Dux Tridentò in Ecclesiam Pataviensem Ann. Cap. 19. Occasio discutierandi de ea reductio. reductas, non sine maxima veneratione reportari jussit. Id cum sæpiè animò perpenderit Aribo noster, ac minimè ignoraret, non aliam ob causam Corbinianum voluisse Majis sepeliri, quàm ut Exuvie sue prope Beatissimi Episcopi Valentini sacra Lipsana tumularentur, atque iis quodammodo conjungerentur, R. P. Caroli Meichelbeck *Hist. Frising.* I occur-

occurrebat demum animo, ablato illinc, atque ad propriam Patavienſem Eccleſiam tranſlatò Beati illius Epifcopi corpore, etiam Corbinianum denique exemplum ſui illius quondam ſacri Evergetæ ſecururum, paſſurumque, ut & Reliquiæ ſuæ reducantur ad Eccleſiam Friſingenſem à ſe erectam atque fundatam: maximè cum Majis deinceps remotior à Divi Valentini lipſanis eſſet, quàm ſi Friſingæ forent Exuviæ ſuæ. Nihil tamen temerè in eo negotio agendum ratus, cum Viris prudentiâ ac virtute præprimis conſpicuis contulit, an ſcilicet, quòve pacto Reliquiæ illæ Majis Friſingam reducendæ eſſent? Suasere viri illi graviffimi, qui ad conſilium vocati fuerant, ut Synodum Epifcopus cogeret, ibique, quid fieri vel poſſet, vel deberet, cum Clerò ſuo univerſo deliberaret. Conſilium optimum libenter amplexus Aribo non ſolum Eccleſiaſticos viros ſuæ Diœceſeos, verum etiam vicinos Epifcopos ad ſe invitavit, iſque animi ſui curas expoſuit, dolere nempe ſe, refrixiſſe Majenſium pietatem, adcò, ut Beatiffimi Patroni ac veriſſimi hujus Epifcopatus Fundatoris Corbiniani Reliquiæ ibidem aut nullum, aut nonniſi tepidum cultum habeant; non ibi celebrari Viri ſancti Officium: non laudes decantari Numini in Sepulturæ loco: non reperiri ad Tumulum luminaria, maximè poſtquam Beati Valentini Sacra oſſa inde Tridentum atque Patavium fuiſſent ablata. Deinde dubitari haud immeritò, an Corbinianus, qui nonniſi ob ſummam Beati Valentini venerationem Majis humari voluiſſet, nunc, abducto inde illius corpore, ad ſuos reportari omnino optaret? Hæc poſtquam Præſul Religioſiſſimus gravi oratione propoſuit, totus ille ſacer Conventus cenſuit, triduanò jejuniò per totam Diœceſiam inſtituendò, pſalmodiis item atque Sacrificiis humillimè exorandam eſſe Divinam Clementiam, ut voluntatis ſuæ beneplacitum quovis modo oſtenderet, neque permitteret, ut quidquam contra illud in Synodo decerneretur. Triduo itaque illò inter pia virtutum exercitia ſanctè tranſactò, non deſuit Bonitas DEI, ſed ſeptem ex eo Cœtu viros in ſomnis admonuit, placere ſibi, ut Corbiniani Reliquiæ Friſingam reducantur. Id ubi Venerabili Epifcopo noſtro innotuit, rem univerſo ſacro Cœtui Ipſe expoſuit, ac gaudio ingenti animos demulſit. Actis poſtea Divinæ Clementiæ pro Cœleſti illo favore gratis ſolutus eſt ſacer Conventus.

Convocatur
Synodus.

Decernitur
reſectio.

Cp. 40.

Cp. 41.

Et executioni
mandatur.

Cp. 42.

Annente deinceps etiam Taſſilone Duce Aribo miſit è ſuis viros quosdam Eccleſiaſticos, pietate ac prudentiâ ſingulari fulgentes, additò famulitiò congruò, & adjunctâ eâ ſuppellectile, quæ ad ſacrum theſaurum cum debito honore reportandum videbantur neceſſaria. Ut Majas venere, qui ab Epifcopo miſſi fuerant, conſeſſim ad Sancti Viri tumulum ſeſe contulerunt, pronique in terram, DEO, Beatòque Corbiniano propoſitum ſuum commendaverunt. Et quidam equidem eorum pernoctare in Sacello juſſi ſunt: ceteri in diverſorium ſeſe receperunt. Contigit verò, ut paulò poſt ſerenò cœlò tantus ſubitò in Sacello fragor audiretur, qui & tonitruï impetum ſuperaret, & non ſacellum duntaxat, ſed ipſam etiam urbem concuteret, tanto terrore iis, qui in Sacello remanſerant, incuſò, ut in terram proſtrati veluti exanimis hæerent. Viribus deinde receptis, cum è Sacello egreſſi eſſent, obvius è diverſorio habuere ſocios ſuos, cum quibus ſtatim in ſeſpè dictam ſacram ædiculam redierunt, totamque ibi noctem vigilando & orando conſumpſerunt, fragorem illum piè interpretati ſignum quoddam à S. Epifcopo datum ad-redicum unà cum ſacris illius Exuviis Friſingam citò maturandum.

Orto poſtea ſole non ſine pio terrore tumulo Beatiffimi Viri propinquant, eundem, freti mandato Epifcopi, & tot aliorum Sacrorum Præſulum conſiliò, aperuerunt. Et hem mirum ſpectaculum! triceſimò octavo aut nono ab obitu annò Corpus Beatiffimi Corbiniani conſpexerunt adcò integrum, & omnis corruptionis expert, ut non cum mortuò, ſed cum placidè dormiente viderentur habere negotium. Itaque illud è tumulo cum ea, qua par erat, ſumma

rece-

reverentia, suavissimoque animi solatio levârunt, statimque in gestatorio, ad id quam decentissimè præparato, composuerunt, humeris suis inde exportandum. Adeo verò nihil obstitit piis eorum conatibus, ut Corbinianus quasi alas quasdam portitoribus addidisse visus sit. Tanta quippe facilitate ac celeritate sacrum pondus è Sacello, Frisingam versùs, Religiosi viri deportabant, ut etiam Socios suos equites, ponè sequentes, fatigaret.

Sacrum corpus in eo itinere ubique cum summa veneratione exceptum, cœlestem opem quibusdam contulit: nam & cujusdam manum aridam sanavit: ^{Non sine prodigijs. dicit. Cap. 43.} ex alio dæmonem, pessimum infessorem, ejecit. Cp 41

Cùm ad eum locum, ubi sanguinem, è Divi naribus emissum, & in vase fictili in terram defossum fuisse superiùs narravimus, ventum esset, accidit, ut is, qui sacro agmini Crucem ex more Christiano præferebat, imprudens ac inscius hostile Crucis ibidem defigeret, ubi Sanguis sacer defosus latebat. Dictu iterum mirabile! adeo fluidus, rubensque deprehensus est Sacer ille cruor, ut eà primùm die è naribus sani & vegeti hominis manasse visus sit. Quæ causa fuit, ut eo ipso in loco statim condendæ Ecclesiæ initium fieret: in qua etiam, repositò ibi sacri illius sanguinis thesaurò, deinceps multa fidelium devotioni beneficia fuere collata. Cp 41

Post hæc cùm sacrum corpus in Frisingensem viciniam deportatum esset, obvios habuit Pontifices, & alios Viros Ecclesiasticos Bojariz cum ipso Duce Tassilone, ac maximà populi frequentia: qui omnes Divinam Bœnitate[m] hymnis, canticis, gaudijs acque jubilis in Divo Corbiniano collaudantes, Corpus Illius usque ad Beatæ Virginis Ecclesiam Cathedralẽ devotissimè comitati fuere: ubi etiam eodem, quo priùs, loco ritu festivissimò fuit repositum, prodigijs multis illustre. Cp 41

In Suriano Codice refertur, fontem à Divo Corbiniano suscitatum, atque post Ejus mortem exsiccatum, reductò sacro Illius Corpore pristinam aquarum abundantiam ministrasse. Idipsum habet Andecensis Codex, quamvis non iisdem verbis. In verustiori Codice Benedictoburano omittitur illa narratio; unde suspicamur, hic iterum intervenisse interpolatorem, qui equidem rem veram scripsit (fontem enim illum hodièque manare aquas saluberrimas oculis cernimus) sed tamen Aribonis Historiæ aliquid superaddidisse convincitur. In Chronico indycti Monasterii Weihestephanensis subditur: rediisse equidem fontem, & aquas iterum reddidisse; subsequentijs tamen temporibus semel, iterumque aquam quarentibus denegasse *propter malitiam hominum, qui turpitudinem suam illic exercere non formidabant.* Subjungitur fragmentum cujusdam de fonte illo carminis, quod sic habet: Cp 41

*Transactis igitur per tempora plura diebus
Concessas quondam plebs sitiebat aquas.
Accendant animos in vota, precèsq[ue] retexunt
Ipse fatigatur voce polus quarula,
Jejunans itaque, & tridui statione peracta
Queritur admotis fortè locus crucibus.
Hac freti Clerus, plebs, innuptaq[ue] puella
Assunt, & Christum supplice voce rogant.*

Pergit loci Chronographus: Rursus itaque supplicibus Christiadarum votis largistua aqua ibi manare cœperunt, ut homines fontem hunc sola Dei Clementia, & Beati Corbiniani meritis sibi esse concessum intelligerent. Cessent igitur ibi sordes & turpia dicta, & solum honestus & necessarius quaratur aquarum usus; hæc ille.

Sacellum deinceps sacro Fonti illi à Majoribus superædificatum, sed annorum lapsu ruinæ proximum pauculis abhinc, dum ista scribimus, annis Re-

verendissimus & Amplissimus D. Ildepbonus, inelyti Monasterii Weihenstephanensis Abbas, & Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præses Generalis, demolitus est, & sumptibus sanè ingenibùs aliud splendidum Templum potius quàm Sacellum aut Capellam ibidem erexit, quod die 16. Julii anno 1721. Celsissimus ac Reverendissimus Princeps & Episcopus JOANNES FRANCISCUS honoribus Beatissimi Corbiniani festivissimè consecravit. Pervetustum de fonte illò carmen, supra laudatum reponimus pleniori maui in parte hujus Operis Altera, quod è Codice Andecensè deprompsimus, ex quo plura Lector intelleget.

§. V.

Novæ Donationes factæ Ecclesiæ Frisingensi.

Magnam fuisse fidelium pietatem atque liberalitatem erga Beatissimæ Virginis Cathedralē Ecclesiā Frisingensē, ex iis probatum manet, quæ tum in vita ipsius S. Corbiniani, tum in Actis Erimberti, Josephi, atque Aribonis hæcendens retulimus. Reducto autem ad suos sancti Præfatis corpore longè majora fuisse in sacram illam Basilicam, familiamque piorum studia, ex iis apparebit, quæ deinceps sumus adducturi. Occurrit primò loed ea Donatio, quam factam esse Anno 769. supra jamjam insinuavimus, & quidem à Sikifrido *ad sepulchrum Sancti Corbiniani Confessoris Christi in loco Frisingens.*, ubi ipse pretiosus in corpore humatus esse cernitur. In ea traditione Sikifridus unà cum filio Erchanfrido offert *ad domum S. Corbiniani*, totum, quidquid jure hereditario sibi obtigerat in *Epermunteshusir*: fortè Eberzhausen, Dachaviensis Præfecturæ (ita tamen duntaxat, ut eorum bonorum usus primò post obitum suum cedat in. dominium Rectoris ac Gubernatoris *Monasterii S. Corbiniani.*) Contigit hæc donatio anno *Tassilonis Ducis XXII. VI. Kalendas Martias*, id est: Anno Christi 769. die 24. Februarii. Sikifridi exemplum strenuè secutus est Adalpertus Presbyter, qui omnem suam possessionem in *Dabinsinga* (nempe Teining) Cathedrali Ecclesiæ Frisingensi præsentavit anno suprà notatò, *Tassilonis XXII. XI. Kal. Majas*. In instrumento reperitur illud: *ubi . . . Sanctus Corbinianus requiescit in corpore.*

Subsecuta est proximò annò Donatio Oadelkeri Presbyteri, qui postquam Parens illius *Saculum reliquerat*. & habitum mutaverat, id est, Monachum Frisingæ induerat, & omnem præpinguem hereditatem certis adjectis conditionibus ipsi Oadelkero filio, præsentē Aribone Episcopo, commiserat, demùm, eodem Cellone Patre suo rursus annuente, totum, quod uterque babuerat in *Poach*, & *ad Ripam fluminis Clana**, Ecclesiæ Frisingensī B. Mariz Virginis & S. Corbiniani, ibi conditi, liberaliter contulit. Instrumentum, vel ob solos nobilissimos testes perquam notabile statim hic inferendum censuimus: quod hæc continet:

DUm in Dei nomine ego Oadalgaer Divina Clementia Presbyter nuncupatus cogitante vel tractante me de anima mea seu de vita futura, ut in quantitate apud pio Domino veniam merear accipere corpori meo crepescente languore Cotidianis affligor doloribus resoluta genua iuventutis amissa vigore suspiriis fruor analatum fragilis septam parietis animam scitilis tecumme subpositam contueor futuram vitam, fateor veritatis testimonium reperio, qui ait: relinque omnia, quæ habes, & veni sequere me, & habebis thesaurum in celo; propterea universam substantiam, quam Genitor meus Cello in hereditatem mihi reliquit ipso presente atque consentiente seculum dum relinquisset atque habitum mutasset, propria manu universam substantiam, id est communem hereditatem nostram mihi tradebas in conspectu Aribonis Episcopi atque

* Vulgò olim. loc. Othman.

cuncto Clero atque nobilissimis Virorum seu nostrorum finitimorum, quorum in presentia in Castro Frisingas nuncupante intemerata & semper Virginis atque Dei Genetricis Ecclesia Mariæ unâ cum Socio Beato Christi Confessore Corbiniano, cuius corpus infra mœnibus conditus esse dimoscitur, & Reliquiarum earum constituis, quorum ditioni universam hereditatem nostram tam pro me quam Genitore consentiente ipso atque Genetrice tradedi atque transfundari, excepto necessitate cogente, si insisteris tempus, ut uterer eorum usufructibus non ut propriis sed quasi beneficiis Ecclesia; post obitum verò meum vel traditio hac firma & stabile permaneat sibiulatione subnexa, consentiente viro illustrissimo Duce Domino Tassilone, qui manu propria traditionem firmavit; hanc tradedi namque in loco nuncupante Poh, & in alium locum Ripa Claris flumina, quem possidemus inter utroque locis coloniis quinque, cum omnibus eorum usufructibus tradedi casas, curtes, pratas, pascuam, aquas earum decursos, territorium, simas, sivas, saltos, planities, vel quicquid iure possidere videbatur omnem rem inquisitam, ut si quis Parentorum, nempe cognatorum meorum vel opposita persona contra hanc donationem inire temptaverit, insolubile vinculo eterna damnationis reati retributionem recipiat, & cum sancta Dei Genetrice atque predicto Confessore Christi rationis teneat causam, & insuper Iudice terreno auri librarum duarum, argenti quinque culpabilis existat, & donatio hæc nihilominus firma permaneat. Actum in oppido Frisingas sub die Consule, quod est VI. Kal. Octob. anno XXIII. regnante eminentissimo Domino Tassilone Duce. Hæc sunt testes, qui manu propria firmaverunt, aut per aurem, aut per verba ad testimonium conducti. Inprimis Dominus Dux Tassilo testis: deinde Alim & Heres Episcopi testes. Ullaltrih. Ratolt: Hununc: Reginolf: Engilpald: Horskho Presbyteri: Arn: Reginolt: Pern Diaconi. Cundhari: Maxii: Salucho Iudices Haimo: Acego & reliqui innumeri. Ego Oadalger donator scripsi & subscripsi propria manu & testes firmavi. Et ego Cello manu propria scripsi & ipse tradidi. Virgilius Episcopus testes. Wisurh Episcopus testes. Chumihard testes. Chumihoh testes. Ex hujus Membræ Chronologicis notis certum nobis est, hanc Donationem accidisse Anno Christi 770. die 26. Septembris, præsentibus Tassilone Duce, Sancto Virgilio Salisburgensi, Alimo Sabionensi, & Wiferico Pataviensi Episcopis. Cellonem, Donatoris Parentem, factum esse apud Frisingenses Monachum, ex ijs verbis fit manifestum, ubi dicitur, cum saculum reliquisset, & habitum mutasset. Sanè an ipse Oadalger Monachus factus fuerit, definire non audemus. Conjecturam tamen dicimus, cum unum ex familia Frisingensi fuisse, tum quòd ejus nomen sæpius in Instrumentis illius temporis occurrat, tum quòd alicubi dicitur ab infantia educatus ab Astone.

Sed quomodo, inquis, Monachus fuit tum Cello Patens, tum Oadalger filius, qui proprium habuisse convincuntur ex Instrumento? Respondemus, & Cellonem, & Oadalgerum omnem rerum donatarum proprietatem exuisse, ac Frisingensi Ecclesie consecrâsse; testatur enim Oadalger, se tradere ac transfundere omnem suam hereditatem in Ecclesiam Beatæ Mariæ, & in casu necessitatis se fructibus eorum bonorum non usurum *ut propriis, sed quasi beneficiis Ecclesie*: quod eo tempore apud Frisingenses insolitum non erat, veluti per Historiæ decursum ex multis aliis Instrumentis docebimur.

Reponet nonnemo. Si Cello, ejusque filius Monachi fuere, omnia necessaria à Patre Monasterii sperare debuerunt, ita jubente Sacra Divi Benedicti Regulâ. Respondemus, subjungi prædictis Sacræ Regulæ verbis: *Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Si Aribo Episcopus, qui Frisingensium Monachorum, ac Monasterii S. Corbiniani tum Pater fuit, sive Celloni, sive Oadalgero aliquid suadente utilitate permisit, nemmo illorum in Regulam Sancti Benedicti peccavit.

Objectio re-
solvitur.

cap. 11.
ref. 6.

§. VI.

Synodus Dingolfingana.

Ann. Biv. lib. 7.
pag. mil. 113.

Concilia, Convētūsque cogere, & Leges condere, Regum apud Fran-
cos munus, Tassilo Dux, altiora spirans, propalā utrumque sumpsit,
ait Velferus.

Acto primige-
nia excide-
runt.

pag. 110.

Conventum ejusmodi Aschaimii, Bojariz, ac Dioceseos Frisingensis vi-
co, sub Tassilone convocatum fuisse, quidam scribunt. Verūm quid ibi actum
fuerit, omnes, ut quidem existimamus, hactenus ignorant, Actis, ut vide-
tur, dudum deperditis. Concilii quoque Dingolfingani non tam Acta, quā
fragmenta superesse, veluti magnæ navis laceras tabulas, idem mox laudatus
Velferus affirmat: & Antonius Pagius in sua *Critica* ad annum Christi 772. om-
ninō existimat, ea, quæ tum ab ipso Velfero, tum à Gewoldo in *Additioni-
bus* ad Episcopos Patavienfes referuntur, non esse nisi partum cujusdam Ano-
nymi posterioris, summam narrantis, quæ in eo Concilio gesta & conclusa
fuere: quod ipsum suadere videtur Titulus, qui alius non est, nisi hic talis:
De Concilio, quod Dux Tassilo apud Dingolfingam celebravit. Tacemus arti-
culos adeo strictim fuisse positos, ut indiculi potius, quā sincerorum ac pri-
mogeniorum Actorum naturam sapiant. Verūm utcumque ista se ha-
beant, illud certum est, fuisse Dingolfingæ celebratam Synodum, &
quidem anno Christi 772. Indictione 10. quocumque is demum fue-
rit Tassilonis annus, circa quem apud Pagium Scriptorum & antiquæ
Membranz non concordant: nobis verò ex nostra supputatione debet esse
annus Tassilonis XXV. qui domestica potius, eaque veterimā Documenta
attendere solemus, quā sphalmata, quæ apud extraneos Scriptores frequen-
tius occurrunt.

Annus Sy-
nodi.

An fuerit co-
lectata præ-
monio Pon-
tificis?

Num de Synodo congreganda Tassilo Pontificem præmonuerit, nullibi ha-
ctenus legisse meminimus. Illud verò non ignoramus, Tassilonem Sedi Pon-
tificiæ fuisse devotissimum, quod ex itinere ipsius unā cum Coniuge & par-
vulo filio Theodone Romam instituto rectè conjicimus, maximè cum idem
Theodo filiolus ab ipso Pontifice fuerit sacro fonte ablutus. Sed fortasse satis
fuerit Tassiloni & Episcopis ac Abbatibus Bojariz, quòd jam dudum à Gre-
gorio III. ac postea à Zacharia Pontifice literis fuerint admoniti, ut de Capi-
tibus orthodoxæ Religionis, ac morum reformatione annuos Convētus age-
rent. Neque apparet, cur Pontificis illis exhortationibus fultus Tassilo Pro-
vinciæ suæ Episcopos ad ejusmodi Convētum invitare, ac convocare non
potuisset?

Patres Sy-
nodi.

Comparuere cum Tassilone Episcopi sequentes, qui vario ordine à variis
enumerantur. Manno Nuiuenpurgenfis, sive Neoburgenfis ad Danubium Epi-
scopus: Alimus Episcopus Sabionensis: Sanctus Virgilius Episcopus Salisburgen-
sis: Wisericus Patavienfis: Sympertus Ratisbonensis: & Hares, sive Aribo no-
ster, Episcopus Frisingensis. Ex Abbatibus nostris Synodo interfuere Op-
portunus, Wolfbertus, Adalbertus, Ato, Uto, Landfridus, Albus, Ru-
ocharius, Ernestus, Reginpertus, Volchanhart, Perchkoz, & Sigido. His
omnibus Abbatibus Aventinus equidem assignat Cœnobia sua. Verūm ut
Aventino circa omnes assentiamur, impetrare à nobis non possumus: Oppor-
tunum fuisse Abbatem Menensē seu Lunzlacensē, non diffitemur, Wolf-
bertum Quercui, seu Altabæ inferiori, Ernestum superiori præfuisse, consen-
timus. Adalbertum Tegernseënsibus, Attonem Scarantiensibus, Utonem Il-
mensibus, Landfridum Burenibus seu Benedictoburanis jura dixisse, ultrò as-
serimus. Sigidonem quoque Weltenburgensem Cœnobiarcham fuisse, non
defunc

defunt momenta, cur adstipulemur, cum circa ea tempora in Catalogo Welfenburgensi saltem Sigidi cuiusdam nomen deprehendamus. At Reginpertum potius Mospurgensem, quam Pfaffo-Monasteriensem fuisse existimamus. Certè ad illud ipsum tempus in Libro Societatum Monasterii S. Petri Salisburgi coævâ manu scripto, occurrit Reginpertus, Mospurgensium nostrorum Abbas. De Volcardo quoque seu Volchanarto Austraviensi seu Osterhoviensi, de Bertholdo seu Perhkoz Chiemensi, & Albuno Sandaviensi non habemus alios testes præter Aventinum: quo in genere illud unum certum est, circa annum Christi 772. jam plura, quàm 15. Monasteria sub Divi Benedicti Regula in Bojaria floruisse. Quod de Ruothardo Wessobrunnensi Abbate asserit Aventinus, existimamus sustineri non posse, cum nullus Ruothardus in Catalogo Abbatum Wessobrunnensium, ad illud maximè tempus, occurrat. Monasterio S. Emmerammi Ratisbonæ eo tempore Abbas præerat Babo; quem tamen cum in hac Synodo non reperimus, credi potest, eum aut ex infirmitate fuisse domi detentum, aut Sympertum Episcopum, Monasterii Sancti Emmerammi incolam atque Amplificatorem præcipuum, ejus munia suscepisse. Multò evidencius est, S. Virgillum (qui eo tempore adhuc Abbat S. Petri Salisburgi munus nondum Berthrico cesserat) non solum ò Episcopum, verùm etiam ùt Abbatem S. Petri comparuisse. Et horum utrumque Aventinus non malè asseruit. Cæterum Ruothardum malim ego dicere Abbatem Ifanensem, eò quòd ipsò annò Christi 772. Monasterium Sancti Zenonis in Ifen habuerit Abbatem *Frodhartum*, veluti §. seq. ostendemus. Dolendum interea est, primigenia Synodi Acta aut peruisse, aut hætenùs in lucem emissã non fuisse, quippe è quibus multò copiosiorum rerum atque personarum noticiam licuisset haurire.

Cæterùm Decreta illius Synodi pleraque tam sunt obscura, ut neque Velferus, neque Brunnerus (quos inter Boicarum Rerum Scriptores præcipuò locò veneramus) interpretationem sibi assumendam censuerint. Aventinus aliqua Concilii capita manifestè depravavit. Scribit enim inter cætera, statutum Dingolfingæ fuisse: ut *Monachorum quisque in Conclavi suo deliteat, juxta vocabuli sui rationem. Suam solius curam habeat*. Quod sanè Synodus illa nullibi mandavit, sed *Curam* aliarum etiam animarum, ab Abbate proprio committi Monachis posse, in propriis maximè villis, apertè declaravit. Verum est, Monacho (& omnibus aliis, qui Religiosæ cuidam Communitati sese per vota solennia adstrinxerunt) foras non licere prodire suspete voluntate aut arbitrio: multò minùs toti illi hominum Religiosorum generi convenit extra Clausuram moras trahere. Verùm siqua extra Monasterium agenda sunt ex Superiorum mandato, aut si etiam exercenda committitur animarum cura, nec Regula Monachorum, nec Concilium Dingolfingianum ullum ponit obiectum, imò id apertissimè permittit. Certè obscura Concilii verba meditantibus alius sensus non occurret, quàm hic, nempe: probari in Concilio non potuisse, Parochias, & publicam (id est, in quovis loco aut Ecclesia) Sacramentorum administrationem debere commendari Monachis, nisi in casu necessitatis, & ita, ut Monachi non trahant longam moram extra Monasterium; in propriis tamen villis ab Abbate Monachis curam illam omninò committi posse. Et hoc est, quod Concilium statuit, & aliter statuere non potuit. Vitæ virorum Apostolicorum, ex Monachorum contuberniis ad animarum salutem è claustris tum evocatorum, tum ab Abbatibus suis emissorum, novendecim Concilii Dingolfingani Patribus (quorum ad minus quindecim erant Regule S. Benedicti addicti) non poterant esse incognitæ. Quomodo enim nescissent exempla ipsius Beatissimi Benedicti, Monachorum Patris, qui, teste Magnò Gregoriò, *Idola contrivit, aras eorum subvertit, lucos succidit, & commemorantem circumquaque multitudinem predicatione continua ad fidem vocavit?* Bonifacii, Germanicæ Apostoli, ex Monachis assumpti (qui ante an-

Decreta Concilii Dingolfing.

Quorum nullo Monachis administratio Sacramentorum prohibetur.

L. 2. Dialog. Ep. 2.

nos primùm viginti Bojariz Episcopatus, ac plura Monasteria instituerat) tam clara, càmque recentia erant Apostolici muneris exempla, ut nemo Episcoporum illorum tam ab omni ratione potuerit esse alienus, ut aliud contra Monachos sive statuere vellet, sive statui posse censeret. Itaque Aventinus, & qui cum Aventino nugantur, dictum sibi putent illud Bonifacii Papæ IV. *Cap. Sunt nonnulli 25. Caus. 16. q. 1.* quod Hæftenus noster *Disquisitionum Monasticarum lib. 2. tract. 7. Disquisit. 4.* plenius adducit. *Sunt nonnulli* (ait laudatus Pontifex) *nullo dogmate sulti, sed magis Zelo amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, sacerdotali officio indignos: neque penitentiam, neque Christianitatem seu absolutionem largiri posse per Sacerdotalis Officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur. Nam si ex hac causa veteres amuli verà predicarent, Apostolica Sedis compar B. Gregorius, Monastico cultus pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui solvendi & ligandi potestas concessa est. Augustinus quoque ejusdem Sancti Gregorii discipulus, Anglorum predicator egregius, alique quam plurimi Sancti Viri pretioso Monachorum habitu surgentes, nequaquam à quoquam Pontificali officio subarrarentur. Neque enim Benedictus, Monachorum Pater & Præceptor abnificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos secularium negotiorum edixit fore expertes tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium Patrum institutis, non solum Monachis, sed etiam Canonicis imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Tantorum igitur Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus, à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos dignè contigerit hoc Ministerio sublimari. Decertantes igitur Monastice Professionis Presbyteros Sacerdotalis potentia arcere officio, omni modo precipimus, ut ab hujusmodi ausibus reprimantur imposterum. Quare quanto quisque est celsior, tanto & illis erit potentior. Hæc Bonifacius Papa tum in Corpore Juris Canonici, tum apud Hæftenum; qui hoc argumentum pluribus eruditè prosequitur: ad quem Lectorem remittimus.*

Paſſum inter
Episcopos &
Abbatem pro
mortuus.

Alia Decreta Concilii Dingolfingani Patres condidère de die Dominicæ feriis; de hæreditatibus ad Ecclesiam delatis: de Donationibus ei factis: de Conjugiis: de Exhæreditatione & aliis. Inter quæ principem locum tenet in initum inter Episcopos illos atque Abbates pium fœdus in solatium eorum, qui ex ipsis, eorumque Sodalibus è vita migrarent. *Conventum est hunc in modum: ut si eorum quis de hac luce migraret, unusquisque superstitem Episcoporum vel Abbatum pro defuncto, in domo sua Episcopali vel Carnobio centum Missas speciales, & eodem numero psalteria cantare faciat: ipse verò de propria persona, vel à Religiosis sibi subiectis, implere omnino prænotatum faciat numerum. Presbyteris sive Monachis, cum de hoc Saculo migraverint, Episcopus seu Abbas, pro uno Presbytero vel uno Monacho 30. Missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari. Ita Scriptor, qui Acta Synodi in compendium redegit. Ubi monemus Lectorem, hanc Societatem inter Episcopos, Abbates, eorumque Sodales non fuisse primam, cum in vetustissimo Codice Societatum Monasterii S. Petri Salisburgi jam videamus recenseri Haimrammum Episcopum, Gurbinianum Episcopum, Agnellum Episcopum, Pivolum Episcopum, Erhardum Episcopum* (Superi, quanta nomina) ac plures alios Episcopos dudum ante hanc Synodum mortuos. Interea tamen certum videtur, numerum Sacrificiorum, sacrarumque precationum pro defuncto persolvendarum primùm in hoc Conventu fuisse definitum. Sanè ejusmodi pia Fœdera etiamnum inter Claustrales sanctè vigere, nemo ignorat. Progressu temporis similia, ùc vocant, Pacta inter quosdam Sodales Marianos, atque alios coaluère. Cæterùm ex dicta Constitutione Dingolfingana manifestum est,*

* ut margin.

est, aut omnes, aut propè omnes per Bojariam Abbates fuisse Presbyteros: quod à nonnullis aliquando in dubium fuisse tractum novimus.

Demùm Tassilo in dicto Concilio leges quasdam etiam populares & Provinciales condidit, quas idem Velferus recenset. Verùm id Francis probari non potuisse certum est: quibus insuper displicere debuit, quòd Tassilo, insuper habità juramenti Religione passim *Principis* nomen sibi usurparet, qui potest con-
titulus ea etate meritò pocior fuit habitus, ac titulus *Ducis*. Principis erat dere leges populares?
imperare: Ducis, imperata facere. *Regni* quoque Tassilonis ingesta in Synodo mentio, atque inter Chronologicas Notas dissimulatio annorum Regis Franciæ, quid aliud indicabant, quàm supremum, atque ab alio neutiquam dependentem Bojarie Principatum? Verùm ista omnia Tassiloni nonnulli tristes eventus cum tempore fecuturos portendebant.

§. VII.

Nova Ecclesiæ Frisingensis Incrementa.

Reductò Frisingam Divi Corbiniani Corpore, Ecclesiæ ac Familiæ Cathedrali plura identidem bona accessisse suprà monuimus, & nunc ulteriùs ac plenius demonstrandum suscipimus. Tantus verò Donationum numerus occurrit, ut vel sola Benefactorum nomina recensere laboriosum scriptori, Lectori verò molestum esse debeat. Hinc ea solum Instrumenta, ommissis quàm plurimis aliis, & in Partem Alteram rejectis, strictim percurremus, unde Rei Historicæ aliqua lux affundi possit.

Occurrit primò locò Donatio Ecclesiæ S. Heimmerammi seu Emmerammi Martyris in Helffendorff, quam olim ab Erimberto Episcopo dedicatam fuisse, alibi diximus. Fecit eam Donationem Isanæ Ortlaius quidam cum consensu Abbatis sui Hrodharti anno Tassilonis Ducis 25. Christi 772. Ex quo Instrumento conjecturam supra haud immeritò fecimus, hunc Hrodhartum fuisse Abbatem *Monasterii* Isanenensis, cùm in nullo cæterorum Abbatum Bojarie Catalogo nomen Hrodharti occurrat. Proxima eodem anno erat donatio Hiltiprandi cujusdam, qui ex equo lapsus, ac contractò craniò, & defluente cerebro à Medicis desperatus bona sua in pago Truchtering Ecclesiæ B. V. M. Frisingensi addixit, postquam Tassilo Dux *Consanguinitatis non immemor, & Servitutis quantitatem compensans*, amplum consensum præstitit. Ex quibus intelligimus, Hiltiprandum quodam sanguinis vinculo fuisse Tassiloni conjunctum.

Donatio concernens jura tum profana tum Ecclesiastica in *Ilmina, Heimbushis, Perhab, Fuributze & Kysimbach* facta est à Rihberto quodam. Instrumentum scriptum fuit Ratisbonæ in Ecclesia S. Emmerammi præsentè Aribone nostro.

Alia traditio de *Roraga Mussea* (nempe Rörmosen) item in *Clana*, id est *Glom, & Ahaloh*, hodie *Alach*, erat aliquo modo patrimonium Hrodini, unius ex familia Frisingensis Ecclesiæ. Facta est die *Synodali*, scilicet *quintâ feriâ ante Pascha, in qua christina conficitur*. Ex quo suspicamur, nomine *dies Synodalis* hic non intelligi nisi diem, quo major Cleri numerus convenire ad Christmatis consecrationem consuevit.

Donatio Alburniæ, Ancillæ Dei, quâ bona sua in Petenbach (vicus est Dachaviensis Præfecturæ) Ecclesiæ Frisingensis offerri, prodit, Monialem illam (id enim nomine *Ancilla Dei* intelligimus) aliquo *parentele nexu* Ariboni fuisse conjunctam: atque illud insuper disertè indicat, non tantùm S. Corbiniani, sed etiam Sociorum Ejus Reliquias in veneratione publica eo tempore fuisse: quod etiam alibi passim in ejusmodi Membris insinuari conspiciamus. Sanè inter focios illos Erimbertum præcipuò locò numerari debere, non est, *R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.* K cur

cur dubitemus. De Monialibus Frisingensibus deinceps sæpius occurret mentio.

In Donacione de *Zidalbach*, fortè *Zeidlbach*, inter testes iterum refertur S. Virgilius: & Tassilo Dux dicitur fuisse præfens; illud tamen advertimus, annum Tassilonis XXV. cum Indictione XIV. ibi designatâ non posse componi. Cùm enim annus Tassilonis vicefimus quintus sit Christi 772. ei non responderet Indictio XIV. sed X. uti apud Pagium videri potest. Itaque aut in numerum anni, aut Indictionis irrepfit error. Cæterùm facta est ea donatio VI. Idus (sive die octava) Mensis Septembris, qua videlicet olim Beata Virgo Maria nata est terris, Corbinianus verò datus est coelis.

N. 11.

Ubi ulterius observamus, quòd, cùm S. Virgilius Episcopum sæpius reperiamus in Instrumentis Frisingensibus, palàm fiat, eum Frisingæ aliquoties Aribonis familiaritate fuisse delectatum.

Donatio Wolfberti Presbyteri, qua Ecclesiam à se Divo Valentino in Altenhausen constructam, eodem anno, Christi 772. Frisingensi Ecclesie tradidit, indicare videtur, dictam ejus loci Ecclesiam non fuisse consecratam à S. Corbiniano, quòd tamen in quodam Episcoporum Frisingensium Catalogo annotatum vidimus.

N. 32.

Non vacat hic fusiùs enarrare donaciones alias quàm plurimas Ecclesie Frisingensi sub Aribone Episcopo factas. Sufficiat vel sola nomina locorum suggerere, in quibus variz ac notabiles possessiones cum familie Frisingensi, tum alijs quibusdam Ecclesijs Ariboni subjectis; fuere eo tempore oblatæ, nempe ad *Wirram fluvium*, *Sindilhusir*, *Chreidorf*, *Floche*, ad *Rotam fluvium*, in *Prama*, *Phetraha*, *Schwoinbach*, *Premareim*, *Oasimvanc*, *Pohhi*, *Drutpertheshufis Dorfen*, *Feldui*, *Zolling*, *Perza*, *Freteraha*, *Slivvesheim*, *Teitimbesci*, *Syvindahn*, ad *Ambrom fluvium*; ad *Isna*, *Tegrinbach*, *Phetrab*, *Polasinga*, *Hohimper*, *Kisalbach*, *Holze*, *Dornegindorf*, *Pacharan*, *Hrodolvesthusir*, *Senesdorf*, *Pohlobe*, *Pipurge*, *Azalinga*, *Riutte*, *Hafalpach*, *Arvzapach*, *Ruchozbosa*, *Ruharteshufen*, *Pipurch*, & *Rota*.

N. 33. 34.
35. 36. 37.
38. 39. 40.
41. 42. 43.
44. 45. 46.
47. 48. 49. 50.
51. 52. 53.
54. 55. 56. 57.
58. 59. 60.
61. 62. 63.
64. 65.

Quæ quidem nomina locorum obiter indicasse sufficiat, cùm ex ijs Lector abundè percipere possit, quantæ accessiones Frisingensibus Rebus sub Religiosissimo Aribonis Regimine factæ fuerint. Verùm bis in sequentibus adhuc alias donaciones adjiciemus; interim non desunt quedam alia, quæ hic inferere oportet.

§. VIII.

De Migratione Scarantiensium ad Monasterium Schleedorff.

Cap. 7. §. 3.

Scarantiensium Monasterio sub Josepho Episcopo anno Christi 763. datum fuisse initium, Abbatemque primum eidem præfuisse Aribonem nostrum, supra ostendimus. Ariboni, anno 764. ad Mytram Frisingensem vocato, Attonem in Scarantiensium Regimine successisse Abbatem, eumque egregijs tum à Desiderio Longobardorum Rege, tum à Tassilone Duce ad condendum Monasterium Inticense muneribus anno Christi 769. fuisse affectum, itidem in superioribus retulimus. Nunc tempus monet, ut proxima ejusdem Scarantiensium Monasterii Acta producamus.

Primi Abbat-
es Scarantiensium

Extat in libro antiquo, seu primò traditionum Frisingensium Charta, in qua Aribo de seipso agens hæc ferè habet: se fratribus in *Scaritia* seu *Scarantia* congregatis, præcipuè verò Reginperto, qui cum consensu Tassilonis Ducis, & Episcopi Josephi in fundo ac dominio proprio Monasterium illud condere cæperant, locò sui (ad Episcopatum assumpti) proposuisse in Abbatem *fratrem*,

rem, & charitatis socium, Attonem, ea tamen conditione, ut postea prædicto Attoni nemo alius in Abbacia succedat, nisi ipse Reginpertus, sive dein Attonis vivus sive mortuus Scarantiensis Cœnobij clavum deponeret. Caterum cautum fuisse, ut tam Reginpertò, quam Attone mortuò nemo illuc Abbatem mitat nisi Episcopi Successores, qui Abbatem ex ipso Scarantiensi gremio, & non aliunde eligere debeant, excepto, si ibi non reperiretur, qui Abbatis munus gerere dignè posset: tunc enim liberum Episcopo fore aliunde alium accersere, & fratribus illis Abbatem præficere. Monet verò inter hæc & plura alia Aribo, se Scarantiensibus autorem fuisse, ut nivosa ventosaque solitudine relicta, extra Alpes in loco, cui *Schledorff* nomen, sedem firmarent. Litteras ita hic subjicimus in hunc modum scriptas:

Migrationis
Anno Ario.

IN Nomine Summi Dei, Patrisque & Filii, atque Sancti Spiritui. Ego Hæres Episcopus divini Largitoris munere fratres, quos sub gradu minori ad regendos suscepi, Scantia deserti congregatos, id est Reginpertum, nec non & fratrem ejus, qui in alode proprio per consensu Domno & Decessore nostro *Joseppo* Monasterium condere ceperunt, & postmodum per nostrum Consilium locum mutaverunt ad *Schledorf*, inque occupatum cum agnovissem, fratrem, & caritatis mihi Socium Attonem Religiosum Reginperto per consensu, atque fratribus meis, que vici proposuimus. Stetit namque ipsos coadunare possessiones, sicut norma hujus declarat vita, ut quicquid propria habuissent, ad ipsam communiatem concessissent, & post Attonem Abbatem ipse Reginpertus præesse debeat, tam ipso vivente, quam ejus post obitum. Et nos quidem statuimus eorum post obitum, ut nullus ibi Abbatem mittere debeat, nisi ipsi Episcopi, post nos qui fuerit sibi ex eadem congregatione elegant Abbatem, excepto omni modo si defuerit talis, qui dignus sit regularis, tunc subjaceat sententia eorum per Consensu Episcopus alium loci ejus restituat. Nos autem manum nostram non subtrahimus, tamen Canoniam per omnia firmamus manu nostra permanere sententiam, & Regularem tramitem, ut ordo deposcit.

Attone hunc in modum *Schlehdorffium* cum suis digressò, Anulo quidam & filius ejus *Oadalker* bona quædam in vico *Cemberg* sita ad conciliandam animabus suis Divinam Bonitatem eidem Abbati obtulerunt, ast non nisi ad dies vitæ ipsius Attonis. Hæc ipsa verò bona deinceps *Patte* & filio illo ulterius consentientibus *Atto* Abbas Monasterio *Schlehdorffensi*, vel potius ejus loci Tutelaribus Patronis, quorum ibi Reliquiæ habebantur, perpetua esse voluit. Instrumentum sic habet:

Donatio facta Schlehdorffensibus.

Regnante in perpetuo Domino nostro *Ihesu Christo*, anno XXI: regnante *Domno Tassilone Duce Bojoariorum illustrissimo viro*. Ego itaque *Atto Abba* pro remedium animarum, que se nobis commendaverunt, renovo, & restituo hereditatem, quam commendaverunt mihi ad vitam meam *Anulo*, & filius ejus *Oadalker* in loco nuncupante *Cemperc*, per consensum *Domni Tassiloni Ducis* ad Monasterium nominato *Slehdorf*, eo quod jam *Prasati Viri* in hoc ipsam rem commendaverunt mihi, ut post obitum meum jam dictum locum *Cemperc* cum omni integritate, seu si ego ipse aliquid lucri acquirere potuissem ad Sanctorum Reliquias, qua ibidem venerantur inviolabiliter possidendum, vel perfruendum jure perpetuo pro animabus eorum confirmassem. Nunc autem restituro, & confirmabo petitiones eorum, reddoque, & restituo ipsas res in presentia venerabilium Virorum, quorum nomina subter inseruntur, ad sanctam domum Dei, quod primus celebratur in honore Sancti *Dionisij*, & ubi Sanctus *Tertulinus* requiescit in corpore, quem à Sede Apostolica *Reginpertus Monachus* concedente *Adriano Papa* ad partibus Bojoaria me adjuvante perduxit. Actum in villa prædicta *Cemperc* sub die Consule, quod facit *XV. Kalendas Septembris*, Indictione *V.*

Kienberg villa, Cranipergensis Præfectura.

Hac nomina testium: Ardeo Episcopus, Lansfrid testis, Chunihart, Tuto testis, Cundheri testis, Arn Diaconus, Ratold testis. Ego Altman ex ore Attonis Abbatis iussione Aribonis Episcopi conscripsi hanc cartulam.

Hoc ipsum instrumentum, quod in primo seu antiquo Traditionum Frisingensium libro fol. 135. exhibetur, repetitur postea fol. 160. Cum aliqua tamen verborum mutatione, dum ibi ait Atto, se bona prædicta in Kernberg tradere ad Corpus Sancti ac Beatissimi *Tertuliani* (Tertulini) *Martyris, quem heredem mihi, inquit, Omnipotens Deus constituit, & a diebus meis ubicunque conlocatum fuerit Corpus ejus, in nostra sit providentia, quia à Sede Apostolica concedente & commendante nobis, Beatissimus Adrianus Papa sollicitè summo cum studio devotionis commisit curandum;* hæc ibi.

In his vetustissimis instrumentis advertimus, annum Tassilonis XXV. (qui est Christi 772.) non convenire cum Indictione V. fed X. ut ex Pagio advertimus. Hinc concludes Lector, librarium iterum fuisse lapsum, ponendo Indictionem V. ubi ponenda fuerat X.

Rursus observabit ex his Lector, primum Schleichdorffensis Monasterii Patronum non fuisse S. Tertulinum sed S. Dionysium, quippe in Cujus Ecclesiam Reliquiæ Divi Tertulini fuere illatæ. Insuper ex eodem documento constat, non solum Reginperto, verum etiam Attoni Abbati deberi translationem Reliquiarum S. Tertulini; enim Atto, *se adjuvante Reginpertum Reliquias illas impetrâsse: ac sibi etiam custodiam earum à Pontifice fuisse demandatam.*

Observamus insuper, in dicto Instrumento post Aribonem Episcopum primo locò inter testes numerari Landfridum, qui absque dubio alius non est, quam Burensis seu Benedicoburanus Abbas, quippe Coævus, & omnium aliorum ejus Temporis Abbatum Schleichdorffio vicinissimus.

Primi conditores Monasterii Schleichdorffensis.

His ita deductis corrigendi videbuntur nonnemini Codices quàm plures, uti & Scriptorum Bojarie præcipui, nempe Andreas Ratisbonensis, Aremebius, Aveninus, Velferus, Brunnerus, & Adelzreiterus, qui omnes uno ore fundationem primam Schleichdorffensis Monasterii Landfrido, Waldramo, atque Etilando tribuunt, extraneis Scriptoribus domesticos nostros longa serie sequentibus, eò quòd id apertè refragari videatur Documentis Frisingensibus hætenus laudatis, in quibus vera Schleichdorffensis Monasterii initia Reginperto potiùs, quàm cuivis alteri debeant referri in acceptis, Aribone Episcopo, & Attone opem & operam conferentibus, ac familiam illam Religiosam è Scarantia Schleichdorffium educentibus.

Verùm cum durissimum sit, omnes, & quidem præcipuos Bojarie Scriptores, totque vetustos variorum Monasteriorum Codices tanti Spalmaris reos agere, operæ pretium facturi videmur, si ostenderimus, Documenta Frisingensia laudatis Scriptoribus atque Codicibus in hac materia nihil derogare.

Affirmant Documenta Frisingensia, Reginpertum fuisse primum Scarantienis Monasterii fundatorem? nihil abnuunt Scriptorum ac Codicum nostri. Affirmant Frisingenses Membranæ, migrationem è Scarantia factam esse ex Consilio Aribonis? id nullibi negari deprehendimus. Ast non idcirco apparet, quomodo inferri possit, Aribonem, aut Reginpertum esse primum Monasterii Schleichdorffensis fundatorem. Certè latent in adductis Frisingensibus Tabulis aliqua, quæ cautè sunt observanda. Nam ex iis constat primo, ante migrationem illam, & Corporis S. Tertulini advectionem, in *Schleichdorffensi loco* jam fuisse Ecclesiam Sancto Dionysio sacram. Hanc quòd vel Reginpertus ædificaverit, vel Aribo aut Josephus consecraverit, atum in Documentis est silentium. Multò etiam minùs explicatur, à Reginperto, vel Aribone Episcopo, aut Attone Abbate fuisse in Schleichdorff ædificatum novum Monasterium. Quidsi igitur ostendere possimus, quis ibi ante Reginpertum Ecclesiam ædificaverit? quis eam consecraverit? quis Monasterium adjunxerit? certè si hæc

exbi-

exhuerimus, omnis de primæva Monasterii Schlechdorffensis origine dubitandi ratio planè erit sublata.

Inter ea monumeota, quæ ad rem præsentem aliquid conferre possunt, Deegenau. meritiò recensemus Chronicon illud Monasterii Benedictoburani, quod in *thesauro Anecdotorum novissimo* in lucem protulit Clar. P. Bernardus Pezsius. Ibi disertè legitur: Landfridum, Waldramum, & Elilandum fratres, supra jam laudatos, tertiam inter eas, quas ædificaverint, Ecclesias, excitasse in *Schlechdorffensi loco*, & Sancto Bonifacio supplicasse, ut eam Ecclesiam, post Benedictoburanam, sacris ricibus initiaret. Porro annuisse Sanctum Præfulem colligitur apertè ex sequentibus: & idem ex multis Membris, præsertim ex *Rotulo* quodam, ut vocant, Benedictoburano, medio Sæculo XI. diligentissimè conscripto ostendi potest: imò Schlechdorffenses in hodiernum diem indubitatum tenent, primum suæ Ecclesiæ Consecratorem fuisse S. Bonifacium. Subditur in allegato Chronico, Landfridum, à S. Bonifacio constitutum primum Abbatem Burensem, seu Benedictoburanum, *postquam (is) omnia ritè ordinavit, in Schlechdorffensi Monasterio viginti quinque Monachos instituisse*: Et hoc ipsum plures Codices tum Benedictoburani, tum Tegernseenses, & Scriptores passim commemorant. Quis igitur non videt, id totum factum jam fuisse, cum S. Bonifacius adhuc in vivis, & in Bojaria esset, nimirum ante annum Christi 710. atque per consequens ad minus 22. annis, antè, quàm Scarantienses ad Schlechdorffense Monasterium migrarent? Vides igitur, Lector, quis Ecclesiam Schlechdorffensem cum Monasterio primus condiderit? quis Ecclesiam dedicaverit? itaque minimè hallucinantur, qui primam Schlechdorffensis Monasterii Originem Landfrido potiùs nostro, quàm cuivis alteri adscribunt.

Cur verò, inquis, nulla ejus rei in ijs, quæ præ manibus habemus, instrumentis fit mentio? Respondemus, in ejusmodi instrumentis, in quibus non agitur, nisi de Electione Abbatis, ac vita cœnobitica: item de aliqua donatione & similibus, locum non esse disputationi de primæva Ecclesiæ erectione atque consecratione, aut alijs, qui præcesse, tractatibus. Ecclesiam aliquam in Schlechdorff jam extitisse ante Scarantiensium adventum, vel ex eo colligitur, quòd, si nova ibi (nempe in Schlechdorff) Ecclesia fuisset ædificanda, utique dedicanda fuisset, aut Beato Petro Apostolo, cujus Scarantiensem Ecclesiam Atto cum suis deseruerat: aut certè S. Terullino, cujus Sacras Exuvias, summa veneratione colendas, à Pontifice nuper adduxerat. Sanè cur id Atto non fecerit, melior ratio assignari non potest, quàm quia Ecclesia ibi antea erecta, jam habuit Patronum S. Dionysium: Cujus proinde honori Atto Abbas cum suis nihil detrahere voluit. Sed qui factum est, ais, ut Landfridus Scarantiensibus Monasterium & Ecclesiam à se institutam cederet, aut suos inde revocaret?

Respondemus, Landfridum de accersendis aliunde Monachis, & augendo Monasteriorum ac Cœnobarum numero semper fuisse maximè sollicitum. Certè io vetustissimo Landfridi Epitaphio, à Pezio edito, inter cætera de eo sic habetur:

*Quantas hic traxit Monachorum denique turmas,
Difficile dictu est * arta ad consortia vita.*

Landfridum quinque Monasteriis à se ædificatis, Monachos, è varijs Provinciis congregatos dedisse, Bojariz Scriptores præcipui tradunt, nempe Burensem, Schlechdorffensem, Staffelseensem, Saodaviensem ac Westfontano. Passerus apud P. Corbinianum Khamm etiam Sextum Thierhauptanum addit. Monasterium quoque ad Dei laudes congregandarum Landfridum perquam studiosum fuisse, Cochelensis & Pollinganus Parthenones, ab eodem ac fratribus illius constructi, testes sunt. Potuit igitur Landfridus, qui *ex varijs Provinciis Monachos*

nachos congregasse dicitur, facile annuere Ariboni, vel etiam cum rogare, ut suos ex asperis Scarantiz montibus ad amoeniorem extra alpes planitiem educeret, atque in Monasterio Schlehdorffensi collocaret. Aliquid simile eo tempore intervenisse, qualecunque illud sit, dicere necesse est, ne tot scripturis atque Scripторibus fidem denegemus: qua tamen de re plenam iudicandi facultatem Lectori lubentes permittimus: dum nobis facis est, Abbatem Landfridum iis tractatibus intercessisse, & inter testes habuisse primum locum, qui apud veteres frequentissimè donatoribus assignabatur, uti ex tot Frisingensibus Instrumentis clarissimum est. Nos in parte Operis secunda tres alias donationes de *Horcaningen*, *Dorsingeshusum*, & *Reisingum*: item ad *Fischen* Divo Tertulino circa hæc tempora factas recensebimus.

Non. 66. 47. 48.

§. IX.

Primordia Monasteriorum Schefftlariensis, & Schlierseensis.

AD annum Christi 778. revocanda videntur prima initia Celebertini post hæc futuri Monasterii Schefftlariensis, dum hæc de illo legimus in antiquo seu primo Traditionum Frisingensium libro: *De Oratorio Adalgardi & Odalgeri in loco Scaftilare nuncupante* constructe* & tradito ipso altare* cum dote sua per manum Dedicatoris Waltrih Episcopi* atque hæredis dilecti Luitfridi presbyteri ad domum Episcopalem vel Ecclesiam Hæredis Episcopi, cui Dioceses* subjacere* esse demonstratur ad confirmandum traditionem hanc, id est, ad beata & incemerata Virginis Mariæ domum Frisingas castro constructam in anno XXXI. Regni Tassilonis Ducis sub die Consule, quod erat XII. Kal. Martias, Indictione I. Et hæc* testes & eorum nomina, Waltrih Episcopus, Luitfrid, Hunuc Presbyteri. Asto. Helmker. Madalger. Erchimolf. Starcholf. Urso. Waldman. Ego Sundaerberi Diaconus ex ore Hæredis Episcopi iussu conscripsi.*

* al. nuncupato.
* al. constructo.
* al. altari.
* al. aditum Patavienis.
* al. Diocesis.
* al. subiecta.
* al. hi.

Ex his (nisi immanè fallimur) satis constat, primum Oratorium Schefftlariense fuisse constructum ac dotatum ab Adalgarto quodam & Oadalgero, consecratum à Walderico Pataviensi Episcopo; & ab eodem, ac Luitfrido Presbytero donationem illam fuisse exhibitam Ariboni Episcopo, cæu Loci Ordinario, ut eam Ecclesiæ Frisingensi confirmaret. Annus Tassilonis XXXI. alius non est, quàm Christi 778. Dies XII. Kal. Martias denotat diem 18. Februarii. Unde videmus, quàm vana sint, quæ in Hundii Metropoli (ubi agitur de primordiis Schefftlariensis Monasterii) ex Aventino afferuntur, quo loco asseritur, locum illum Tassilonis tempore fuisse vocatum *Peimbach*: & Ecclesiam fuisse constructam ab Udalrico quodam, traditamque Canonicis Regularibus, postea Benedictinis. Certè charta nostra vetustissima longè aliud inuit, atque demonstrat, locum illum jam ipsius Tassilonis tempore fuisse vocatum *Scaftilare*, seu Schefftlarn: Oratorium fuisse conditum non ab Udalrico quodam, sed ab Adalgarto & Oadalgero: traditumque non Canonicis Regularibus, sed Ariboni Episcopo, ejusque Ecclesiæ Frisingensi, nempe Benedictinis hominibus, qui eo tempore Ecclesiam Frisingensem obtinebant, ut nemo erudicus & bonus deinceps negabit. Hæc de sinceris illius Monasterii initiis. Plura suò loco ac tempore dabimus: nunc verò aliud ejus rei egregium exemplum subjicimus.

Aventini, & aliorum quorundam erroses deteguntur.

Monasterii Schlierseensis cœnacula.

Annò proximò, Tassilonis Ducis XXXII. Christi 779. Adaluncus quidam unà cum fratribus suis Hiltipaldo, Kerpaldo, Antonio, & Otakiro statuerunt Divinis obsequiis se, ac sua omnia arctiùs mancipare, vitam Monasticam amplecti,

plecti, ac omnem hereditatem suam Monasterio in vasta solitudine prope lacum Sylurnum (Schliersee) excitando consecrare. Id totum etiam paulò post feliciter datum est executioni, annuente Aribone nostro, qui etiam Oratorium à dictis fratribus constructum consecravit, novos Monachos in suam sacram jurisdictionem ac tutelam admisit, ac petentibus Magistrum dedit Virum Venerabilem Perchtcozum, qui eos Regulam S. Benedicti doceret. Hic aded sese probavit novo illi Monachorum cœtui, ut eum post biennium etiam in Abbatem suum elegerint, atque ad Episcopum nostrum adduxerint, ab eo conformiter dictæ sacre Regulæ ordinandum: id quod Aribo lubens assensit: eodémque tempore inter sæpè dictos Monachos atque Episcopum conventum est, ut deinceps Regula S. Benedicti in dicto Monasterio Schliersee observaretur, ac, quotiescunque res postularet, Abbas è gremio Schlierseensi juxta dictam Regulam eligeretur, siquidem adesset, qui eam dignitatem meritis æquaret. Sin minùs, assumetur è domo Episcopali Frisingensi, in qua nempe eandem S. Benedicti Regulam observatam fuisse, clarè, ut puto, in nostris Prolegomenis demonstravimus, ac vel ex hoc loco palpari manibus potest. Instrumentum apponimus.

Regnante in perpetuo Domino nostro Ihesu Christo. Ego itaque in Dei nomine Adalunc simul cum fratribus nostris nomine Hiltipald, seu Kerpalt, nec non & Antoni, sive Otakir inspirante Divina gratia secularia negotia deserentes locum nobis eligimus commune hereditate nostra, sive Parentum nostrorum in vasta solitudine heremi, qui dicitur Schliersee, & ibidem adjuvante Domino Deo nostro Cellulam more solito construximus. Nam & Oratorium cum consensu Episcopi Domini Arpionis edificavimus. Deinde advocante prædicto Episcopo ad consecrandam prædictam Ecclesiam ita factum est. Deinde sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendavimus per omnia, & de manu Episcopali electum nobis Magistrum virum Venerabilem nomine Perhtcoz in nostro suscepimus magisterio, dem post biennium complacuit fratribus eligere prædictum Perhtcoz ibidem Abbatem per consensum fratrum adduximus eum ad prædictum Episcopum juxta Ordinem regule Sancti Benedicti electum ordinavit, & nobis posuit Abbatem. Ideoque decrevimus cum consensu ipsius prædicti Episcopi nostri, ut secundum auctoritatem Sancti Benedicti regulam regeretur, & ibidem regulariter de ipsis fratribus sibimetipsi eligerent Abbatem, ipso ordinante Episcopo domo Sancta Maria, si ibidem forsitan defuerint tales inter ipsos fratres, de domo episcopali eligant Abbatem ordinante Episcopo. Actum in prædicto Monasterio Sierse, sub die Consule, quod facis XII. Kalendas Februarii Indictione XII. regnante Domino Tassilone anno XXXII. & ipsi supra scripti fratres invicem testes extiterunt.

Ita sub Aribone quoque nostro, imò ab Aribone Res Monastica non minùs, quàm sub Josepho præclara incrementa accepit.

Medià illà tempestate postquam Bojarie Dux Tassilo ad tot alias Ecclesias ac Monasteria tum construenda, tum docanda consensum dederat, & aliquoties etiam prædia, aliisque bona adjeccerat, excitatus maximè Majorum, atque Antecessorum suorum exemplo, qui propriis suis Opibus integra, & quidem plura Monasteria per Bojariam instituerant, annò Ducatus sui tricesimo statuit & ipse in animo suo Monasterium edificare: quod & factum est. Hinc enim surrexit nobile illud, atque incluytum Monasterium Cremifanense, præter, & ante quod nescio, an aliud Tassiloni ex asse adscribi possit, utò juxta modò dicta competissimum sit, Tassilonem ad plurium Monasteriorum tum fundacionem tum dotacionem non solum assensum præbuisse, verùm etiam liberalem manum porrexisse, eoque nomine eorum fundatorem habitum fuisse, quod idem de Ludovico Pio Mabillonius tradit, cui tribuebantur plura Monaste-

Tassilo condidit
Monasterium
Cremifanense
suis temp-
oribus.

Annal. T. 2.
L. 22. c. 21.

Monaste-

naſteria, quibus vel inflaurandis, vel de novo condendis aſſenſum tantum & favorem præbuit.

Scribunt aliqui, Taſſilonem Cremifanenſem Eccleſiam erexiſſe propitiandis filii ſui Guntheri, ab Apro in venatione occiſi, manibus. Ego verò, ſi quidem id verum eſt, mirari nunquam deſinam, cur in Inſtrumento Fundationis Cremifanenſis nec verbulo quidem unico Taſſilo ſui illius filii, aut propoſiti mentionem facere voluerit, ſed hoc unum expreſſerit, id ſe facere *propter amorem æternum, & timorem horribilem, ut evitare valeam manſionem Diaboli, & habere merear manſionem cum Chriſto.* Extat illud Inſtrumentum in Annalibus Cremifanenſibus *cap. 9.* quod ut Lector expendere velit, optamus: dum nos interim ſolum ejus initium & finem (omiſſis opulentiæ dotationis nominibus) in parte altera exhibemus.

N. 69.

Taſſilonis ve-
nationes per-
quom ſu-
ſpectæ

Taſſilonis interim tot aliz venationes, tencrriuz etiam illius ætati adſcrip-
tz, in quibus etiam multa mirabilia, imò & miracula eveniſſe narrantur,
num eruditis, re benè perpensa, probari poſſint, judicium eſto aliorum:
qui etiam benè expenſis ipſius Taſſilonis in laudato Inſtrumento verbis decer-
nent, num Taſſilo aliud quoque, vel etiam plura Monaſteria anre Cremifa-
nenſe fundaverit ſuis opibùs? Id unum hic adnotàſſe ad propoſitum noſtrum
ſufficiat, quòd Atto noſter, Schlechdorfienſis Abbas, item Hrodhart Abbas
Iſanenſis inter teſtes Fundationis Cremifanenſis graviffimos reperiantur deſcri-
pti: ipſa porrò tam ſolemnis donatio à Carolo Magno duplici diplomate con-
firmata fuit, quorum utrumque in laudatis Annalibus Cremifaneſibus exhibetur.

§. X.

*Donationes partim ultimis, partim incertis amìs factæ
Ariboni, & Eccleſiis eidem ſubjectis.*

Num. 70.

Fraudandi non ſunt laude ſua cæteri quoque Friſingenſis Eccleſiæ Benefa-
ctores, nominatim Cunzo quidam, qui bona quædam hereditaria:
Folchmarus, qui ſe, omnemque ſuam ſubſtantiam Friſingenſi Eccleſiæ
obulère.

N. 71.

Fater quoque quidam, qui Friſingæ Oratorium quoddam condiderat, il-
lud Ariboni donavit, poſtquam in ſacris ritibus illud conſecraverat, Salomon
etiam Presbyter dimidium hæreditatis ſuz tradidit Sancto Stephano in Aitter-
bach, cujus Eccleſiam Ariboni commiſit. Ex Inſtrumento donationis certo-
rum bonorum Schwabingæ & Sentlingæ, factæ ab Alpolto & Huafano anno
Taſſilonis Ducis XXXV. Chriſti 782. intelligimus, Schefflarium eo tempore
jam fuiſſe converſam in Monaſterium. Literæ ſic habent:

PReceptum Evangelicum tonat per orbem terrarum, in quo fideles ammo-
net, ut caduca diſpiciant, & ad æternam patriam tendant, ut lucrum
ſibi in proventione faciant, ſicut ab ore veritatis Evangelista conclamat: the-
ſaurizate vobis theſaurus in cælo. Inter his auditoribus quidam Vir Religio-
ſus animatus cum timore Divino, cujus vocabulum eſt Alpolto, & filius ejus
Huafani, tradiderunt, atque transfunderunt propriam hereditatem illorum,
que eſt in loco, qua dicitur Schwabingæ, & in alio loco, cujus vocabulum eſt
Sentlingas ad Monaſterium Beati Dionyſii Martyris Chriſti, quod conſtitum
eſt ſecus ſtumine profluente precipito lapſu, quam autumant coloni illius Iſu-
ram, in ibidem locis, quicquid proprie hereditatis adquiſitioni ſue, cultis, &
incultis, mobilibus, & immobilibus, ſilvis, ruris, pratiſ, paſcuis, fontibus,
vel rivolis eorum, ſive cum adificatione tota ſtructura, atque cum omni ſam-
lia Servorum, & Ancillarum, quibus ab avis, atque protavis hereditarios
conſi-

consistunt, hæc omnia Deo offerebant propter remuneratione æterna vita, & devitare metum gehenni ignis, ut nullus habeat potestatem propinquorum, coheredumque eorum hanc traditionem irritam facere. Et hoc constitutum, ut neque nos ipsi, aut Successores nostri, quod minimè credimus, quod si presumpserit aliquis horum, quorum superius mentionem fecimus, quolibet modo iniuste inire temptavit, iram Dei incurrat, & cum Athleta Christi mereat rationem habere, & inter hædis deputatus. Et hæc testes per aures signati: Ezzi, Lantperhe, Oadaltrih, Cundhart, & nos ipsi, qui tradidimus Apolt, & Oasum. Actum est hoc in curte, qui dicitur Nirvvingas * Indictione VIII. <sup>ad Membris-
Esa.</sup> Hoc autem decrevit fieri princeps Clarissimus Tassilo, in anno, quo regnum obtinuit XXXI. seu filius ipsius nobilissimus Theoto hanc traditionem probavit peremittere ad prædictum domum stabiliter perseverare. Scripsi autem hanc Cartulam traditionis ego Leidrat licet indignus & peccator, tamen Diaconus jussus à principe summo Tassilone.

Observabit ulterius in hoc Instrumento eruditus Lector, donationem illam non solum à Tassilone, verum etiam à filio ejus Theodone fuisse probatam. Unde novum habemus argumentum, Theodone à Tassilone Patre fuisse adhibitum Ducatus focium, veluti Tassilo olim Uilonis Parentis in administrando eodem Ducatu collega fuit. Leidradum, seu Ledradum, qui instrumentum jussu Tassilonis scripsit, existimamus non esse alium, quam Bojum seu Noricum illum, qui postea sub Caroli Imperio in Lugdunensium Pontificem electus, rebûs maximis gestis circa annum 814. abdicato Pontificatu in Suesionensi S. Medardi Cœnobio Monachum induit, sanctitatis famâ clarissimus. De quo Raderus in *Bavaria Sancta*: & Mabillonius *Tom. 2. Annalsium O. S. B.* agunt. Certè in Membris Frisingensibus occurrit Leitrat Diaconus, Presbyter, Scriptor, & quidem de familia Frisingensi, de quo videri potest Instrumentum, in Parte Altera num. 146. à nobis adductum.

Ex eadem membrana conjicimus, prope, & intra Sentlingam & Schwabingam eo tempore nemora quædam, & loca inculta extitisse. Curtis Nirvvingas, vel, ut aliter legi potest, Muuivingas, in qua hæc donatio facta fuisse dicitur, videtur non fuisse alia, quam prædictum illud, Sentlingam inter & Schwabingam medium, ubi postea Sæculò Christi duodecimò constructa fuit hodierna Metropolis Bojarie Monachium, seu München, quod, ut suspicamur, à Curte illa Muuivinga nomen accepit, quamvis minimè ignoremus, alios aliter sentire, nullò tamen cœvò Suffragatore in medium adductò.

Incertis Aribonis annis diversi fideles Frisingensi Ecclesie adjecerunt varia bona in Pantinprunnin, Wirma, Ebinga, Mahaleibhi, Kermoresvvan, ^{N. 74. 75. 76.} Sroagum, ^{75. 76. 77. 78.} Rupilinga & ^{79. 80. 81. 82.} Agusinga, ^{81. 82. 83. 84.} Perabanga, ^{85. 86. 87.} Linta, ^{88. 89.} Perabah, ^{90. 91. 92.} Irminhartivilla, ^{93.} Pohbe, ^{94.} Filusa, ^{95.} Munigisingun, ^{96.} Otinas & ^{97.} Tegarinvvac, ^{98.} Holzhsir, ^{99.} Cotingas, ^{100.} Hazananga, ^{101.} Piparpach, ^{102.} Munninpac, & ^{103.} Perchak. Neque recendenda est donatio cujusdam Sigismundi, qui filium suum Juuan cum omni sua hæreditate Frisingensi Ecclesie obtulit. Oblationem illam Tassilo Dux ratam habuit: coram cujus Legato Pern, seu Perno Presbyter prædictum filium clericavit, id est, in Monachum totondit, prout usus illius vocabuli eo tempore erat, ut alibi sæpiùs monuimus. Certè Perno, cum Presbyter tantum esset, aliter Iuvanum clericare non potuit. Perno ipse erat unus de familia Frisingensi, nempe Monachus, prout expressè appellatur in primo Traditionum libro, tum in permutatione inter Atonem Episcopum, & Reginpertum Abbatem Mospurgensem facta, tum in donatione de Steinhart, ut suis locis videbimus. Carolus quoque Rex, qui ipsum Tassilonem in Monasterium post-hac detruxit, eum clericasse dicitur.

Alia jura & bona Frisingensia eidem Frisingensi Ecclesie liberaliter transcripsit quidam Wolfachar, prout instrumentum à nobis suò locò exhibendum testabitur. ^{N. 94.}

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

L

bitur.

- N 91. bitur. Aribonis ætate etiam quedam donationes accessere Ecclesiæ S. Andreae ad Monasterium Hukuperti, quod quale sit, ignorare nos ultrò fatemur. Denique etiam Ecclesiæ S. Stephani juxta fluvium *Filze* à Tassilone Duce dos quadam adjecta fuit.

§. XI.

Pippini Regis obitus, & Successio. Aribonis Episcopi Mors.

Pippino Regi
succedit Ca-
rolus filius.

Pippino Regi anno Christi 772. mortuo successere filii duo, Carolus & Carolomannus, uterque Rex appellatus. Carolomannò verò paulò post in ipso ætatis flore è vivis ereptò totius Regni moles Carolo incubuit. Is uxorem habuit Bertham, Desiderii Longobardorum Regis filiam, Luitburgæ, quæ Tassilonis uxor erat, sororem. Bertham cum postea repudiasset Carolus, Luitburga furis exarsit, ac Tassilonis animum adversus Carolum gravissimè concitavit. Cùm verò temporis successu Carolus Pontificis hortatu etiam Desiderium Longobardorum Regem, Berthæ & Luitburgæ parentem, Ticini obsessum cepisset, & Regnum Longobardicum in Francos transfuisset, in ultimam rabiem versà Luitburga, quidquid potuit irarum apud Tassilonem in Carolum evomuit, animoque jam dudum à Francis alienò gravissimas vindictæ faces admovit, in suam suorumque perniciem faciliè erupturas, nisi facratiores Consiliarii Divus Virgilius, & Aribo noster mitiora idemdem suadendò, flammam restinxissent. De Arihone nostro hæc Brunnerus habet: *Vir fuit, inquit, recti rigidissimus Custos, nullius unquam consilii nisi publicè profuturi auctor: ambitioni Principum constanter obnixus.* Certè quamdiu Tassilo Aribonis ac Virgilio monitis obtemperavit, salvæ erant res Bojorum: ut primùm ab iis recessit, pessum ire omnia. Porro ultimis annis nil amplius valere Aribonis, nil Virgilio consilia. Et merebatur Tassilonis fastus intolerabilis, ut non tantùm bona ei consilia, sed ipsos etiam Consiliarios Deus submoveret, & volentem in præceptis rueret fineret, veluti in consequentibus apparebit.

Coerta quem
Tassilo con-
stituit.

Nihil profici-
entibus me-
horibus con-
siliis.

Asensu obitus
Aribonis.

Aribo in quibusdam domesticis Episcoporum Frisingensium Catalogis dicitur obiisse anno Christi 782. juxta alios verò anno 784. Præferimus nos opinionem posteriorem, quippe quam egregiè confirmatam cernimus antiquissimo, ac fermè Synchrono testimonio Annalium Ratisbonensium à Mabilionio, ut alibi diximus, editorum, ubi hæc legimus: *Anno DCCLXXXIII. Hultigart Regina*, & Arpeo obierunt: & Ato Episcopus factus est.* Ex quo etiam conficimus, Arihonem non decessisse anno Pontificatus sui 18^o sed vice-simò. Diem obitus signant quartum Mensis Maji. Cui sententiæ etiam subscribunt Gamanii Notæ. Arihonem fuisse de hac Frisingensi Ecclesia optimè meritum, nemo inficiabitur, qui expenderit, ex ipsius solius calamo primordia hujus Cathedralæ, vitamque Divi Corbiniani solidè ad nos pervenisse, ipsasque adeò Ejusdem Sancti Viri Exuvias nonnisi Arihonis operâ Frisingam reductas fuisse. Idem Aribo, ut supra jamjam insinuavimus, etiam Divi Emmerammi vitam in literas redegit, prout apud Henricum Canisium testatur Arnolfus Comes, Sancti Emmerammi Ratisbonæ Monachus, ubi etiam deplorat, illam Aribonis Scriptionem fuisse depravatam: gaudet verò à Meginfredo Magdeburgensi Magistro & Præposito, antehac, teste Trithemiò, Fuldensi Monachò, fuisse renovatam. Cætera, quæ in superioribus magno numero de Arihone jam adduximus, in memoriam hic non revocamus. Quot, & quasnam Ecclesias Aribo consecraverit, Instrumeta sub locò doccebunt.

* Uxor Caroli
Magi.

Aribonis me-
rita.

Tom. 2. p. 27.
C. 8.

Tom. 1. Append.
Magi, ad ar-
tem illi.

Aribonem ad Superos comitatus est Divus Virgilius Salisburgensis Episcopus, Mort. S. Virgii: item Symberti & S. Wilibaldi Episcoporum. Lib. 2. Cap. 14. Rev. Rom. Lib. 5. pag. 377. Piff. ch. pag. 116. cuius obitum ad eundem annum Christi 784. Salisburgensis Historia, alique consignat. Eodem anno, Velfero teste, obiit Symbertus Ratisbonensis Episcopus, qui ad Tassilonem Carolo conciliandum diligentem semper operam adhibuerat.

Præcesserat tres illos celeberrimos Antistites ad cælos Wilibaldus, Sanctissimus ille Eistetenium Pontifex, anno 781. humanis rebus exemptus. Ita quatuor summi in Bojaria Præfules non magnò temporis intervallò è Mundo excessere, è quibus Wilibaldo Gerochus, Symperto Constantinus, Virgilio Berthricus, S. Petri Salisburgi Abbas, Ariboni Atto Abbas Schlehdorffensis successere, Hadriano Pontifice Ecclesiæ Catholicæ præfidente, Carolo, Pippini filio, Sceptrum Regium Francorum regente.

In quarto seu magno Traditionum Frisingensium libro de Aribone reperi-
mus verius antiquos sequentes :

*Pro virtute dato sanctus moderamine sacro
Hac quartus serie cerneris Arbo pie.*

Cozvi Salisburgensis Monachi nostri Aribonem post Sigiricum Ratisbonensem, Maanonem Niwiburgensem, Killach incertæ Sedis, Wisuricum Pataviensem & Wilibaldum Eistetenensem Episcopos in mortuali fœderatorum Catalogo Synchrona manu commemoravere. Alorum Sanctorum Virorum in vicinis obitus.

Ad hæc eadem tempora pertinet etiam memoria Sanctorum Marini seu Maurini Episcopi, & Declani Diaconi, qui Divum Virgilium è Scotia sive Hibernia in Bojariam nostram secuti sunt, eidemque ad animarum salutem strenuè collaborarunt. Existimare licebit, eos haud procul Frisingâ è vita discessisse. Certe eorum Sacra Lipsana in vicino inclyto Monasterio Neocellensi jacente recondita, & beneficia petentibus fidelibus præstant, uti in *Bavaria Sancta* ribm. 1. mli pag. 115. Raderus testatur.

Circa illos ipsos annos existimamus ad cælos migrasse alium Sancti Virgii Socium, nempe Beatum Lullum, Abbatem Illmonasteriensis, qui in eodem suo Monasterio conditus jacet. Histor. Confr. T. 4. mli. Lib. pag. 874.

In laudato Tegernseusi Codice ubi agitur de cæteris S. Virgii sociis, hæc descripta reperimus. *Duo alij apud Rot* (nempe Rottense Monasterium) fol. 272. a. *licet Marinus Episcopus, & Amianus Archidiaconus : quorum beata ossa terra commendata sunt ibidem. Ex Sanctus Alto apud Altmünster ; & sic sanctus grex beatorum virorum divisi in diversis locis Regna Cælestia adepti sunt.*

Hæc ibi. Cæterum, quæ fata, dejectis præcipuis illis Boicæ felicitatis solumnis Tassilonem manserint, paulò post sub Attone Episcopo edocebimur.



CAPUT V.

Atto Quintus Episcopus
Frisingensis.

§. I.

*Acta Attonis usque ad susceptum Episcopatum: item
Episcopatus initia.*

Attonis Na-
tales incert.

ATtonem nostrum videmus alicubi vocari nobilem Bojum de Kienberg. Quo verò argumento, aut veterum testimonio id asseratur, hæc-
nũs ignoramus: & constat, paucissima exempla octavi sæculi reperiri,
quibus ejusmodi tituli appendice nobilitas fuerit decorata. Certo-
ra sunt, quæ hætenũs sparsim de Attone ex documentis antiquissimis exscrip-
simus, & nunc, ut totum Artonem, quoad fieri potest usque ad ejus ad Frisingens
reditum, Lectori ob oculos ponamus, hic summam repetimus.

Acta ante E-
piscopatum.

Artonem multos annos in Monasterio ac familia Frisingensi exegisse, cer-
tum est. Aribo, illius in Abbacia Scarantiensi atque Episcopatu decessor, eun-
dem Scarantiensibus Abbatem dedit. Josephus Aribonis Antecessor, Artonem
jam Presbyterum, ad conficienda Donationum instrumenta adhibuit; imò sub
Frimberto quoque Attonis nomen reperimus, licet nullo adjecto statũs aut Or-
dinis vocabulo: quod mirum non est; nam, ut sæpius hætenũs Lectorem mo-
nuimus, exempla frequentissima, ac ferè sine numero in Frisingensibus Codicibus
habemus, ubi nudo nomine Scriptoris, testis, aut etiam donatoris ex-
presso, nec Clerici nec Monachi, nec Diaconi, nec Presbyteri titulus ponitur,
aut, si horum unum adjicitur, alterum plerumque recitetur. Itaque licet Ar-
tonis nostri nomini nihil horum nominum alicubi adjiciatur, statamen negari
non debet, eum fuisse Frisingensis familiæ (sic enim *Conventus* appellari sole-
bat:) veterem alumnũ.

Virtus & me-
rita.

Viri hujus exactissima probitas cum maximè declarata fuit, cum eum Ari-
bo novellæ Scarantiensi plantationi Magistrum præfecit, à qua postea unanimi
consensu etiam in Abbatem electus est. Quanti eum, ejusque Sodales Scaran-
tientes Monachos. Desiderius Longobardorum Rex, & Tassilo Bojarix Dux fe-
cerint, ex insignibus Inticensis deserti, aliorũque bonorum donationibus fa-
cilè intelligi potest. Cæterum ex eo, quòd Atto noster Desiderio Regi inno-
tuerit: quòd donationem Inticensem Bulfani acceperit: quòd unà cum Regin-
perto Monacho, Scarantiensis Monasterii fundatore à Zacharia Pontifice Corpus
S. Terullini impetraverit, rectè utique deducimus, eum unà cum suo Regin-
perto ad Apostolorum limina jam tunc profectum, arque à Tassilo inter pri-
mæ admissionis amicos fuisse habitum; veluti eum etiam fundationi inclyti
Monasterii Cremifanensis Tassilo voluit esse præsentem. Comparuisse eum rur-
sus in celebri Synodo Dingolfingana, supra vidimus, ubi etiam edocti sumus,
eundem Moasterio Schlechdorffensi amplas possessiones impetrasse. Hæc At-
to noster, cum adhuc Scarantiensibus, ac postea Schlechdorffensibus præfesset,
dignissimus utique, qui ad capessendum Episcopalem litũm Frisingam revo-
cicaretur: quod etiam vivente adhuc, ut opinamur, Aribone, anno Christi 782,
Tassilonis 35, contigit, veluti docemur ex dupli-
ci donatione eodem anno Frisingensi Ecclesiæ ipsique Attoni ab Adalhelmo quodam facta: ubi Atto adhuc
his non nisi Abbas nominatur: quod, ut fas est conjicere, ideò contigit, quia
Atto

Atto eo tempore nondum quidem Episcopus, sed tamen Episcopi Aribonis Adjutor fuit, primum anno 784. post Aribonis decessum, in fastigium Cathedralis Frisingensis sublimatus, uti laudati Synchroni Annales Ratisbonenses produnt. Sanè à quo posthac sacram inunctionem obtinuerit, non constat, velut etiam id de Josepho & Aribone ex nullo documento eruere potuimus. Laudatum instrumentum utrumque statim subjungimus, ut eò commodius Lectoria sententia nostra innotescat. Sic verò sonant literæ.

Regnante in perpetuo Domino nostro Ihesu anni regni Tassilonis gloriosi Ducis genti Bajuvarorum XXXV. Itaque ego Adalhelm compunctus de divina misericordia Dei nostri, & propter remedium anime meae, seu aeterna retributionis dono, atque firmiter trado hereditatem meam in loco, qui dicitur Adalhelmeshusir totum ex integro ad reliquias sanctae Mariae, & in eodem loco Ecclesiam adificare cepimus, & ea perfecta ibidem firmiter cuncta pertinentia hereditatis meae, nec non Presbytero Oadalpaldo, & carissimo filio nostro Altilo tradidi ad possidendum, & custodiendum Attoni verò Abbati dominante, atque descendente pario modo sub dominio predictae hereditate tradidi, atque confirmavi cum domibus, adificiis, mancipiis, cum omnia, quicquid haberint mobile, immobile, terra, prata, silvis, aquis, molendinis, aquarumque decursibus, viis, pasuis totum ex integro, quicquid ibidem habere visus sum ad supradicta domo Sanctae Mariae in locum Frisinga nemine contradicente simulatione interposita. Actum in villa nuncupante Pernopah. * Si quis, aut ego, aut aliquis opposita persona qui contra hanc cartulam traditionis temptare praesumpserit, iudicium Dei incurrat, & solvat, quod iustum est. Haec nomina testium, qui traditi sunt primitus Oadalpaldo Presbytero, Coterht testes, Heriperht testes, Majol testes, Rifani testes, Waltheri testes, Serot testes, Hadusker testes, Sigidanc testes, Ainhart testes.

Altera Donatio.

In secunda verò traditione ego Adalhelm, pariter & Presbyter Oadalpald tradidimus predictam hereditatem Attoni Abbati, atque confirmavimus, & testes per aures traximus, quorum nomina sunt haec: in primis predictus Coterht, Salomon, David, Angilheri, Otperht, Croon Presbyter, Poto Diaconus testes. Ego Hatto Presbyter hanc cartulam scripsi & subscripsi.

Ita instrumenta illa: in quibus Atto non nisi Abbas quidem, sed tamen dominans Frisingae appellatur. Ceterum post eam donationem proximè secuta est traditio Helmkeri de Mumbach, quam in Parte altera Lector reperiet.

In annum Christi 785. incidit fundatio Cathedralis Ecclesiae Mindenensis, cui primus Episcopus Herimbertus à Carolo Rege datus est, uti scribit ad eum annum Baronius num. 49. ubi ex Cranzio inter cetera haec exscriptit: *adiecit* (Carolus) illi (Herimberto Episcopo) *ministeriales non paucos, ut haberet Ecclesia defensores suos.* ubi nonnemo eruditissimus observat, non extare multa eius rei exempla annis retrò actis: imposterum tamen occurrere quàm plurima, dum Ecclesiis omnibus dari fuere *Defensores*, alio nomine dicti *Advocati*. Id, quàm sanctè instituit Caroli aliorumque Regum ac Imperatorum religiosus zelus, tam malè postea cecidit multis Ecclesiis, quæ sæpe ab hostibus minus detrimenti passæ fuere, quàm ab eiusmodi defensoribus, imò veriùs prædonibus. Sanè sæpe hi tales *Advocati* secuti sunt exemplum *Defensorum* Mindenensium, de quibus apud Baronium haec subjunguntur. *Illi verò* (Defensores) *quia ex imo gradu in nobilitatem exceverant, ut partim Comites, partim Duces fierent, præviisse Matrem* (nempe Ecclesiam, ex cujus opibus dicti fuerant) *videntur; ita ibi: atque utinam similia aliàs reperirentur nullibi! Prima Advocatorum Frisingensium mentio ad annum Christi 802. nobis occurrit.*

Annus Chr.
716. Bojos
valde auſta.

Scribit Dükerus in ſuo Salisburgenſi Chronico, anno Chriſti 716. hyemis tempore tetram motu ingenti fuiſſe concuſſam, frigus fuiſſe adedò intenſum, ut exanimés auicula ex aère delapſæ ſint, flumina quædam viſa eſſe ſanguinem potiùs quàm aquam vehere, cecidiſſe pluias tum atro colore pullas, tum igneas quæ mortiferæ fuerint iis, in quos defluerint, & (quod propiùs reſpicit Hiſtoriam noſtram) Friſingæ varias liquorum ſpecies atque fruſta ex aère cecidiſſe: & idcirco Taſſilonem Ducem, accedente Epiſcoporum conſilio, jejunia, ac preces univerſæ provinciæ indixiſſe, ipſumque Ducem cinere conſperſiſſe caput, atque eam, quam metuebat, Dei vindictam prævertere, clementiam verò conciliare ſtudiſſe, optimò ſanè animò, niſi uxoris furibundæ lenocinia eum brevi iterum evertiſſent.

§. II.

Taſſilonis, ac ſtirpis Agilolphingicæ in Bojaria exitus.

Sicera abſ-
que ſaco Taſ-
ſilonis Acta.

TAſſilonem ex Patre Utilone, Bojarie Duce, matre Hiltrude Caroli Martelli filia è Galliis profuga prognatum fuiſſe ſuo loco commemoravimus, parentibùs ſcilicet, Francico nomini parùm additiſis. Pippinus Taſſilonem, adhuc puerulum, Ducem appellavit. Taſſilo viciliſim, cùm adoleviſſet, ſe ſuâque in Pippini Regis clientelam dedit, aſt nonniſi ſexenniò fidem coluit, ſed Pippini Regis exercitum deſeruit, & obſequium palàm exiit, meritus, ut demùm Wormatiæ bellum contra illum decretum fuerit, quamquam irrito conſilio, cùm eo quidem tempore Francorum arma ad majora pericula apud Aquitanos compedienda evocata fuerint, ut jam ſupra narravimus. Carolus Rex, Pippini ſucceſſor poſtea *Magnus* dictus primò quidem Regni ſui annò Taſſilonem ad renovandum ſædus invitavit, atque agente Sturmione Fuldenſi Abbate, pertraxit: aſt illud poſt aliquot annos Taſſilo iterum rupit: quod nihilominùs paulò poſt, conciliatore ſummo Pontifice, ruriſ coaluit. Cùm poſtea novis conſiliis, ac legatis Romam miſiſ, Pontifici & Carolo illudere voluiſſe deprehenſus eſſet, à Pontifice diris devotus: à Carolo verò tripartito exercitu appetitus, ultima fata à ſe ſuiſque ſupplicabundus, & quidem datis obſidibus, atque inter hos filiò ſuò Theodone, avertit: & tamen, ſequenti ſtatim anno, vocatis in auxilium Hunnis novam rebellicnem meditatus eſt. Id edoctus Carolus, Francos, Bojos, Langobardos, Saxones, ipſumque Taſſilonem, Ingelhemium ad concilium evocavit, cujus eventum nemo fidelius, quàm Eginhardus, Carolo Regi, poſthac Imperatori, à ſecretis, ac demùm Monachus atque Abbas, jam aliàs à nobis laudatus, Lectori exponet; is in Annalibus hæc habet. *Anno DCCC LXXXIII. cum in villa Suburbani Magontiacenſis Ingelheim generalem populi ſui Rex fieri decreviſſet Conventum, ac Taſſilonem Ducem, ſicut & ceteros vaſſos (id eſt Vaſillos, ac clientes beneficiarios) ſuos in eodem adeſſe juſſiſſet, atque ille, ut ei fuerat imperatum, ad Regis præſentiam perveniſſet, crimine leſæ Majæſtatis à Bojariis accusatus eſt. Objiciebatur ei, quod, poſtquam filium ſuum obſidem Regi dederat, ſuadente conjugæ ſuæ Luicburgæ, quæ filia Deſiderii Regis Langobardorum fuit, & poſt Patris exilium Francis inimiciſſima ſemper exiit in adverſitatem Regis, & ut bellum contra Francos ſuſciperet, Hunnorum gentem concitaret. Quod verum fuiſſe, rerum in eodem anno geſtarum probavit eventus. Objiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ nonniſi ab inimico & irato vel fieri vel proferri poterant: quorum ne unum quidem inſitari cepit: ſed noxæ convictus, uno omnium adjuſu, ut leſæ Majæſtatis reus, capitali ſententiæ damnatus eſt. Sed clementia Regis licet morti addictum liberare curavit; nam mutato habitu in Monaſterium miſſus eſt: ubi tam religioſè vixit, quàm libens intravit. Simili-*

militer & Theodo filius ejus tonsus, & Monastica conversioni mancipatus est. Ita Eginhardus: cui multi alii antiqui atque serè coævi Scriptores consentiunt apud Mabillonium. De ejusdem Tassilonis exitu videri etiam possunt Boici ^{ser. III. annal. part. 2. d. pag. 444} Scriptores Velferus, Raderus, Brunnerus, Adelzreiterus, & alii. Fabulas inepitissimas, in Tassilonis Acta intrusas, singulariter insectantur Aventinus, Velferus, alique mox laudati Bojarie Historiographi: item Mabillonius locò supra allegatò. Quid enim ineptius dici potest, quàm, Tassilonem fuisse aliquando Regem Langobardie, & quidem à Carolo Imperatore institutum? in prælio publicè victum? vinculis mancipatum, ac per duarum pelvium ignitarum inspectionem excæcatum? quid fabulosius, quàm Tassilonem sub specie pauperis habiturque religioso omnibus ignotum usque ad extremum vitæ suæ terminum permanuisse? Tacemus miracula, quæ nonnulli in Tassilonis vitam non solum Monasticam, sed etiam Aulicam, imò puerilem ex fabulosis quibusdam membranis pietate sanè inutili intrudunt. Tassilonis, qui, Eginhardo locupletissimo teste, *Monasterium libens intravit*, spectata quædam pietatis opera fabulis minimè indigent. Longè sinceriora encomia eidem ex merito texunt Raderus ac Mabillonius. Illius, cùm adhuc Bojis jura diceret, in servos atque Ecclesias Dei profusa liberalitas nullibi luculentius deprehendi potest quàm in pretioso illo *Traditionum Frisingensium Libro primo*, ubi quàm plurimæ donationes Ecclesiis à Tassilone aut factæ, aut confirmatæ recitantur, aut sine omni furo, sine ulla fabulæ aut miraculi umbra. Verùm de his factis, Uxorem Tassilonis Luitburgam fuisse in Parthenonem Cochelensem retrusam, ex Mausolæo S. Emmerammi aliisque discimus. Atque hic fuit finis imperii Agilolphingorum Principum in Bojaria, cui plùs quàm ducentis annis dominata fuerat, stirps, ut Velferus aliique docent, inter Germanos sine controversia verustissima & nobilissima, cæpta à Theodone, & in Theodone Tassilonis filio, impotentis fœminæ culpâ, extincta. Bojaria deinceps Carolo paruit, uti & Langobardia, cujus Regem Desiderium vidit Carolus caprum in Monasterium nostrum Corbejense Galliz misit. Ita magni hi Principes pro corona profana recepère sacram & Monasticam, Carolo sibi tollente inimicos, ut Deo reddere amicos, uti Palatius alicubi loquitur.

Si Episcoporum potius, quàm Uxoris consilia excepisset Tassilo, fortassis etiamnum in Bojaria superesset nobilissimus Agilolphingorum sanguis. Verùm nil in orbe stabile esse voluit stabilis solus Deus: & nemo est, qui sibi rebûsque suis crastinum promittere possit. Cæterum Carolus ipse postea Bojariam adiit, & in certas partes provinciam descripsit, quibus illustres viros Erchenbaldum, Orpertum, Albricum, Adolphum, Wernharium, Orendillum, Amelricum, Godefricum, Godefredum Comites: Gisilhardum & Ellambertum Judices præfecit. Ipsis autem Comitibus atque Judicibus vicaria potestate Rectorem præposuit Geroldum Comitem Pusenium. His, Brunnero teste, additi fuère Episcopi & Abbates: de quibus omnibus suis locis plura dicenda occurrent. Tassilonis interim exauktionem secuta est expeditio Caroli in Hunnos, Tassilonis antehac fœderatos, ac felicibus stragibus postea debellatos,

§. III.

Liberalitas fidelium in Ecclesiam Frisingensem usque ad annum Christi 798.

ATtonem, cùm adhuc Scarantiensibus Abbas præfesset, summo in pretio Tassiloni fuisse, supra vidimus. Neque dubium esse potest, quin vicissim Atto omnem Tassiloni reverentiam impenderit. Ast temporis successu, cùm Tassilonis genius semper in pejora rueret, non perstitit eadem animo-

Ep. 31

Bojaria tranfit in potestatem Caroli Regis Franc.

Tassiloni in fine cum Atto non boi ne conuicte

animorum conjunctio, cum Atto inter alios Bojarie Status mallet legitimo Regi potius, quam Duci toties sedifrago, atque optimorum consiliorum contemptori adherere. Hinc existimamus evenisse, ut primis Attonis nostri annis parciores fuerint Bojorum erga Frisingensem Ecclesiam animi, quippe qui Tassilonis offensam timerint. Certè Tassilonem ipsum in odium Arisonis, cui Atto successerat, multas ab Episcopatu Frisingensi Ecclesias abstraxisse, constabit ex iis, quæ loco commodiori adducemus. Extat nihilominus Instrumentum aliquod cujusdam Heimrati Presbyteri, qui assentiente Tassilone Duce, presentibus Attone & Oadaltharò Episcopis, aliisque testibus huic Ecclesie omnia sua bona, & mancipia *ad Holze* Beatæ Mariæ, ac Divo Corbiniano transcriptit. Id factum esse anno Tassilonis Ducis XLII. Instrumentum equidem prodit: sed ponendum potius fuisse annum XLI. ex eo probatur, quòd Tassilo nonnisi 41. annis Ducis titulò fulserit, & jam annò 788. exautoratus fuerit. Verùm, ut sæpè monuimus, rudis illius ævi Notarij, uti sapissimè circa leges Grammaticæ ac Profodiæ, ita sæpè circa Chronologicas Notas parùm fuere accurati, maximè cum unus hoc, alius alio calculo annos Regum Ducumque numeraret. Et, si rudi illi temporì id genus errorum vitio veritimus, quid posteri nostri de nobis dicent, qui ejusmodi nævorum aliquando immunes non sumus, & tamen nos saculò eruditissimò vivere & scribere asseveramus? Porro quis, vel cujusnam Sedis Episcopus fuerit Oadaltharus, in Instrumento laudatus, hætenus nobis non ita compertum est. Cùm tamen hujus Oadalthari Episcopi in Instrumentis Frisingensibus frequens mentio recur- rat, isque multis tractatibus Frisingæ interfuerit, imò vix non apertè alcubi dicatur fuisse de familia S. Mariæ, Lectoris judicio permitimus, an non sit dicendus fuisse Chorepiscopus, nempe *Vicarius Episcopi in villis*, de quilibet Episcopis latè agunt Macri fratres in suo Hierolexico? Sanè Frisingæ eo jam tempore fuisse adhibitos Chorepiscopos, ex Catalogo Societatum Augiæ Divitis alibi apertè demonstravimus. Chorepiscopos non rarò fuisse dictos Cœpiscopos Mabillonius docet.

760. 98.

voti Chorep-
Episcopi.Annal. T. 8. l.
31. n. 75.

Proxima post exautoratum Tassilonem Donatio facta est à Deotlinda qua-
dam, quæ bona ac mancipia sua in *Nerting*, Mospurgenfis Præfecturæ vico,
Ecclesie Beatæ Virginis Mariæ Frisingensi addixit anno Caroli Regis Francorum
XX. nempe Christi 788. cum Carolus in Regem unctus fuerit anno 768. men-
se Octobris, uti Pagius tradit: ex quo apparet, eodem adhuc anno, quo
Tassilo in Monachum attonsus est, eam donationem contigisse: quam statim
secuta est alia donatio in *Altheim*, Præfecturæ Erdingenfis, anno scilicet, quo
Rex Carolus Bavariam acquisivit, ac Tassilonem clericavit, uti sonant Instru-
menti verba. Utrique donationi Atto interfuit.

760. 99.

760. 100.

Nem. 101. 102.

Nem. 101.

Horum pietatem proximè imitatus est Ekihartus Presbyter & Sundarherus
Diaconus, qui bona sua in Azwaldiu, & Ilns Monasterio Frisingensi celsere.
Ex donatione Tutilonis Presbyteri, facta Attoni nostro in *tabernaculis* prope
Oppidum dictum *Lauriacum*, colligimus, Attonem nostrum securum fuisse
Carolus Regem, cum is arma Hunnis inferret. Ea enim ætate insolitum non
erat, Episcopos vocare in exercitum, maximè contra infideles in aciem edu-
cendum. Donavit autem Tutilo Ecclesie Beatæ Virginis Mariæ Oratorium
suum in *Rottimbach*, Dachavienfis Præfecturæ pago, quod Atto noster dedica-
verat in honorem S. Petri Apostoli, pluribus bonis ei adjectis. In hoc verò
Instrumento illud singulariter notandum venit, quòd, cum nonnulli eam Tu-
tilonis donationem impedire tentarent, rêmque ad Regios Ministros, atque
constitutos à Carolo Judices detulissent, ac victoria penes Tutilonem staret,
Atto inter testes primò loco ponatur, & ipsi Kerold (nempe Geroldo Boja-
rie Pro-Regi, de quo supra) præferatur. Quod tamen mirum non est. So-
lebant enim jam præcedenti saculo septimo Episcopi esse in Regno Francorum

Episcopi inci-
piebant esse
ac dici Prin-
cipes.

Prima-

Primates, uti rectè advertit Mabillonius noster, qui, eum reculisset, mortuo Rege Clodovæo filium ejus Clotharium post eum regnâsse, & alterum ejus filium Childericum *suffraganeibus præcellentissimis Principibus Chroadobertho Episcopo Parisiaco, & Domino Audoëno Rotomagensi, nec non Majore Domus cum reliquis senioribus seu Optimatibus Regem Austriæ dictum fuisse*, hæc subjungit: *Ex quibus intelligitur* (inquit Mabillonius) *Episcopus tunc temporis* (nempe circa medium sæculum septimum) *saltem, qui majori auctoritate pollebant, inier Principes Palatii locum habuisse, immo & primatum tenuisse.* Quod utique etiam Caroli Regis tempore apud Rojos observatum fuisse, in Attono nostro videmus: idèmq; mos pluribus quoque sæculis tenuit.

Proximè secutæ sunt donationes de *Eugun, & Aske*, è quarum utraque intelligimus, Carolum Regem intrasse in *Hunniam*: item: cum hostibus in *Avaria* fuisse, nempe in Provincia Anasô fluvio versus Orientem contermina, quæ nunc Austria inferior dicitur: deinceps Frisingensi nostro Episcopo tradita fuit Ecclesia in *Filfa*, & alia ad *Isna* una cum aliis bonis item Helmuni hæreditas in *Tegernvvaç*: post cõjus mortem filium ejus charissimum Annonem tradidit Cundartus (forassis ejus curator) Attoni nostro literis ac virtutibus imbuendum. Successit nova donatio Sundharti in *Waldiu & Isana*. Anno sequenti contigit donatio Cundbari Comitum, qui bona ad se jure hæreditario devoluta in *Hukipere* Frisingensi Ecclesiæ obtulit.

Verùm nulla fortassis pinguior donatio hæctenus Cathedrali huic Ecclesiæ obrigit ac ea, quam Helmo winus Comes anno Christi 793. fecit hac occasione. Contendebat prædictus Comes coram Keroldo sæpè laudato Provinciæ Præfide, aliisque Judicibus à Carolo Bojarix datis, atque postulabat, ut certa quædam non infimæ notæ bona ac prædia hæreditatis titulo ad se pertinetia sibi adjudicaretur. Porro discusso causæ cardine meritisque examinatis deprehendère ac conclusère consultissimi Judices, ea bona, quæ postulabat Comes, vigore legis non ad ipsum, sed ad Regem potius pertinere. Et erant tam luculenta eam in rem Judicum argumenta, ut Comes ipse demùm fateri coactus sit, sibi nullum juris adminiculum superesse. Audiit hoc Carolus verè elementissimus Rex, ac miseratione motus totum, quod Comes antebac optaverat, eidem ultrò obtulit in hæreditatem perpetuam, ita, ut de bonis illis non secus ac de aliis propriis, prout visum foret, disponere posset. Hac Regis, imò Dei clementia motus Comes, urgente altiori stimulo ampliissimorum illorum jurium hæredes Deiparam ac Divum Corbinianum scripsit. Instrumentum egregiæ hujus donationis verbis admodum peregrinis scriptum in partem alteram rejicimus, ne hic grandi illa obscuritate Lectori molesti simus.

Hanc donationem excepère aliæ duæ de *Oatereskusir, & Hlaginbach*: in quibus tamen nihil singulari nota dignum apparet, nisi quod Tagabertus, multorum Instrumentorum Frisingensium Scriptor in *Hlaginbachensi* prodatur, se Monachum fuisse.

Majorem voluptatem quibusdam afferet Instrumentum Donationis de *Tözinesthofun*, factæ ad Corpus S. Tertulini in *Schledorff* præfente glorioso & illustrissimo Viro *Autone Antestite*, ac testibus Monachis *Schlehdorffensibus*, quorum hæc sunt nomina: *Williperht Presbyter. Megimolt Presbyter. Craolf Presbyter. Tagaperht Diaconus. Zotto Diaconus. Sandolf Diaconus. Unroh Diaconus. Arnolt Monachus. Keio Monachus. Cundpold Monachus. Kerpald Monachus*: qui posteriores quatuor simplici Monachi titulo asciuntur, quod nondum Presbyteri aut Diaconi essent ordinati. *Actum Schledorff 4. Kal. Octobris, anno septimo, postquam Carolus Rex venit in Bajarvvaria.*

Advertimus hic, in hac membrana non fieri mentionem Reginperti, qui Attonis in Abbatia *Schlehdorffensi* dudum fuerat designatus successor. Unde suspicari licebit, prædictum Reginpertum eo tempore jam fuisse defunctum, *R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.*

M

&

Anal. Or. n.
Siv. Tom. I. lib.
14. n. 41-42.

419.

Nem. 104. 105.

Nem. 106. 107.

Nem. 108.

Nem. 109.

Nem. 110.

Egremium
Caroli Regis,
& Helmo wini
Comitis fa-
ctum.

Nem. 111.

Nem. 112. 113.

Nomina Mo-
nachorum in
Schlehdorff.

Nem. 114.

& Attonem fortassis Abbatis munus etiam in Episcopatu retinuisse. Nisi fortassis malimus dicere Reginbertum Abbatem, de quo infra in Instrumento Synodi Reispacensis fit mentio, fuisse Schleichdorffensium Cœnobiarcham. Verùm ista Lectoris crisi subiecta sunt: donec inferius certiora statuamus.

§. IV.

Institutio Archiepiscopatus Salisburgensis.

Videantur
Acta Conci-
horum.

Quemadmodùm hoc octavo Christi sæculo agentibus summis Pontificibus, aliisque viris sanctissimis, Ecclesie causæ, & castissima fidei dogmata fortissimè juxta ac sanctissimè fuere propugnata, illicitis conjugii scriptis, Iconclastis damnatis, novis controversiis de Processione Spiritus Sancti ex *Patre Filioque* adversus Græcos: de Incarnatione Domini contra Felicem, & Elipandum definitis, aliisque pro Hierarchia Ecclesie, ejusque disciplina saluberrimè constitutis, ita sapientissimi Bojarie Præfules in illud sibi incumbendum esse consulere, ut inter ipsos unus aliquis Archiepiscopi dignitate fulgeret, ac ipsis etiam Episcopis, si res postularet, in Synodis præset. Unum verò omnium votum erat, ut Arnoni Salisburgensium Præfuli, id munus demandaretur.

Quis Arno
Salisb. Epi-
scopus?

Erat Arno *frater germanus* Alcuini seu Albini nostri, qui Cartuariensis primùm Abbas, postea Magni Caroli Præceptor ac Doctor maximus, primæque ac primariæ Universitatis Parisiensis institutor extitit. Fratrem illius germanum fuisse Arnonem, tum ex Salisburgensi Historia, tum ex Mabillonio, tum ex ipso Alcuino discimus, qui Arnonem vocat germanum suum, dum epistolam 66. sic inscribit: *Carissimo germano meo Aquila Antistiti Albinus*. Ubi *Aquila* nomine Arnonem intelligi, nemo, quem sciam, eruditorum negat, dum vocabulum *Arno* alicubi idem, quod latinè *Aquila* significat. Scio, Antonium Pagium cum Cointio existimare, Alcuinum seu Albinum nomine *germani* non voluisse significare agnationem sed amicitiam tantùm. Verùm an *germani* nomine vel soleat, vel possit intelligi amicus, solo animi affectu electus, Grammaticis, aliisque eruditis decernendum relinquimus, rati, à Cointio & Pagio significationi vocabuli illius aliquam inferri violentiam.

Sed quidquid de his alii judicaturi sint: illud certum est, Arnonem fuisse primò quidem Monachum ac deinde (post Gisleberrum) Abbatem Monasterii S. Amandi Elnonensis in Belgio Diocesi Tornacensi, Virum, ut habet Salisburgensis Historia, & alii Scriptores communiter, prudentiæ, sapientiæ, eloquentiæ, Zeli animarum, aliarumque virtutum dotibus ad maxima natum factumque. Quis Arnonem è S. Amandi Elnonensi Monasterio Salisburgum, seu Juvaviam evocaverit, non ausim divinare. Evocatum tamen fuisse certum est, cum constet, eum etiam jam suscepto Episcopatu adhuc Elnonensis Monasterii curam non deposuisse, uti ex eadem Salisburgensi Historia discimus: & hoc utique alludunt ea Alcuini in epistola supra laudata verba, *Veniens veniebam ad Sancti Amandi protecloris nostri dulcissimas mansiones* (nempe ad Monasterium S. Amandi Elnonense) *querens amatorem meum, ut ejus dulcissimo alouio refrigerarem animam. Sed quia necdum de rudo Juvavensi* (nempe Salisburgensi) *avis optata, (Aquila seu Arno) evolaris, mihi hanc invitatoriam chartulam &c.* Hæc de Arnone Alcuinus. Sanè Elnonenses nostros sacram societatem cum Monasterio S. Petri Salisburgi coluisse, legimus in vetustissimo illo codice societatum dicti Monasterii, ubi notata sunt nomina *Congregationis S. Amandi*, nempe *Arnus Episcopus. Siccharius Episcopus. Willihari Presbyter. Hanfrid Monachus. Danchari Monachus &c.* Quod ab Historiographo Salisburgensi animadversum non fuisse, miramur.

Salis-

Salisburgi S. Virgilio Episcopo & Abbati ante Arnonem successerat Bertricus: Bertrico verò post breve tempus rebus humanis exempto circa annum Christi 786. successus est Arno, idem Episcopus, & S. Petri Abbas. Is, exem-

Antecessores Arnonis, & Successores in Abbacia S. Petri.

Arnonis apud Bojos autocratæ.

Leo III. PP.

vid. Ind. Ugellius in Actis sacrae T. 1.

Arno habebat Episcopos, in primis Archiepiscopus Salisburgi.

plulo S. Virgilio post aliquot annos in Cathedra illa atque Abbatis dignitate exaltos, clavum Monasterii Ammilonio Monacho, ac futuro etiam in Archiepiscopatu successori commisit, ut eo pacto & ipse ad pacendum gregem Dominicum, & ad Hunnorum conversionem expeditior esset, & Divi Petri Monasterii rebus, successu alio Abbate, cautius consuleretur. Fuit Arno Tassiloni Bojarie Duci in maximo pretio, quippe quem idem Dux unâ cum Henrico Abbate Menensi seu Monstensi aut Lunelacensi ad negotium pacis cum Carolo pacifundæ Romam ad Pontificem misit. Exautorato Tassilone cum, ut supra dictum, Carolus Rex Bojarie varios Præsides atque Administratores præposuisset, qui locis opportunioribus nempe Frisingæ, Oetingæ, Aiblingæ, Feringæ, atque in Monasterii judicia publica exercerent, Arnonis auctoritas, & primæ ubique partes fuere, ut Brunnerus cum aliis scribit, & acta passim probant; fuscque viri illius ea virtus & dexteritas, ut, cum antehac ob præstita Tassiloni hosti obsequia Caroli animum à se reddidisset alienum, deinceps ob animi corporisque spectatissimas dotes ab eodem non tantum in gratiam, verum etiam inter primæ admissionis amicos fuerit receptus, etiam legationibus ad Pontificem ei delatis. Præerat eo tempore universæ Ecclesiæ Summus Antistes S. Leo III. Hadriano I. anno Christi 795, in Petri Sede subrogatus. Is ex Patre Alupio Romæ natus, à pueritia Ecclesiastica ac Divina disciplina instructus, Monasticum habitum sancti Patris Benedicti induit: deinde Presbyter Cardinalis S. Susannæ creatus, incredibili omnium plausu ad summam Pontificatus dignitatem ascendit, uti discimus ex ejus officio, quod sacra Rituum Congregatio die 19. Augusti 1719. ac postea Clemens XI. San. Mem. Pontifex Maximus die 22. ejusdem mensis Breviario nostro Monastico inseruit. Maximo illi Pontifici, de quo in consequentibus frequens occurrit mentio, non Carolus duntaxat, verum etiam omnes Bojarie Episcopi supplicarunt, ut Arnonem, tantis virtutum ornamentis præfulgentem, Bojarie daret Archiepiscopum; quod etiam annuit Pontifex, & datò Arnoni Palliò Bojorum Metropolitanum nominavit, expeditis eam in rem ad provincie Episcopos Alimum Briximensem, Actonem nostrum Frisingensem, Adalwinum Ratisbonensem, Waltericum Pataviensem, & Symbertum Neoburgensem literis, quibus iis significavit, gratas sibi fuisse eas literas, quibus Arnonem sibi Archi-Antistitem præfici petissent. Exaudisse se prudentissima eorum vota, & Virum, tantis meritis & fulgoribus eminentem, Archiepiscopum dixisse, atque Sedem Salisburgensem (ex adjecta in Carinthios à Virgilio, in Hunnos ab Arnone conversos jurisdictione omnium longe amplissimam) Metropolitanam constituisse. Extant ex sancti Pontificis literæ tum in Salisburgensi Historiæ libro VI. tum etiam in Metropoli Hundii Tom. I. pag. 4. ubi eas Lector reperiet: quem etiam monemus, ut conferat ea, quæ de hac Arnonis promotione Pagius ad annum Christi 798. (quo illa contigit) perquam eruditè disputat. Ita demùm Boicæ Hierarchiæ ultimum complementum atque perfectio à Benedictino Pontifice in Archiepiscopo Benedictino fuit adjecta, dubitanibus interea Scriptoribus, an post S. Bonifacii mortem Metropolitanani Moguntienfes Bojarie Episcopis jus dixerint, quod equidem Tassilo agrè permisurus fuisse videri queat. Carolus sanè omne dubium de subjectione Episcoporum Bojarie in Arnone sustulit.

§. V.

Renovatio Imperii Occidentis in Carolo.

Leo III. pef-
simè unpet-
na.

Pafchalis Primicerius, id est, omnium minorum Clericorum superior, & Campulus Sacellanus, cui scilicet sacri Theſauri custodia commiſſa erat, defuncti Hadriani Pontificis nepotes, quòd viderent, Leoni Pontifici omnia ſuccedere ex animi ſententia, ſtimulante invidia ad eò in eum exarſerunt, ut illum anno Chriſti 799. 7. Kal. Maji, nempe die S. Marco Evangeliftæ ſacro, in *Litania*, ſeu publica ſupplicatione, Rogatione ac Proceſſione, conductis ſicariis, & valida conjuratorum manu, fugatâ inermium turbâ, invaderent, atque linguâ & oculis graviffimè ſauciatum plagis pene conficerent, ac demum ſemianimem in cuſtodiam detruderent. Leo tamen inſtitatò prodigiò poſtridie ſanus reperus, & primò quidem ab Albino Cubiculario, aliisque fidelibus: poſtea a Spoletano Duce, & Wirmundo Abbate è conjuratorum manibus ereptus, ad Carolum Francorum Regem, expeditioni Saxonice intentum, Paderbornam ſe contulit, atque illuc delatus, teſtante ſacro Leonis officio, hac prima voce Regem ſalutavit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis*: nempe ut oſtenderet, ſe ſummis licet affectum injuriis, nuncium pacis, non bellorum adveniffe. Leonem cum ſumma amoris ac reverentiæ ſignificatione ſuſcepit Carolus, eumque ſecum aliquamdiu detentum donis ingentibus affectit, ac tandem tranſactâ ætate, additis præſtantiffimis viz comitibus ad ſuam ſedem dimiſit, paulò poſt ipſe Romam ſecurus, & Pontificis injuriam ulturus.

Venit ad Ca-
rolum Re-
gem.

Romam rediit.

Cum comi-
tibus magno
ſco.
Præſertim enim
pauciſſi ſuorum
ſunt in Episto-
ma Conciliorum
pag. 174.

Quinam fuerint comites illi à Rege Pontifici adjuncti, ex Baronio diſcimus, nempe Archiepiſcopi duo, inter quos Arno Salisburgenſis: Epifcopi quinque, inter quos Atto noſter, Friſingenſis Epifcopus, recenſentur, unàcum aliis viris primoribus compluribus, qui Leonem Romam ſequi juſſi fuère, tum ut Pontifici obſequia ſua exhiberent, tum ut cauſam ſacrilegæ in Papam crudelitatis examinarent, donec ipſe Carolus ad Romanum iter ſe accingeret, eòſque Romam ſequeretur. Urbem ubi Pontifex unàcum illuſtriſſimo illo comitatu die 29. Nov. attingit, ſummo cum honore ab omnibus ſuſcepſus eſt. Deinceps legati Regis, qui Pontificem ſecuti fuerunt, in Aula Pontificia conſedere, & conjuratos in examen adductos, cum nonniſi inanes calumnias blaterarent, in Franciam vincos ad Carolum miſere. Carolus poſtea Optimatibus ſuis Moguntiam convocatis atrocitatem ſceleris in Pontificem à Romanis admiſſi expoſuit, eorùmque ſuper auſu immani judicia exquiſivit. Viſum eſt Epifcopis & aliis, qui convenerant, Leonem nullo modo à quoquam eſſe judicandum, ita tamen, ut ſi ſponte ſua innocentiam ſuam demonſtrare vellet, non impediretur. Carolus itaque ſequenti autumno, anno Chriſti octingenteſimo Romam cum exercitu delatus, & incredibili omnium Ordinum applauſu exceptus, ac in ædem Divi Petri à Leone Pontifice primùm: poſtea in Palacium deductus eſt. Septimo abhinc die Carolus, immane facinus in Pontificem admiſſum judicaturus, ad Divi Petri Eccleſiam iterum ſeſe recepit. Conſedere coram Leone Pontifice & Imperatore tam Franciæ quàm Italiæ Archiepiſcopi, Epifcopi, atque Abbates, cæteris Sacerdotibus & Optimatibus Francorum & Romanorum ſtantibus. Pontificis poſtea cauſâ ad examen propoſitâ, negarunt iterum omnes, fas eſſe, ut Leo, imò in Leone Sedes Apoſtolica judicetur à quoquam: id enim omni retrò antiquitatè repugnare. Tum Leo, ſuggeſtu conſenſo, publicò ſuper ſancta Evangelia factò juramento ſe ab objectis criminibus purgavit: Sacrilegi verò illi latrones ſtacim capitis quidem damnati, verùm Leonis interventu nonniſi exilio mulctati fuère. Interfuiffe graviffimo illi coaventui Attonem noſtrum.

Convocatis
Moguntior.

Carolus Ro-
mam accipit.

strum, ex eo facile conjicimus, tum quia inter primos ad ejus causæ cognitionem Romam superiori anno missus fuit, tum quia in rebus domesticis Frisingensibus ad annum octingentesimum nulla Attonis hic præsentis occurrit mentio. Interea Episcopi nostri summa autoritas nominisque claritas nemini non fit manifesta, qui æstimaverit, cum nonnisi inter selectissimos orbis Præsules gravissimis Ecclesiæ & Regni negotiis fuisse adhibitum à Carolo Magno.

Leo deinceps ab universo confesso cum summo applausu exceptus, & in Leo deducitur innocens. sede Romana firmatus, non potuit ignorare, quanta esset necessitas, ut Pontifex Romanus, atque ipsa Petri Sedes Defensorem, quam fieri posset, potentissimum haberet. Et quia testante apud Pagium Sidonio, dignitatis Imperatoris titulus in Momyllo Augustulo ultimo Occidentis Imperatore ante trecentos ferè annos defecerat, Carolus verò plerasque antiqui Occidentis Imperii provincias, tum hæreditaria successione ad se devolutas, tum legitimò bellò, aut spontanea etiam populorum deditione acquisitas possidebat, imò iis quàm plurimas alias adjecerat, eundem Imperatoris in Occidente honorem in Carolo renovandum Leo censuit, tum ut haberet Ecclesia Romana adversus infideles, hæreticos, & seditiosos, tutorem, cujus officium jam pridem Imperatores Orientis repudiâsse visi fuerant: tum ut Irene, Orientis Imperatrix, facilius Carolo nuberet, si eum Occidentis Imperatorem Romæ coronatum intelligeret. Quod quanto Christianæ Reipublicæ bono futurum esset, nemo non intelligebat. Et sanè postulabant gratitudinis leges, ut Leo, tantis beneficiorum titulis à Carolo cumulatus, quicquid posset, eidem impenderet. Itaque rem, quam dudum meditatus fuerat, executioni dandam ratus, Carolum ipso Natalicio Domini festivo die in frequentissima Ancistum atque Optimatum corona, Romanorum Imperatorem renunciavit, unctumque sacro Chrismate, insignibus Imperii sub faustissimis populi acclamationibus condecoravit. Carolus Imperialis coronatus. Ex quibus accuratissimus Pagius eruditè deducit, hallucinari eos, qui scripsere, Leonem Occidentis Imperium à Græcis in Carolum transtulisse, cum dicere debuissent, occidentis Imperium in Carolo fuisse *renovatum*; nihil enim ex Caroli coronatione Imperatoria Græci amisere. Hinc numismata Caroli, quæ teste eodem Pagio etiamnum supersunt, aliud non præferunt, quàm hæc verba: *Renovatio Imperii*: Cæterum Carolus tanta dignitate à Leone auctus, vicissim Pontifici juramento se adstrinxit, ac protectionem tum Pontifici tum Ecclesiæ adpromisit, pulcherrimis legibus in ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aliorumque sacrorum Ancistum favorem condidit. Et huic quoque celebritati Attonem nostrum interfuisse, non apparet ulla ratio, cur dubitemus, cum ne quidem ad annum sequentem, scilicet Christi Octingentesimum primum, in domesticis scriiniis aliquam Attonis nostri, Frisingæ commorantis, mentionem deprehendamus. Arnonem quoque usque ad illud tempus Romæ perstitisse, Mezgerus in Historia Salisburgensi tradit.

§. VI.

Recuperatio quarundam Ecclesiarum ac bonorum, sub Attone facta.

REispacensis Synodi nullam apud Arenbekium, Hundium, Brunnerum, & Synodo Reispacensi. Adelzreiterum mentionem hæcenus reperio. Fuisse tamen Reispaci pag. 17. 87. (Landisbutanæ hodie Tetrarchiæ, & Ratisbonensis Diocesis Oppido) Synodum congregatam, Dükerus in Salisburgensi Chronico tradit, & annum Christi 799. diem viciesimum Januarii designat, atque insuper Episcopos, Abbates, aliòsque inferioris gradus viros Ecclesiasticos ex nominibus recitat, omisso tamen Arnonis nomine, quem non interfuisse Mezgerus ideo existimat,

Nel. 1131.
Arno Archi-
episcopus

quòd eo tempore Arno legatione Caroli in causâ Leonis Papæ Romæ occupatus fuerit. Nobis verò ex Frisingensi primo, seu antiquo Traditionum libro certum est, ei Synodo Arnonem Archiepiscopum intervenisse, & verum tum Episcoporum tum Abbatum præsentium Catalogum Dükeri non innotuisse. En Lector, Frisingense documentum, quod sic habet.

Et Arno Epi-
scopus inter-
fuit.

Notitia de hoc, quod Cundbarius Abbas reddidit Artoni Episcopo Ecclesias Parochiales IIII. ad Thalaningas, ad Mosaten, ad Muniribingas, ad Sulagaloch, & placitavit si aliquis ex propinquis suis dignus extiterit ad Sacerdotium, ordinet eum illic Episcopus, & in presentia istorum ad Rissah in Synodo factum est Waltrih Episcopus. Arn Archiepiscopus. Adalvvinus Episcopus. Uroff Abbas, Flato Abbas, Reginperht Abbas, Arno Archiepresbyter. Ellanod Archiepresbyter. Hiltiperht Diaconus. Paldrih Archiepresbyter.

Hic Düke-
ri opinio
emendanda,

Ex hoc vetustissimo Documento certum est primò, Reispacensi Synodo omninò interfuisse Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem, Artonem Episcopum Frisingensem, Adalvicum Radisbonensem; item Abbates Cundbarium, Uroffum, & Reginpertum. Hiltipertum Diaconum, & Patericum Archiepresbyterum, quorum tamen omnium nomina Dükerus omisit, seductus absque dubio, Schediasmate quodam seu fabuloso, seu depravato, quippe in quo Baldericus dicitur Episcopus Frisingensis & Sympertus Pataviensis, cum tamen Ecclesia Frisingensis nunquam aliquem Baldericum: Pataviensis verò nunquam Sympertum habuerit Episcopum, uti ex catalogo Episcoporum apud Hundium & Patrem Gabrielem Bucelinum nostrum discimus. Cùmque ex instrumento nostro certum sit, Arnonem Archiepiscopum interfuisse Synodo illi unâ cum Artone nostro, suspicamur, hanc Synodum fuisse congregatam primùm post Artonis & Artonis ex Romana legatione reditum, & post leges in favorem maximè Episcoporum à Carolo Magno año 801. Romæ latas, quæ inter alia sic habent: *quicumque licem habens sive possessor sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel in decursu temporum curricula, sive cum negotium peroratur, sive cum inceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosancta legis Antistitis, ibidè sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone ligantium dirigatur. Multa enim, quæ in iudicio captiosa præferentis vincula promi non patiuntur, investigat, & promi sacrosancta Religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel pratorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminata perpetuo stabilitatis jure firmantur: nec liceat ulterius tractari negotium, quod Episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipiant &c.* Quæ, & id genus plura Carolus Magnus ex Theodosii Imperatoris legibus desumpsit, de quibus agit Baronius ad notatum annum Christi 801. & merito deplorat, hodiè à sanctissimis piorum atque iustissimorum Imperatorum statutis adeò temerè nonnunquam defecit.

Etiam circa
Canones
Reispacenses.

Ceterùm uti ea, quæ hætenus contra Dükeri relationem adduximus, ita etiam prætenâ statuta Reispacensia, quippe libertati Ecclesiasticæ uno & altero loco manifestè obnitentia, & sapientissimis Episcopis planè indigna, nobis perquam suspecta sunt. Cur enim statuerint Episcopi, neminem Ecclesiasticum posse sibi comparare bona nobilium, uti Dükeri Synodus canone V. statuit? & quid est, quod statuatur canone XII. ubi habetur, nullum Episcopum & Abbatem posse sibi acquirere bona Ecclesiastica, quæ sint feuda Imperialia, nobilitati destinata? nunquid Canon iste sibi ipsi contradicit, dum ponit, bona quædam Ecclesiastica esse nobilitati (Laicæ) destinata? verùm his impugnantis immorari non vacat. Sanè cur in nostro Instrumento Waldericus Episcopus præponatur Artoni Archiepiscopo, nemini mirum videbitur, cum constet, veteres sæpe nullam dignioris loci curam in concipiendis instrumentis habuisse.

Anno

Anno Christi 802. cùm Arno Archiepiscopus Salisburgensis, & Adalwinus Episcopus Ratisbonensis: Orendillus item Judex & Reginhardus Comes, veluti à Carolo Imperatore delegati, Judices Frisingam venissent, ut ibi, tanquam in loco (ut vocabant) *publico*, & solito causas discuterent, Landfridus, Attonis nostri advocatus, seu causidicus, alium quendam Landfridum, filium scilicet Irminfridi, qui olim Scarantiensi Monasterio quàm plura prædia donaverat, detulit, quòd bona illa, à Patre suo eum in modum dudùm sancto Petro in Scarantia tradita injustè sibi usurparet. Restitit auctori Landfrido Landfridus reus, & ea bona ex paterna hæreditate sibi debere contendit. Episcopi, cæterique Judices, cùm in causam diligenter inquisivissent, intellexère, traditionem bonorum illorum ab Irminfrido eo pacto esse factam Monasterio S. Petri, ut, si ipse posthac adhuc prolem susciperet, eidem proli, pars aliqua illorum bonorum obveniret. Hinc judices nostri medietatem prædiorum illorum adjudicârunt Landfrido Irminfridi filio, neque aliquam ei multam distârunt, quippe qui non tam temerè egisset, prout antea videri poterat. Existat nihilominus aliud coarvum hujus decisionis instrumentum, in quo Atto dicitur omnia illa bona integra evicisse, solâ multâ Landfrido indultâ. Quòd si sciri posset, utrum horum instrumentorum forer (cæteris paribûs) posterius, intelligeremus certiorè causæ exitum, cùm posteriora soleant derogare prioribus. Illud certum est, Landfridum, Attonis nostri Causidicum sive in hoc, sive in alio ejusmodi *Placito*, hoc est, conventu publico & judiciali Frisingæ instituto, prævaluisse contra Reginbertum quendam, qui bona quædam in *Allinga, Kyfinga, & Germareskau*, antehac à Kejone patruo suo Monasterio Schlechdorffensi tradita in suos usus retraxerat. Hæc enim, causâ exactè discussâ, restituitè Reginbertus, ac deinceps manus abstinere jussus est.

In alio ejusmodi conventu publico Ratisbonæ eodem anno instituto Engilfrida Monialis cum Germano suo Kantberto repetit à Kaganharto, Attonis nostri eidem causidico, hæreditatem suam paternam, nempe Ecclesiam & res, in *Padilinkircha ad Lintum*. Respondit Kaganhartus, Ecclesiam & res, quas Monialis peteret, dudùm Ecclesiæ Frisingensi fuisse dono datas. Et sanè etiam idoneo testimonio probavit Kaganhartus, quod asseruerat. Hinc Arno Archiepiscopus, Adulfus Comes, Adalwinus Episcopus, Deotkerus Abbas, & Werinbarius Comes causam Attoni Episcopo adjudicârunt. Instrumentum in Parte altera producimus; eidemque mox subjungimus donationem duorum fratrum Presbyterorum eodem anno Episcopo Attoni factam.

Cùm anno sequenti Christi 803. Carolus Imperator Principes Salisburgum evocasset, atque ipsè ex Italia (ubi Langobardorum Regno leges formaverat, iisque Pippinum filium Regem constituerat) se eò contulisset, de constituendis Imperii rebus actum est. Aderant ibi etiam Legati Nicephori, qui ejecta Irene Imperatrice Orientis, Imperium nuper invaserat. Cum his pax partim conclusa, partim ratihabita fuit adjecta conditione, ut Carolus, ipsiusque successores, Imperatoris Romani & latini seu Occidentalis nomen haberent, Nicephorus ac posteri ejus, Imperatores Constantinopolitani, Græci, seu Orientales nuncuparentur. Ita cum Dükero scribit Pater Mezgerus in Salisburgensi Historia. Subdit Dükero, Carolum deinceps Oetingam venisse, ubi eum accesserit Atto Frisingensis Episcopus, eidemque conquestus fuerit, quod Leitfridus Monasterii Chiemensis, tunc Benedictini Instituti, Abbas, Ecclesiæ Frisingensi subtraxerat Ecclesias tres, nempe Willingensem, Hechlingensem, atque Bergensem. Porrò Carolum partibus diem dixisse in Willing, Rosenheimium inter & Monachium hodie situm pagum, in quo antiquitus *Placita*, seu Conventus forenses institui soliti fuerint: ibique Attonem reportasse victoriam. Ita Dükero. Ast longè aliter vetustissimæ & coarvæ membranæ Frisingenses habent, ex quibus sequentia cum Lectore communicamus.

Placitum publicum Frisingæ.

In quo due casus Schlechdorffensis decisionis.

Nom. 111.

Nom. 116.

Nom. 117.

Placitum Ratisbonæ.

Nom. 118.

Nom. 119.

Conventus Principum Salisburgi.

Attonis Episcopi in cum Abbate in Chiemsee.

Convenerant anno Christi 804. Idibus Januarii non Willingæ, sed Epiningæ, id est Aiblingæ, Arno Archiepiscopus, Erchanbaldus Comes, Orpertus, & Albrico Judices, multique alii viri graves, causam Attonem inter & Luitfridum composituri. Ibi cum Attonis Episcopi nomine Ellanodus, Archipresbyter Frisingensis, repeteret à Luitfrido Abbate Ecclesias quatuor, quas contra Canonum insitura Abbas possideret, negavit Luitfridus, injustè sese retinere ejusmodi Ecclesias, aut eas Episcopo cedere posse. Itaque opus erat, ut Arno Archiepiscopus cæterique Judices rem accuratius discuterent, & quid cuilibet partium adjudicandum esset, explorarent. Quod dum fit, ecce! deprehendunt Episcopum quemdam, è Scotia in eas partes delatum, Ecclesias, de quibus erat contentio, sibi usurpare. Hoc intellecto rogatu tum Ellanodum tum Luitfridum advena ille Episcopus rejectus, lisque ita decisa est, ut Abbati relinquerentur Ecclesie tres, nempe *Willing*, *Perchovilling*, & *Modrikig*, quæ ex donatione nobilium Monasterio accesserant: de alia verò Ecclesia ad Tatinhusir integrum esset Episcopo, si vellet, eam unà cum proventibus Luitfrido cedere. Quod etiam annuisse videtur Ellanodus, postquam Abbas Episcopo cecit alias duas Ecclesias, nempe in *Hegeling* & *Perg*. Ita demùm controversia finem habuit. Et hæc quidem ex primo traditionum libro colligimus, & Instrumentum vetustissimum in Parte altera per extensum damus. Interea verò non nescimus, causæ hujus decisionem alibi aliter recenseri. Verùm primus ille, seu *Antiquus* Traditionum liber eodem, quo res accidit, sæculo conscriptus, dum alium codicem, sæculò primùm duodecimò scriptum, trecentis & amplius annis superat, merito majorem sibi fidem postulat. Illud tamen instrumento posteriori facile credimus, Tassilonem Ducem & Luitburgam conjugem multas sacras aedes abstraxisse ab Ecclesia Frisingensi, idque in odium Aribonis, quippe qui in fine Carolo Regi potius ac Francis, quàm eidem Duci adhaeretic: quod verum esse, ex dictis constat, & idem de Attone supra diximus. Sanè Luitfridum feu Luitfridum fuisse Abbatem Chiemseensis Monasterii, Mabilionius ex vetustissimo Necrologio Augiensi probat, ubi notatur: *Ex Monasterio Chamiceo Luitfridus Abbas.*

Decidit.

fol. 120.
Nov. 180.

Præf. Anst. II.
Tom. II. pag.
443.
Acta sic Attonis
cum Abbatibus
Tege-
nseculi.

Scribit Aventinus lib. 4. *Annalium*, anno Christianæ Salutis septingentesimo nonagesimo quinto ab Attone Frisingensi Episcopo Meginhardum Tegernseensium Monachorum Præfulem ob quatuordecim Ecclesiis decimas interceptas in jus ad Regem tractum fuisse. Dicitur esse utrique diem in contubernium Tegurini lacus: Arnonem Salisburgensem Episcopum, & Elenandum primarium Sacerdotem judices à Carolo datos. Cognitâ causâ jussos fuisse Monachos templa decimasque suo Pontifici reddere &c. Ita Aventinus: sed malè. Frisingense Instrumentum in hujus causæ decisione stilo equidem perquam obscuro conscriptum, quantum assequi licet, sic habet.

Convenerant antehac in Ecclesia S. Emmerammi propè Ratisbonam (eo enim tempore nondum mœnibus urbis inclusum erat Divi Emmerammi Connobium) Altheus Episcopus, Waldericus Episcopus, Arno Episcopus, Iteus Abbas, Atto Diaconus sive Abbas, Henricus Abbas, Urolfus Abbas, Reginbertus Abbas, & alii quàm plures, cum coram eo confessu Atto noster Episcopus interpellavit Adalbertum Abbatem Tegernseensem, & Zachonem ejus Vicarium, ut ea redderent Frisingensi Ecclesie, quæ ab ea per injuriam fuissent ablata. Spondere quasi coacti Adalbertus ejusque Vicarius Zacho datis Episcopo in pignus manibus, se reddicturos, quidquid justitiæ ratio & Judices restituendum esse decreverint. Verùm eo quidem tempore res ad effectum nequiquam perducta est. Cum verò postea mortuo Adalberto Abbate, & vivente adhuc Zachone Meginhardus Tegernseensibus præfectus esset, Atto Episcopus, & ipse Meginhardus Abbas Conventum publicum ad diem Translationis S. Quirini M. nempe 16. Junii anni 804. in Tegernseensi Monasterio convocare,

vocate,

vocare, & de facienda restitutione coram electis Judicibus deliberare constituerunt. Comparuere itaque destinata die Arno Archiepiscopus, Atto Episcopus, Oadhardus Episcopus, Hiltigerus vocatus Episcopus, Meginhardus Abbas, Cündharius Abbas, & præter alios Zacho, Monachus, *sed quondam Abbas*, ac tota Congregatio Tegernseensis, atque alii multi: neque distulit Atto Episcopus à Monasterio repetere Ecclesias *legitimales*, id est, Parochiales *Achrovending, Hartbening, Egiling, Warngau, Olling, Tannkirch, Zenzhusir, Holtzhufir, Hrodungeskirch, Phunzina, Helfendorff, Finsing, Pue-lach*, decimam de Ecclesia *Veldkirchen*, & Ecclesiam de Holzhausen *de donatione nobilissimi quondam Viri DD. &c. &c.* eò quòd hæc omnia ab Episcopatu fuerint injustè avulsà, & multo jam tempore in Monasterii usù conversa. At Meginhardus Abbas multorum testimoniò fultus nolebat cedere ea, quæ Monasterio fuissent antehac ex liberalitate fidelium oblata. Tum Arno Pontifex ad Abbatem conversus, si bas, inquit Ecclesias, & quidquid à te repetit Atto Episcopus, cupis servare Monasterio tuo, fac, ut advocatus seu Causidicus tuus documenta atque testimonia proferat, quæ reperiri in rem tuam poterunt. Sin minùs: reddes omnia, quia jure possidere non potes. Quo dicto, cum nondum spes concordie appareret, seorsim deliberarunt electi Judices, qua potissimum via & pacto inter dissidentes pacem constituere possent? His tamen demùm terminata fuit hunc in modum. Meginhardus restituit Episcopo Ecclesias, decimas & altaria, ea tamen conditione, ut, si ipse probare testibus cum tempore posset, majus jus in Ecclesiis ac decimas ex nobilium donatione competere Monasterio, quàm Episcopo, eas repetere liceret, quantum Canonum decreta permitterent. Verùm cum ne hoc quidem pacto liti finis videretur impositus, interventu Arnoni Episcopi, Atto Episcopus Abbatem celsit Ecclesias; decimæ verò fuere assignatæ Ecclesiarum illarum Rectoribus, ita tamen, ut Ecclesiam Tankirchensem unà cum decimis inde provenienti sibi Episcopus reservaret. Adjecta denique fuit clausula, quòd, si Tegernseenses novas lites imposterum Episcopo super hac transactione excitare auderent, in Episcopi potestate semper esset dictas Ecclesias ad suos usù revocare. Id ita conclusum fuit in sæpe dicto Tegernseensi Monasterio die supra dicto, 16. Kal. Julii, seu 16. mensis Junii anno quarto Imperii Caroli Augusti, nempe Christi 804. Ubi vides Lector, quantum à vero defecerit Aveninus, dum Tegernseenses totà causà cecidisse scripsit. Instrumentum damus in altera Parte, ex quo eodem instrumento egregiè probatur, neminem eo jam tempore dubitasse, quin Divi Quirini Reliquiæ ad Tegernseense Monasterium fuerint translatae. Sanè festum Translationis illius non solum in Monasterio Tegernseensi quotannis die 16. Junii, verùm etiam in universa Diocesi fuisse celebrari solitum, ex antiquis Liturgiis & Breviariis Frisingensibus discimus: hodie verò non nisi in sæpe laudato antiquissimo Monasterio festivè peragitur.

Anno Christi 806. Wago quidam Clericus coram Arnone Archiepiscopo aliisque Judicibus ab Imperatore constitutis Oetingæ accusatus fuerat à duobus viris laicis, quòd bona quædam, ex hæreditate sibi, nempe Actoribus, debita, injustè obtineret. Respondit Wago, se ea, quæ possideret, jure clientelari accepisse à Frisingensi Ecclesia, neque deesse instrumenta, quibus demonstrari possit, ea bona ad eandem Ecclesiam Frisingensem legitime pervenisse. Productis itaque monumentis Wago absolutus, Actores verò rejecti fuere. Id, ut diximus, Oetingæ concigit, causam decidentibus Arnone Archiepiscopo, Adalwino Episcopo, Eurico Episcopo, Hatone Episcopo, Urolfo Abbate, Meginhardo Abbate, & pluribus Comitibus.

Eodem anno Atto, Episcopus postea, bona S. Pancracii in *Steinhardt, Wasserburgenis* hodie præfecturæ pago, quæ tempore Tassilonis Ducis eidem *R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.* N *eccle-*

Terminatur.

Avenini error
distinguit.
Num. 151.

Num. 128.

106. 107. Ecclesiz Richardus quidam donaverat, contra Alpratum quemdam egregie defendit.

Schefflariensi Monasterio eodem anno Pecto quidam Episcopus & Abbas Hachingam & Puelocham tradidit; cuius donationis literas Aventinus refert, quas Hundius Metropoli inseruit, at non integras.

106. 4. pag. 1061
315.
106. 124. C.
105.

Anno 807. Atto Episcopus propriæ suæ Frisingensis Ecclesiz bona contra Rumoldum ejusque fratres: item contra Otiantum & Einhartum coram solenni Judicium conventu tutatus est.

106. 107. 108. 109. Protexit quoque Atto non suæ tantum Cathedralis, verum etiam aliarum Ecclesiarum bona, ut est Ecclesia in *Foracheida* S. Martini in *Piparbach*, *Zezinhufun*, *Arvicehusir*, & aliz quàm plures. Quæ omnia si distinctè hic recensere vellemus, nonnisi tædiò Lectorem opprimeremus.

§. VII.

Ulteriora incrementa Frisingensis Ecclesie & mors Attonis Episcopi.

Quæ sub Attone Episcopo usque ad annum Christi 798. Frisingensi Ecclesie bona accessere, supra §. III. exposuimus. Superest, ut cætera quoque enumeremus, id quod expediemus ea, qua fieri potest, brevitate, adducendo ex instrumentis sola nomina locorum, è quibus novæ bonorum accessiones Frisingensi Ecclesie accreverunt. Ejusmodi itaque Ecclesie,

106. 110. 111. prædia, mancipia, sylvæ, & id genus alia occurrunt in *Hitzinhufir*, *Poachbloch*,
112. 113. 114. *Hage*, *Capalpach*, *Undeisinga*, *Cella*, *Nirrvivara*, *Holzhusir*, *Rathelmes-*
115. 116. 117. *dorf*, *Alamuntinga*, *Winimunteshufir*, *Dacharva*, *Feldtuhhinga*, &
118. 119. 120. *Kerhilathufun*, *Phrumare*, *Meisaba*, *Heidolvinga*, *Holze*, *Pipurc*, & *Pel-*
121. 122. 123. *heim*, *Crazun*, *Palkinga*, *Zetileshufun*, *Louppack*, *Mosaba*, *Wihse*,
124. 125. 126. *Mammindorf*, *Alpiha*, *Eginoni Ecclesia*, seu *Eginkirchen*, *Pocharva*, *I-*
127. 128. 129. *pach*, *Marzilinga*, *Poche*, *Urdorf*, *Humpfa*, *Srogen* & *Ilana*, *Hipah*,
130. 131. 132. *Horaginpach*, *Heidhusir*, *Winimunteshufir*, *Richoersdorf*, *Mosaba*, *Hol-*
133. 134. 135. *zen*, *Moresfortiu*, *Tanne*, *Ekkiperheshova*, *Alamuntinga*, & *Prunnon-*
136. 137. 138. *His* subjungimus donationes annis incertis sub Attone Episcopo factas, nempe
139. 140. 141. *de Oasirrvanc*, *Srvinhurin*, *Tagaleihhinga*, *Chamara*, *Rotapach*, *Srvind-*
142. 143. 144. *kirichia*, *Weride*, *Hafalpach*, *Hlutripach*, *Pritilimbach*, *Nirrvivara*, *Abun-*
145. 146. 147. *na*, *Scropinhufun* & *Zurleshufun*, *Pheterach* & *Arucabach*, *Hafalpach*,
148. 149. 150. *Cotinga*, *Thalmarzinga*, *Wanga*, *Alumhusir*, *Wolfsperheshufir*, *Chama-*
151. 152. 153. *ra*, *Feldmohinga*, *Hlaginbach*, *Phrumari*, *Waldiu*, *Mariclinga*, *Eh-*
154. 155. 156. *stinga*, *Abunna* & *Ziholfeshufir*, *Humervanc*, *Chumirdorf*, *Roracmas-*
157. 158. 159. *son*, *Filusa*, *Kermunteshufir*, *Ormareshufir*, *Huckimperc*, *Abaloh* & *Wil-*
160. 161. 162. *pach*, *Tagaleihhinga*, *Azzalima*, *Paingun*, *Smeohun*, *Filusa*, & *Zezin-*
163. 164. 165. *hufir*. Respira hic nonnihil bone Lector, & animum ad nova loca, unde
166. 167. 168. donationes sub Attone à fidelibus factas accepit Frisingensis Ecclesia, primævis
169. 170. 171. atque asperis plerumque nominibus, ast non sine magna antiquæ pietatis ad-
172. 173. 174. miratione exprimentas.

106. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174.

Supervenire itaque recensitis hætenus sacris donationibus rursus aliz prope *Filusam*, *Kyefinga*, & *Peraloch*, in *Feldmohinga*, rursus de *Filfa*, de *Zollmyun*, *Prijsinga*, *Dacharva*, *Zezinhufun*, *Alhmuntinga*, *Hleginbach*, *Helphindorf*, *Holzhusir*, *Uurdorf*, *Crukinga*, *Laustoro*, *Mochimiga*, *Prunna*, *Nirrvivara*, *Perabah*, *Kermarervanc*, *Focho*, *Ehamontinga* & *Poachlob*, *Waldkershova*, *Furibulze*, *Pupinhufir*, *Holzhusun*, & *Kisinga*, *Rotopach*, *Poche*, *Rota*, iterum *Rota*, rursus *Rota*, *Allima*,
175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248.

Hlera, Sindoeshusir, Tankiricha, Ehinga, Premarlin, Cundinhova, If-
maninga, Feochte, Senatesarva, Otingun, & Tegarinvvac, Ollingas &
Auguzingaz, Holzhusir, Alamuntinga, Eimesloch, rursus Eimesloh, Mo-
safun, Teinhova, Hukipere, Willinga, Tegarinvvac, Filla &
Clasnapach, Heripertesbusun, Archinsvvene, ad Frigifun, Holzhusir,
Poapintal, Oparinhof, Cyncola, & Pettinpach, & Sentilinga. Prædia ac
bona innominata contulere quidam Waldperbt, Ellampire, Tiso, Oelhel-
mus, Eti Presbyter, Svidmot Monialis, & Walto. Deotswind femina
 quædam mancipia adjecit. Tanta fideles præstitere Cathedrali Monasterio sub
 Attone nostro, religiosissimo Antistite, quod pie crederent, non alia magis
 ratione Dei gloriam promoveri, & peccatorum veniam obtineri posse, quam
 si Deiparam Virginem Divumque Corbinianum haberent propitios, impositò
 iis, qui ejusmodi bonis fraudarent Ecclesiam, gravissimo onere respondendi
 Deo, Beatz Virgini Matri, ac Divo Corbiniano, Episcopatus fundatori fan-
 tissimo.

Ultimò vite sue (ut videtur) annò Atto Episcopus præcipuo beneficio si-
 bi æternùm devinxit Ecclesiam suam Frisingensem, dum universum propemo-
 dum dominium in Purkhrain eidem, facta quadam bonorum permutatione
 acquisivit. Habebat Ecclesia Frisingensis in Vico Eutingensi partes duas: ter-
 tiam verò partem possidebat Riffvinus quidam hereditario jure, qui etiam
 partem aliquam habuit in Purkhrain *prope Monasterium Ispia*, quod aliàs ad
 Frisingensem Ecclesiam pertinebat. Cessit itaque Riffvinus bona sua in Euting
 atque Purkhrain, nempe prædia, hortos, agros, prata, fundos cultos & incul-
 tos, silvas, molendina & alia Ecclesie Frisingensi: vicissim Atto Episcopus
 adhibito suorum consilio atque consensu Riffvino ejusdem valoris bona in
Puech redhibuit, ingenti commodo utriusque partis contrahentis, quo in ho-
 diernum usque diem ex parte gaudet Frisingensis Ecclesia. Factam esse eam
 permutationem anno Christi 811, die 22. Maji, apographum pervetustum e-
 quidem notat: ast verò Attonem eo saltem mense inter vivos jam non super-
 fuisse, pluribus documentis infra sub Hictone Episcopo monstrabimus. Nempe
 majores nostri aliquando parùm fuere anxii in accuratè annotandis rerum
 gestarum annis ac mensibus, contenti diligenter in libros retulisse beneficia ab
 aliis sue Ecclesie præstita, ut & gratitudinem suam posteris probarent, & se,
 illòsque gravissimæ obligationis sue redderent perpetuò memores.

Ex commutatione quorundam bonòrum, inter Attonem Episcopum &
 Reginberthum Abbatem S. Castuli facta, quasi manibus palparum, Reginber-
 tum, de quo superiùs ag. batur, non fuisse Schlehdorffensem sed Mospur-
 gensem Abbatem, qui, cum jam interfuerit Synodo Dingolfinganz, ut supra
 vidimus, ad provecam ætatem pervenisse dicendus est. In instrumento inter
 testes notatur Sigimotus, *vocatus Abbas*, nempe adjutor Reginberhti. Utrum-
 que reperimus in Catalogo Monachorum *de Mosaburga*, qui exhibetur in li-
 bro societatum S. Petri Salisburgi manu sæculi octavi scribi cœpto, ubi ponit-
 ur septimò locò *Sigimot Presbyter & Monachus*. Instrumentum super *con-*
venientia Episcoporum & Abbatum de decimis Salisburgi anno Christi 807. in-
 ita, quod Brunnerus ex vetusto codice Frisingensi exscriptisse se dicit, nos ex o-
 mnium vetustissimo, ac manu hominis Synchroni (nempe Cozrohi nostri)
 in *Altera Operis Parte* emendatiùs exhibemus: ubi etiam advertimus, in eo
 Præsulum conventu *lectis Canonum Capitulis* deprehensum fuisse, ex decimis
 debere *quatuor porciones fieri, unam Episcopo, alteram Clericis, tertiam pau-*
peribus, quartam fabricis Ecclesie. Unde meritò admiramur, quòd, cum
 cæteræ quidem partes hodie decimis fruuntur, pauperum tamen, in quibus
 Christus representatur, nulla amplius alicubi habeatur ratio, uti experientia
 docet.

Dominium in
 Purkhrain At-
 toni adscri-
 bitur.

Mem. 184.

Mem. 185.

Ann. Eccl. l. 6.
 pag. 51.

Mem. 186.

Attonem nostrum fuisse primum condicorem Monasterii S. Candidi in *hinching* seu *Intica* ad fontes Dravi fluminis, ex iis potissimum constabit, quæ sub Hittone successore afferemus.

Attonis obitus

Obitum Attonis Episcopi quidam Pontificum Frisingensium catalogi reponunt ad annum Christi 811. unus eorum usque ad annum Christi 812. differt: solus Freiburgeri Catalogus annum Christi 810. designat: & hic quidem bene. Ratio in promptu est. Cùm enim laudati Catalogi ferè omnes (quibus notata Gamanfii respondent) diem obitus statuunt viceſimum septimum mensis Septembris: & ex Actis Hittonis successoris constet, jam anno Christi 811. mensibus Aprili, Majo, ac Junio sub ejus regimine Ecclesiæ Frisingensi donationes quasdam obvenisse, consequens fit, ut dicere debeamus, decessisse Attonem mense Septembri anni præcedentis, nempe octingentesimi decimi, uti nemo deinceps inficiabitur. Accidit itaque mors Attonis anno sacri Regiminis sui viceſimo sexto, tempore S. Leonis III. summi Pontificis, in cujus gravissima causa Atto adhibitus olim fuerat: imperante Carolo Magno, cujus glorioſæ coronationi Atto Romæ interfuerat: Salisburgensibus præſidente Arnone, cujus Atto inter cæteros Bojarie Antistites ad Archiepiscopatum promotus extiterat. Patavienſibus eodem tempore Hatto, Prixineſibus Henricus seu Emricus, Ratisbonensibus Adalwinus sacra jura administrabant.

Tradunt aliqui, eodem anno Christi 810. obiisse Pippinum Italiæ Regem, à Carolo Magno, parente suo, ut diximus, constitutum, qui etiam Bojarie nostræ Cis-Danubiæ præſuerit. Sed mirum videri queat, cur in tot Frisingensibus Instrumentis, ea ætate scriptis nullibi hujus sive Regis sive Ducis mentio occurrat. Interea Pippino Italiæ Regi successus est alter Caroli filius, Bernardus nomine: qui etiam Bojarie Ducatum accepit.

In Codice Societatum Augiensium, nimirum Monasterii Augiæ diviſus notatur Atto noster ius, ut alibi jam diximus, verbis: *Nomina fratrum de Frisingun. Atto Episcopus, & Sigiharth Chorepiscopus.* Ex quo rursus apparet, Frisingenses & Augienses Monachos eo tempore sacro quodam fœdere fuisse conjunctos. Qua de re videri potest Mabillonius *Annalium Ord. S. B. Tom. II. Lib. 20. in fine*: qui etiam *lib. 28. N. 25.* asserit, Attonem Episcopum recenseri in libro fratrum conscriptorum Monasterii S. Galli. In vetustissimo Libro Societatum Monasterii S. Petri Salisburgi sub Rubrica: *Ordo Episcoporum vivorum*: sic habetur: *Atto Episcopus, & congregatio ipsius.* Ex quo intelligimus eam pretiosissimam illius Codicis partem vivente adhuc Attone fuisse conscriptam.

CAPUT VI.

Hitto, Frisingensis Sedis Episcopus sextus.

§. I.

Hittonis Electio.

Familia Hittonis.

Fuit de familia.

HIttonem gente Bojum fuisse, ex prædiis in Bojaria sitis, quæ Ecclesiis Frisingensibus S. Mariæ & S. Benedicti tradidit, rectè deducimus. Fuisse insuper membrum nobilissimum Frisingensis Familie, intelligimus non solum ex eo, quod toties inter testes donationum, qui sæpè erant, & dicebantur *de familia*, nempe domestici, adhibitus fuerit, verum etiam ac maxime ex eo, quod fuerit Religioſorum Tyronum in Frisingensi Conventu diligenti-

genitissimus institutor ac Magister. Sanè Cozrohum, qui librum primum, seu *Antiquum* Traditionum iussu ipsius Hittonis conscripsit, fuisse Frisingensem Monachum, ex variis Instrumentis convincimus, ut suis locis ad oculos demonstrabimus. Testatur autem in operis sui præfatione Cozrohum, se *sacris disciplinis* ab Hittone Episcopo fuisse *edoctum*. Et sanè nunquam Frisingæ eoque tantum Monachorum numerum extitisse, ac sub Hittone, ex infra adducendis Lector intelliget.

Frisk anal.
Trad. 16. fol.
80. a. fol. 186.
b. fol. 188. b.
fol. 190. h.
fol. 191. h.
Cozrochi Ma-
gister.

An Hitto noster ante consensam Frisingensem Cathedralam Presbyterii gradum assecutus fuerit, nullò, quod quidem super sit, certò testimonio probari potest, cum in instrumentis hætenus allegatis non nisi Diaconus appelletur. Unde non immerito suspicamur, eum primum post sui electionem Sacerdotii gradum admisisse. Ipsam sanè electionem contigisse circa incidum anni Christi 811. & quidem ante Mensem Aprilem ex instrumentis eo anno scriptis discimus. Fuisse Hittonem summa virtute, & excellenti doctrina prædicum, Ecclesiæ suæ utilissimum, & in conscribendis sacris voluminibus & annotandis Donationibus, Monasterio Frisingensi factis, perquam sollicitum, sequentia docebunt, & Cozrohum luculenter testatur in laudata sua præfatione, quam sub loco infra recitabimus.

§. II.

De Donationibus sub Hittone Episcopo factis usque ad annum Christi 824.

Quorsum applicati fuerint tot donationum Ecclesiæ Frisingæ hætenus usque ad Hittonis Episcopi tempora factarum fructus, discimus ex Instrumentis, sub Hittone conscriptis. Auctis nempe proveniètibz crevit etiam divina laus ac psalmodia, numero Monachorum ingentia incrementa sumente. Unde Ofunus in donatione de Mosach, qua tradit omnem hæreditatem suam, id ait se facere *ad Monasterio Sancti Corbiniani sito Frisingensis, ubi pretiosus Dominus Corbinianus in corpore requiescit, vel (&) ibidem his temporibus præest venerabilis Hitto Episcopus cum turba plurima servorum Dei ad laudes Christi canendas adunata &c.* & Zeizo Presbyter bona sua ad Rotam Monasterio Frisingensi donans sic habet: *ego Zeizo Presbyter donamus ad Monasterio sanctæ Maria in Castro sito Frisingensis, & ibidem præest Venerabilis Hitto Episcopus cum Norma plurima servorum Dei ad laudes Christi canendas adunata &c.* Et ne nesciat Lector, nomine *Servorum Dei* Monachos intelligi (quod quam sæpius in aliis instrumentis contingere demonstrat Mabillonius) Gotefalcus & Deobaldus nobiles fratres suam Traditionem Menzingensem fecisse se asserunt *ad Frisingas, ubi Dominus pretiosus Corbinianus in corpore requiescit, vel ibidem præest venerabilis Hitto Episcopus cum norma plurima Monachorum ad laudes Christi canendas.* Quæ eadem verba repertiuntur in donatione Sigonis Presbyteri, omnia sua tradentis Frisingensi Ecclesiæ in Urdorf, Painga, & Ruplinga. Certè ipse Hitto noster augendi cultûs divini studiosissimus fuit, & hinc fidelium erga suam Ecclesiam liberalitatem sanctè provocavit. Unde Alpothus Presbyter in donatione Lintachensi scribit, *virum vita venerabilis nomine Huttonem divino nutu, suoque studio beatum & memorabilem Conventum, unâ cum Abbatibus seu Presbyteris vel Diaconis, nec non & clero, bono certamine*, qualiter Dei servitium superaugmentare, & suisque sacrum officium, ceterorumque omnium sibi à Deo subiectorum emeliorare vel instituire ad ampliorem profectum potuisset? &c.* Quare nemo mirabitur, quòd, cum os, lingua, mens, sensus, vigor tot Monachorum, Dei laudes in Cathedrali Ecclesia tam alacriter personarent, tantus divini officii ze-

Opes auctus
Divino cultui
amplifican-
do impendit.
F. d. in Pars
Alma N. 109.

F. d. N. 317.

N. 365.

F. d. N. 149.

* Supplic.
emphaticè

lus & ardor accenderit proximos, ita, ut plurimi oblato de rebus suis munere cœlestis illius laudis se voluerint reddere participes. Nunc ad loca, è quibus nova prædia Monasterio S. Corbiniani sub Hitone primis tredecim annis oblata fuere, strictim percensenda veniamus. Et Cozrobis quidem noster Presbyter & Monachus Frisingensis, donationibus sub Hitone factis, hunc præponit titulum, à Grammatica quidem multum, nil tamen à stilo sæculi sui abbotrentem:

In nomine Domini nostri Jesu Christi. De temporibus venerandi Viri, culmine juris sublimati Hittonis Episcopi, incipiunt diversas traditiones firmiter peractas ad domum sancta Maria ad Frisingas; ita Cozrobis: ex quo nos loca donationum secundum annorum seriem subjungimus: & sunt sequentia, nempe Richareshusun, Feochee, Anzinga, Pergk, & iterum Pergk, Zidalpach, Pleomngas, & Svoindaba; & ultæ quidem donationes evenere usque ad annum Christi 814. quo Carolus Magnus Imperator 5. Kal. Februarii obiit, cuius religiosissimum testamentum Baronius ad annum Christi 811. ex Eginhardo nostro recitat, quo ærarü sui hæredes Ecclesiæ & inter has etiam Frisingensem scripsit. Cæterum Carolus Imperii hæredem reliquit Ludovicum, dictum Pium: qui Bojariam filio suo Lothario commisit, de quo suo loco fusiùs agemus.

In Instrumentis supradictarum donationum in parte altera exhibendis, & quidem in eo, quod Fiechtensem donationem concernit; observabit Lector, testes fuisse adhibitos Oadaldaldum, Meginoldum, & Hiltpertum Presbyteros, nulla Monachatus mentione adjecta: qui ipsi tamen in Instrumento Anzingensi apertè vocantur Presbyteri & Monachi: quod hic iterum monemus, tum ne, si in membranis illius temporis occurrat nomen Presbyteri, valis eo ipso iudicetur non fuisse Monachus, tum ut assertionem nostram alibi factam, in Lectoris animo reddamus stabilem, ac modernos vocabulorum usus usui veterum esse aliquando contrarios demonstremus.

Successere deinceps aliæ donationes in *Ismaninga, Machsmirne, Helgilinga, & Echsingas*: rursus in *Perke, Phrumare, Haradhusun, Pergun, Schamaha, Welamotesaha, Holzhusir, Holzen, Reodir & Petzimpach*, acque *Porhsolaga*; è quibus, & aliis plurimis vocabulis uti pleraque homini locorum experto sunt seipis manifesta, ita, si singula susciperemus explicandam, ætium ageremus. Scimus enim, tot sæculorum decursu non solum nomina aliquando exolevisse, verum etiam prædia olim alicubi reperta, & suis vocabulis insignita, desiisse; neque desunt exempla nostrorum temporum, è quibus videmus, ejusmodi villas aliquando destrui & ad commodiora loca, aliud nomen habentia, ædes transferri. Cæterum eodem tempore Willibertus quidam Levita bona sua Frisingensi Ecclesie transcripsit. Secutæ sunt donationes in *Kraz, Tegardorf, Omimbach, Mosahun, Timbusir, Cella, Otolteshusir, Osmareshart, Husir, Underingas, Petarach, ad Rotam, Winiwunteshusir, Mosaha, Purosinga, Hroodperthes Ecclesia, Crimarhusir, Welamotesaha, Lapara, ad Clana fluvium, Poapmcella, Abmesbora, Sceffsilarn, Freddimmarin-*

ga, Tigarwvvaç, Stroga, ad Filura, Hukimberc, & Hirndbach. Et hæc quidem bonorum accelliones contingere usque ad annum Christi 816. ubi monemus Lectorem, in Instrumentis donationum hætenus recensitarum mentionem fieri non solum Monasteriorum Frisingensis, & Isanensis, verum etiam alterius novi Cœnobii in *Tegernbac*; ex quo patet, olim etiam in eo loco Cœnobitas habitasse. In iisdem membranis occurrit frequens mentio non tantum de Mönachis, sed de turma plurima Frisingensium Monachorum. Cæterum Instrumenta omnia maximum Hittonis zelum deprædicant, quippe qui universum Clerum suum ad Synodos Frisingam & Ehingam sæpiùs convocaverit, per singulas Ecclesias populum docendo, prædicando, instruendo, confirmando ad

TA. 1. Tradit.
fol. 117. a.

X. 487. 491.
495. 490. 471.
492. 293. 294.

Carolo Magno succedit
Ludovicus
Pius.

Differt. 29.
p. 107.

X. 495. 496.

497. 498. 295.
300. 301. 302. 5
303. 304.

305.

306.

307. 308. 309.
310. 311. 212.
313. 314. 315.
316. 317. 318.
319. 320. 321.
322. 323. 324.
325. 326. 327.
328. 329. 330.
331. 332. 333.
334. 335.

111. 357.

Zelus Hittonis.

beatæ immortalitatis vitam manuduxerit, ipsas Ecclesias consecraverit, bona earum auxerit, ac totus in augmentum divinæ laudis incubuerit.

Excet etiam donatio, quàm Hitto ipse Ecclesiæ Frisingensi obtulit anno Christi 815; sequenti Instrumento.

Et liberalitas
ergo suam
Ecclesiam

IN nomine Dei cunctorum fidelium Redemptoris. Hitto exiguus Episcopus tamen gratia Dei electus, atque à Deo coronatus, seu ad augmentum sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad utilitatem domus sanctæ Mariæ constitutus; proinde divina clementia ammonitus iussit edificare, vel amplificare Ecclesiam in propria hereditate in loco, qui dicitur *Haholfeshusir*, quod eum obvenerit de parte Genitoris sui, deinde ibidem præfatus Episcopus veniens, & alij plerique nobiles viri cum eo adsuerunt. Tunc prædictus Episcopus querens ad sortem suam nomine Cotesidii, si aliquid de rebus illius ad prænotatam Ecclesiam donare voluisset? & illa supra memorata Cotesidii devotè ac diligenter extemplo adsuit coram magna multitudi-
Cotesidii Sen-
toris Huzonis.

ne, & tradidit propriam partem Kernandi filii sui pro remedium animæ suæ ad prædictam Ecclesiam, quicquid eum iure hereditatis obvenerit, atque ilico manifestè subiunxit: eo quod Kernand in Italia regione prolem habuit, si hoc aliquando contigisset, quod genitus ejus ad patriam perperet, & ibidem querere Alodem Genitoris sui voluisset, sine aliqua contradictione vel iudicaria potestativè habuisset, sin autem, ut in evum incorruptum perduraret; tunc supra memoratus Episcopus consecravit hanc Ecclesiam, nec non & Altarem, insuper & reliquias addidit; tunc demum venerunt venerabilis Episcopus & soror ejus, una cum filia sua nomine Heibrat in præsentia multorum, qui ad illam celebritatem venerant, & tradiderunt generaliter, quantumcumque in ipso loco suprædicto propria hereditatis præsentè tempore dominare, vel possidere visi fuerunt ad ipsam Ecclesiam, & ipsam Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus firmiter ad domum sanctæ Mariæ semper Virginis Genetricis Dei in castro sito Frisingensi pro remedium animarum suarum donaverunt; eo modo, usi qualicumque illorum in hac corruptibili vita prolixius vixisset, ad illius usum, & potestatem haberet, vel si hoc aliquo de eorum cognatione complacitare voluissent, ut nemo hoc contradicere nullo potuisset. Actum est hoc multis præsentibus: Heriperht Archiepiscopus, Oadalpald Presbyter & Monachus, Unroh Presbyter, Rihpald Presbyter, Heriolt Presbyter, Engilheri Presbyter, Emicho Diaconus, Starchof Diaconus, Heimo Subdiaconus, Wago Clericus, Perahrat Clericus. Isti alij sunt testes per aures tracti: Deothart Centenarius, Sindeo, Cundheri, Cartheri, Reginpald, Heriperht, Ampho, Reginperht, Isancrim, Cundhart, alius Reginperht, Deostih, Reginhoh, Engilrith, Alrith, Alrperht, Hartperht, Oadalhart, Adalperht, Adalunc, Walho, & alij multi. Hoc actum est in Nonis Novembris Indictione VIII. anno imperante Hludovico Augusto secundo, & Hlodhario dominante Rege Bojovrorum I. Ego itaque Birtilo indignus subdiaconus jussu Histtonis venerabilis Episcopi scripsi hanc traditionem, & subscripsi ad Monasterio Frisingensæ.

Plerum vidi sed
N. 701.

Quisnam hodie sit locus *Haholfeshusir*, in Instrumento designatus, hætenus nos nondum assequi ultrò fatemur. Quòd verò Deothartus inter testes positus vocetur *centenarius*, rectè Lector interpretabitur, eum fuisse Centurionem, seu centum militum, imò agrorum præfectum, ac iudicem quandam inferiorum, quales tempore Caroli Magni, & Ludovici Pii constituebantur per Germaniam: qua de re Hofmanus plura tradit.

Observabit verò ulterius Lector (quod dudum poteramus monere) in Chartis donationum sub Attone & Hirtone Episcopis factarum jam non amplius fieri mentionem consensùs Bojarie Ducum aut Regum, quod fortassis in gratiam, imò venerationem sacrorum locorum accidit, faciliè conniventibus Carolo, ejusque filiis, si fideles Deo redderent, quod à Deo acceperant. Neque illud hic

Aliz obiter
notandum.

hic reticendum est, Hittonem Episcopum, cum tot passim donationes Ecclesie suae fierent, saepe ejusmodi agros, domos, *Mvas* & id genus alia donatoribus ad dies vitae clientelari quodam jure & sub annua pensione, more Antecessorum suorum concessisse. Sic enim plerumque inter Episcopum & donatores convenerat: veluti constat etiam ex concessione de *Vering*, ut patet ex instrumento, in quo primam *cerevisia* mentionem deprehendimus.

334.

337-338. 339-
340-341. 342-
343-344. 345-
346-347. 348-
349.

Ad annum Christi 816. occurrunt donationes novae in *Altheimb*, *Cronimbach*, *Filusa*, *Seun*, *Ekkilimbürg*, *Prisinga*, *Urdorf*, *Painga*, *Ruplmea*, *Militaha*, *Hlaginbach*, *Ahaloh*, *Nrvvisaron*, *Ekkipechtsdorf*, & *Pirchilindorf*, ubi in charta donationis in *Craninbach* legitimum factum illud, à nobis alibi jam notatum, nempe *Liustonem aegrotantem habitum saecularem in domo sancta Mariae deposuisse, & clericatus Monasticam profectum esse habere vitam*; è quibus instrumenti verbis luce meridiana clarius est, Monasticam vitam ex veterum mente non esse contra clerum distinguendam. Et sanè quid habet Clericus saecularis ex sui Ordinatione, quod non habet ex simillima imò eadem Ordinatione Clericus Monachus?

x. 330.

Eodem anno Hitto Episcopus quasdam suae Ecclesiae possessiones multo fudore recuperavit, quas olim Luitburga Ducissa, Tasilonis Uxor eidem abstraxerat, ac Monasterio in *Auna* attribuerat. Sanè nomine Monasterii in *Auna* hic non intelligimus aliud quàm Chiemense, quod nempe constructum fuit in Chimi Lacus insula, quondam *Auna* vernaculo sermone dicta, cujus Leutfridus olim Abbas fuerat, de quo alibi egimus. Eam vocabuli *Auna* interpretationem accipimus ex Diplomate Arnolphi Regis apud Hundium in Metropoli, ubi ait Rex, Monasterium S. Salvatoris infra Lacum, qui Chiemense vocatur, constitutum, *vulgariter vocabulo Onua* dictum fuisse. Habfrido Clerico eodem anno Episcopus noster certos reditus ac proventus confirmavit.

Quodnam
Monasterium
Auna?

Tom. II. p.
331.

x. 331.

Et quoniam constituimus in hoc paragrafo recensere donationes omnes sub Hitto Episcopo usque ad annum Christi 824. Frisingensi Ecclesiae, seu Divi Corbiniani Monasterio à fidelibus conglomeratas. opus est, ut ulterius strictim adducamus nomina locorum, è quibus deinceps ab anno Christi 817. eadem Frisingensis Ecclesia dotata fuit. Reperimus autem sequentia: nempe *Fechinga*, *Sterfo*, *Adalhelmeshufir*, *Ribhareshufir* *Altheim* & *Steincoi*, *Uadeoinga*, *Pheterach*, *Afinhusum*, *Hobinreine*, *Otmars Wanc*, *Dacharra*, *Mahaleibingra*, *Kisalbach*, *Menzinga*, *Hall*, *Hochinprucha*, & *Wagon*. Et hæc erat fidelium liberalitas anno Christi 817.

332-333. 334-
335-336. 337-
338-339. 340-
341-342. 343-
344-345. 346-
347-348. 349-
350-351. 352-

348. 349. 350-
351. 352-
353-354. 355-
356-357. 358-
359-360. 361-
362-363. 364-
365-366. 367-
368.

Succedere anno Christi 818. donationes aliarum in *Pachu*, *Svoindaba* & *Afe*, *Strazloh*, *Khinzinbach*, *Felda*, *Perchouun* & *Prummon*, *Holzen*, *Martilinga*, *Feldmokinga*, *Steinhart*, *Stargina*, *Hamaringinbach*, *Hafalbach*, *Siroga*, *Wagon*, *Fimingun*, *Niuarun*, *Holzhusir* juxta pelagum *Wirmsco*, *Ijana* & *Alpicha*.

359-360. 361-
362-363. 364-
365-366. 367-
368-369. 370-
371-372. 373-
374-375. 376-
377-378. 379-
380-381. 382-
383-384. 385-
386-387. 388-
389-390. 391-
392-393. 394-
395-396. 397-
398-399. 400-
401-402. 403-
404-405. 406-
407-408.

Annus Christi 819. Ecclesiae Frisingensi adjecit bona in *Walde*, *Perc*, *Ehimgun* & *Perc*, *Schaldorf*, *Mesckinsfeld*, *Mohbinga*, *Filusa*, *Timinhova*, *Hafalbach*, *Seunon*, *Filusa*, *Kermarswanc*, *Sindaldeshufir*, *Puppininga*, *Richcozeshouun*, *Prisinga*, *Linsach*, *Kenperc*, *Richcozeshusir* & *Holzhusun*.

409-410. 411-
412-413. 414-
415. 416.

Proximò annò Christi 820. Monasterium Divi Corbiniani auctum est, bonis in *Sulzemos*, *Pheterach*, *Hermeshufir*, *Fiskom*, *Lutirwanc*, *Luges*, *Anthadeshofa*, & *Chuginbach*.

417-418. 419-
420-421. 422-
423-424. 425-

Anno Christi 821. obvenere Ædi Beatæ Mariæ Virginis Frisingæ novæ donationes in *Pheterach*, *Machsmirreini*, *Anzinga*, *Anthadeshofon*, *Hrodol-feshufun* & *Steimesdorf*, *Puppininga*, *Uperaha*, *Srveinbach*, & *Zornel-singas*.

Anno Christi 822. Hitto Episcopus acquisivit & vindicavit suæ, & aliis Eccle-

clesis bona in *Pohscorron*, *Croaninpach*, *Perge*, & *Cotungum*, *Eichnaha*,^{456. 457. 458}
infra Truhna, & *Crivina*, in *Stroga*, *Soveimbach*, rursus in *Stroga*, *Feringa*,^{459. 460. 461.}
Nirvivarā, *Tegardorf*, *Wanichimbach*, *Merunstetti*, *Ratirovveg*, & *Klana*.^{462. 463. 464.}

Secutæ sunt anno Christi 823. donationes in *Calkimperc*, *Svwindaha*, *Kekin-*^{465. 466. 467.}
gas, *Phetrach*, *Erphimbun*, *Prifinga*, *Pasimbach*, & *Amra*, prope *Pock-*^{468. 469. 470.}
Laupach, *Naninhofa*, *Eitindorf*, *Pacharum*, ad *Lintach*, ad *Fechtkircha*,^{471. 472. 473.}
& *Calmanpach*.

Anno Christi 824. reperimus donationes sequentes nempe in *Scropinhufun*,^{474. 475.}
Tanne, *Reginperchteshusir*, *Azzilinga*, *Steinberinga*, *Tegardorf*, *Steinberin-*^{476. 477. 478.}
ga, *Hilagimbach*, *Mammindorf*, *Sirasloch* & *Hockimberg*, *Hrindpach*, *Ab-*^{479. 480. 481.}
loh & *Wilpach*, atque *Hringolsimhova*. Tanta erant Frisingensis Ecclesie in-
crementa usque ad annum Christi 824. primi Frisingensis sæculi ultimum. Plu-
ra sub eodem Hittonæ Episcopo sæculo sequenti referemus. Tu interim, Le-
ctor, æstima necum, ac demirare pietatem Majorum, & posterorum obliga-
tionem gravissimam perpende.

Dum interea tot fideles Christiani tantis favoribus prosequerentur Frisingensium Monachorum zelum, non deerant alii, qui in restituendis iis, quæ ab Ecclesia Frisingensis sive acceperant, sive usurpaverant, cunctabundos sese exhiberent, quos tamen Hitto Episcopus partim salutaribus exhortationibus movit, partim Judicum sententia adiecit, ut ejusmodi bona restituerent. Meginhardus quidam Hittoni Episcopo reddidit capram cum Reliquiis, quam quidam nomine *Wafucrim*, è domo S. Mariæ, ut videtur, clepserat. Neque ingratus fuit Hitto noster, sed Meginhardi fidelitatem manibus è cervino corio confectis remuneravit. Cæterum cum ea restitutio atque adjecta donatio facta fuisse dicatur in Pannonia, suspicamur, Hittonem anno Ludovici quinto, Christi 818. in Pannoniam iter instituisse. Aliam restitutionem anno Christi 820. Wittagavo quidam Hittoni fecit.

At verò causa gravior erat, quàm Hitto noster cum Nidkero (aliàs Nidgarrio) Augustano Episcopo anno Christi 822. habuit super Ecclesia in Chenberg, quo nomine fortassis intelligendus venit pagus *Kienburg* Crantspergenis Præfecturæ. Eam Ecclesiam cum tam Nidkerus, quàm Hitto noster repeterent, redemum ad delegatos ab Imperatore judices delata est, qui in pago *Albarehusfir*, nempe *Alershausen*, ad determinandas lites varias convenerant. Comparuere autem ibi Hatto Patavienfis Episcopus velut *Miffus Dominicus* seu Cæsareus Legatus: Hitto Episcopus Frisingensis, Baturius Episcopus Ratisbonensis, & Nidkerus Episcopus Augustanus, unà cum Kyfalhardo Judice publico. In eo conventu cum varix causæ discuterentur, Reginpertus, Hittonis Episcopi nostri Advocatus conquestus est contra Antbugum Nidkeri Augustani Episcopi causidicum, quod Ecclesia in Chenberg minimè ad Augustanà sed ad Frisingensem Dioccesin pertineret. Respondit Antbugus, eam Ecclesiam in publico Procerum conventu ad *Phadarprunon* (fortè Paderborn, an verò Payerbrunn?) habito fuisse adjudicatam Hantoni Episcopo Augustano, Nidkeri prædecessori. Verum cum id Antbugus equidem diceret, interea tamen factis appareret, quidquid alibi de Ecclesia in Chenberg fuisset actuatum, nullo juris ordine fuisse decisum: cumque insuper Reginbertus demonstrare paratus esset, Ecclesiam in Chenberg dudum à Frisingensibus Episcopis conferri fuisse solitam, & ab ipso Hittonæ fuisse collatam, tandem Judices auditis magnò numero testibus, qui omnes voce unanimi exclamaverant, Ecclesiam Chenbergensem unà cum prædiis ac bonis non alii, quàm Hittoni Episcopo debere adjudicari, eam eidem adjudicârunt. Id cum contigerit Anno Ludovici Cæsaris nonò, Christi 822. ac tempore Episcoporum supra recensitorum, manifestum sit, Nidkerum, seu Nidgarium Episcopum Augustanum Episcopis illis fuisse Synchronum, & Augustanæ Cathedralis anno 822. præfessisse, quantumvis aliud in Catalogis Augustanorum Episcopi *R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.* O porum

Alia bona recepta.

448.

469.

470.

Causa Hittonæ cum S. Nidgerio Episcopo Augustano.

porum atque Abbatum Octoburanorum statui videatur: quod Lectoris iudicio decidendum committimus.

471. Cæterum eodem anno Hitto Episcopus ooster fundum quandam Ecclesie
 472. fuz propè *Azzalingsam* adversus quemdam Hrodhobum: ac sequenti anno Ec-
 473. clesiam in Holzhausen in oovo publico *Placito* seu conventu judiciali Feringz
 instituto: denique anno 824. etiam Ecclesiam in *Pahbara* in alio simili con-
 ventu adversus alios defendit atque evicit.

Donatioes alias, sed tamen in locis non nominatis sub Hittone Episcopo
 474-475-476. Ecclesie Frisingensi fecere Wago Capellanus: Engilrat Matrona: Sindperhus
 477. Presbyter: Salomon Presbyter ejusque frater Meginbertus. Instrumentorum
 oumeros in margine annotamus, atque in Parte altera Lectori exhibemus: io
 quorum ultimo observamus, Salomonem pro censu annuo inter alia obtulisse
 vestimenta *cum cappa Monachica*. Reperimus in libro quinto Traditionem
 Frisingensium, quem *Rubrum parvum* appellant, permutationem illam bo-
 oorum in *Euting, Purgkrein & Puch*, ioter Atonem Episcopum, & Riswi-
 num ut alibi diximus, olim factam, à Ludovico Imperatore fuisse confirma-
 478. tam. Instrumentum in parte altera exhibemus, atque censemus, tractatum
 479. illum tempore Ludovici fuisse renovatum, licentiâ commutandi à Cæsare im-
 petratâ. Subjuogitur instrumentum aliud, quo idem Ludovicus Imperator
 declarat, Atonem *quondam* Episcopum Frisingensem struxisse quandam Cel-
 Julam, quz nuocupatur *Inihha*, & fratres ibidem ad Dei omnipotentis offi-
 cium peragendum congregasse in confinio Tyburniensi, ubi Dravus fluvius or-
 ritur, & eam S. Petro (nempe Monasterio Scatantiensi) & S. Caodido con-
 structam, ac rebus propriis ditatam, Ecclesie Frisingensi donasse. Cùm verò
 ea postea abstracta, & alteri in beneficium data fuisset, Venerabilem Episco-
 pum Aroonem supplicasse Cæsari, ut eam Frisingensi Ecclesie redderet: idque
 etiam Imperatorem annuisse. In cujus narrationis instrumento cùm occurrant
 vocule illæ: *ubi Atto venerabilis Episcopus præst*, qui in superioribus dicebatur
Atto quondam Episcopus, palpamus, libarium lapsum fuisse, à quo pos-
 teriori loco non Atto sed Hitto ponendus fuerat, maximè cùm Atto Episco-
 pus cum Ludovico Imperatore componi non possit. Interea ex eodem instru-
 mento certum maeret, Atonem fuisse primum Copditorem Monasterii Inti-
 centis, quod lapsu temporum mutatum est in Ecclesiam Collegiatam, Ino-
 ching dictam, Prixinensis Diocesis. Episcopi Frisingenses, ad quos olim, ut
 diximus, Ecclesia Inticensis pertinebat, hodie oil Juris ampliùs in eam habent.
 Adjuoctum tamen oppidum etiamnum temporali Frisingensium Episcoporum
 dominio subjacet.

117.
Schliersee
petens ab
Hittonis Ab-
batem.

In Instrumento de Slerseo, hodie Schliersee, ad annum Christi 817. lau-
 dato, advertimus, defuncto Schlierseensi Abbate Warmunto, fratres ejus Mo-
 nasterii venisse ad Hittonem Episcopum, ac juxta legem sibi impostam pe-
 tuisse sibi Abbatem dari Sindibonem, Warmunti defuncti fratrem, quod etiam
 Hitto coocessit. Hodie longè diversa est apud Schlierseenses rerum facies, qua
 de re suis locis dicemus.

192.
Moniales
Frisingz.

Observamus deoique ex donatione de Zidalbach, Frisingz anno Christi
 813. etiam fuisse quoddam Monasterium Monialium. Nam Hiltimaria in ea
 donatione dicit, quòd ad Beatam Virginem & S. Corbinianum *defensionem*
habere desideraverit, Et caput suum in illorum protectionem ad clausuram
collocaverit. Verùm longè plura ejus rei argumenta suis locis proferemus.

Nunc verò, recensitis quibusdam rebus domesticis, io
 publicum prodibimus.



§. III.

Gesta illius temporis publica.

Carolus Magnus, cum, ut supra jamjam dicere coepimus, mortem sen-
sim prospiceret, ut tum Imperio, tum Ecclesiis Imperii sui quam opti-
mè confuleret, in ejusdem Imperii collegam anno Christi 813. Ludov-
vicum filium suum, *Ptum* dictum, assumpsit, eodemque anno quinque in
Francia ac Gallia Concilia congregavit, Moguntiae scilicet, Remis, Turonis, Varia Consi-
lia ac saluberrima statuta
Episcopis. Cabilone & Arelate. In Moguntino, inter cetera, arma Clericis fuere inre-
dicta. In Remensi iussi fuere Episcopi *pauperes & indigentes ad mensam ha-
bere, ubi Lectio divina personet.* Idem constitutum fuit in Turonensi. In
Cabilonensi canone tertio habetur mentio de præcepto Caroli Magni, quo vo-
luit *omnes Episcopos Scholas erigere, in quibus bona litera, atque imprimis
Theologica docerentur.* Ad supplantandum verò, curandumque simul in sacerdo-
tibus avaritiae morbum sequens antidotum suggessit: *Oportet etiam, inquit,
ut si quando Sacerdotes fruges vel quosdam reditus terra congregant ac prote-
lant, non Ideò hoc faciant, ut carius vendant, & thesauros congregent, sed
ut pauperibus tempore necessitatis subveniant.* Hæc omnia exscriptimus ex
Baronio: qui etiam adducit aliud statutum Caroli & Ludovici de libertate in
eligendis Episcopis his verbis: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei no-
mine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum Ordini Ecclesiasti-
co prabimus, ut scilicet per electionem Cleri & populi, secundum statuta Ca-
nonum de propria Diocesi, remota personarum & munerum acceptatione, ob
vita meritum, & sapientia donum eligantur, ut exemplo & verbis sibi sub-
jectis usquequaque prodesse valeant.* Ita ibi Arnonem Archiepiscopum Salis-
burgensem interfuisse Concilio illi Moguntino, cum Adelzreitero Antonius
Pagius ad hunc eundem annum bene scribit. Quòd etiam Histo noster eidem
fuerit præfens, colligimus ex Præfatione illius Concilii, ubi dicitur, quatuor
Archiepiscopos, & inter hos Arnonem, *una cum reliquis Coepiscopis,* fuisse
Moguntiam congregatos.

Sequenci anno, Christi 814. Carolus Magnus, veluti itidem supra jamjam
insinuare coepimus, à terrena ad caelestem coronam migravit, vir de Ecclesia
Dei & universo Imperio optimè, imò longè magis, ac hic explicari possit
meritus. Et cum omnes Imperii sui Archiepiscopos & Episcopos ararii sui hæ-
redes scripserit, dubium non est, quin etiam Frisinga ejus liberalitatem exper-
ta sit, maxime cum non ignoraverit Carolus eam Ecclesiam in odium sui mul-
ta fuisse à Tassilone ultimis ejus annis perpeffam.

Anno Christi 816. S. Leo noster PP. III. de quo in Attone multa retulimus, Leoni III. sub-
licitur Stephe-
anus V. ad. IV.
P. Græg. Kolb in
ser. Rom. Pont.
p. 125. ad superos abiit pridie Idus Junii, quo die etiam ejus festum jussu Clementis
XI. Papæ M. celebramus Benedicini. S. Leoni III. successit Stephanus V. alius
IV^{us} quem nonnulli iterum Ordini S. Ben. adscribunt. Is non longo post sui
electionem tempore à furiosis popularibus suis ex Italia migrare compulsus ve-
nit in Galliam, ubi à Rege Ludovico in campis Remensibus ter repetita genu-
flexione exceptus fuit, Remis verò eundem Ludovicum cum Irmengarda bal-
samò Regiò inunxit, coronas Imperiales regis imponens capitis. Vitæ ta-
men metam ipse attingit statim septimo sui Pontificatûs mense, anno Christi
817. Hæc ferè R. P. Gregorius Kolb S. J. in sua *Serie Romanorum Pontificum.*

Stephano Papæ defuncto altera statim die unanimi electorum suffragio sur-
rogatus est Paschalis I. Romanus, antebac Ordinis S. Benedicti Abbas, uti Ma-
billonius, item mox laudatus P. Gregorius Kolb, & alii testantur. Hoc bi-
ennio, nempe anno Christi 816. & 817. Ludovicus Imperator summas curas,
R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Endo ricus
corvusius. Pid. et om. th.
p. 125. O 2 coactò

Concilium
Aquisgra-
nense.

Conditur Re-
gula Canoni-
corum.

cap. 117. col.
1171.
Qua rerum
proprietates
non excludi-
tur.

cap. 2. col. 1239.

cap. 13.

Vicissitudines
inter Reges

& Pontifices.

coeſtō Aquisgrani Concilio adhibuit, ut disciplina Eccleſiaſtica, ſicubi muta-
ret, reſtitueretur. Pagius rem breuiter explicat Ademari verbis, qui ſic ha-
bet. *Juſſit (Ludovicus) fieri Regulam Canonicis, excerptam de diuerſis Pa-
trum ſcripturis, decreuitque eam obſervandam à Canonicis, ut ſicut Monachi
reſpiciunt ad librum Regule ſancti Benedicthi, ſic perlegant Canonici inter ſe li-
brum Clericorum; quem librum Amalarius diaconus ab Imperatore juſſus col-
legit ex diuerſis Doctōrum ſentiſſis. Dedit ei Imperator copiam librorum de
Palatio ſuo, ut ex ipſis ea, qua viderentur congrua, excerptet. Et ita cum
Decretis Epiſcoporum, qui ibi fuerunt, vita Clericorum roborata eſt. Ad-
dit Pagius, Regulam Canonicorum deſumptam ac conſtatam fuiſſe è Scriptis
Sanctorum Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, Iſidori. Quibus Patribus abs-
que piaculo adjungi potuiſſet S. Benedicthi, quippe è cujus Regula articulos
quosdam (ac aliquando etiam verba ipſa) Regulæ Aquisgranenſis fuiſſe inter-
tos ii facile deprehendent, qui S. Benedicthi Regulam memorie commendā-
runt. Rurſus alia capita Aquisgranenſis Regulæ deprompta ſunt ex Concilio
Nicæno, Ancyrano &c. Item ex Decretis Leonis Magni, & Gelafii Romano-
rum Pontificum &c. Canonicis in eo Concilio bonorum proprietates non ſo-
lùm permiſſa ſunt, ſed etiam ſacris Canonibus nunquam fuiſſe prohibi-
tam aſſeritur. Eodem ſerè tempore Monachi omnes ad Regulam S. Benedicthi
obſervandam, & qui valuerint, etiam memoriter diſcendam, fuere remiſſi;
fuitque alter S. Benedicthi, Anianæ Abbas, cum aliis probatiſſimis Monachis,
à Ludovico & Conuentu Aquisgranenſis conſtitutus, qui per omnia Monasteria
Monachorum eunte, redeunteque, uniformem traderent cunctis Monaste-
riis, tam viris quam Sanctimonialibus ſeminis, vivendi ſecundum Regulam
Sancti Benedicthi incommutabiliter morem.*

Arnonem Salisburgenſem Archiepiſcopum in eo Concilio non comparuiſ-
ſe, diſcimus ex literis Ludovici Imperatoris, ad eundem unà cum exemplari-
bus Regulæ Canonicorum miſſis. Eam Imperatoris Epiſtolam exhibet Aubertus
Miræus in Codice Donationum piarum: ad quem Lectorem remittimus.

Eodem anno 817. Ludovicus Imperator Lotharium noſtrum, Bojarie ha-
thenſis Principem, in conſortium Imperii admifit: Bojis verò Ludovicum fi-
lium præfecit, utræque Bojariæ cis- & trans Danubianæ ei commiſſa, qui ſe
etiam Regem ſcripſit.

Anno Chriſti 821. obiit Arno, primus Salisburgenſium Archiepiſcopus,
ſuccedente Ammilonio Monasterii S. Petri Abbate: qui, ut legimus in Salis-
burgenſi Hiſtoria, cùm ſacrum Regimen non ultra dimidium annum produ-
xiſſet, ſucceſſorem habuit tum in Archiepiſcopatu, tum in Abbatia S. Petri
Adalramum, Eccleſiæ Salisburgenſis Archidiaconum, qui primùm anno Chri-
ſti 824. Pallium obtinuit: quo eodem anno Paſchalis I. Pont. Max. è vita mi-
gravit, ac Petri Sedem Eugenio II. reliquit.

Nos iterea hoc eodem anno Sæculum primum Friſingenſis Eccleſiæ, tan-
tis fortunatarum incrementis ſub præſtantiſſimis Epiſcopis auctæ, claudimus, &
reliqua Hittonis noſtri Acta in proximos ſecundi Sæculi annos differimus, ſu-
ſpicaturi ſcilicet Librum ſecundum in viro tanto, in quanto primum,
propitio Numine, abſolvimus.



HISTORIÆ
FRISINGENSIS
SÆCULUM SECUNDUM,
Ab anno Christi 824.
usque ad annum 924.

Sty

LIBER SECUNDUS
De Episcopis, & Rebus Frisingensibus
secundi Sæculi.

CAPUT PRIMUM.

Acta Hittonis Episcopi residua
ab anno 825. usque ad annum obitûs
scil. 836.

§. I.

*Hittonis Episcopi pietas erga pauperes : ejusque & a-
liorum liberalitas erga familiam Cathedralis
Ecclesiæ.*

IN tribus Traditionum Frisingensium Codicibus, nempe primo seu *Antiquo*: in quarto, sive *Magno*, ac sexto, seu *Rubro* reperitur donatio atque ordinatio quedam memorabilis, in commodum pauperum primùm, deinde ad Frisingensis Cathedralis familiæ utilitatem ab Hittone Episcopo facta, quam in Parte nostra altera per extensum dabimus; nunc verò in gratiam Lectorum illorum, qui malunt legere ea, quæ stilo sæculi nostri scribuntur quàm quæ antiquam obscuritatem redolent, nostris, quantum opus esse videbitur, verbis proferemus.

Consideraverat sapientissimus atque religiosissimus Hitto Antistes, vix aliud æquè in factis Evangelii paginis inculcari iis, quibus sincera suæ salutis, ac vitæ æternæ cura cordi esset, quàm ut Christum in suis pauperibus sibi misericordem judicem conciliarent. Occurrebat etiam Divinæ bonitatis ac pietatis magnitudo, quæ, quidquid pauperibus erogaretur, veluti sibi exhibitum clementissimè agnosceret, ac retributione æterna coronaret. Et cum cuivis Christiano homini maximè vigilandum esse intelligeret, ne maximum atque uni-

cum salutis suæ negotium protelaret, idcirco tempore utendum ratus, in usus pauperum, in quibus Christus cibari, potari, vestiri atque aliis quibusvis modis amari vellet, sequentia constituit, antequam anno Christi 825. (hujus sæculi Frisingensis primo) iter Aquisgranense ingrederetur.

Hito comparat aliqua prædia.

Quorum fructus assignat pauperibus.

Ac postea Cathedrali Ecclesie.

Nov. 480.

Aquisgranum iter instituit.


Nov. 451.

Donaco Wagonis.

ibid.

Comparaverat Hito ab Adalmano, nescio cujus Monasterii Abbate, complura ad Azzilingam, Anzingam, & Holz, atque alia in illa Præfecturæ Schwabensis vicinia sita bona, non ut ea profanis usibus, aut, ut ipsemet loquitur, potentibus impenderet, sed ut elemosynis in pauperes dispensari solitis auctarium adjiceret. Horum igitur bonorum fructus, dum ipse proviveret, sibi ipsi Hito reservavit, in usus pauperum distribuendos, ea lege sibi ipsi imposta, ne quid cuiquam de iis sive prædiis, sive agris aliis venderet, sed potius fructus sedula eorum cura augeter. Cæterum ut Hito etiam post mortem in pauperes munificus maneret, constituit, ut post obitum suum nepos ipsius, Erchanbertus nomine, bona illa providè administraret, fructusque in pauperum usus converteret, ita tamen, ut ex ipsis fructibus certam aliquam frumenti portionem Domui, nempe Cathedrali Ecclesie S. Mariæ Frisingæ in censum annum ad Missam S. Martini, ab elemosyna pauperi, sed ignoto Christo exhibita clarissimi, penderet, idque tamdiu, donec etiam ipse nepos Erchanbertus ex hac vita excederet. Porro secuta posthac etiam Erchanberti morte ea bona omnia, nempe mancipia, terræ cultæ & incultæ, pascua, prata, sylvæ, aquæ, pecora, pecuniæ, horti, ædificia & reliqua supellex Episcopo successori, ac Domui S. Mariæ fuere adjecta, adempta tamen eidem successori potestate bona illa distrahendi, aut in feudum cuiusunque Laicorum concedendi, ita ut fructus illi ab Episcopo perpetuo adhiberentur necessitatibus Monachorum Frisingensium, qui pro anima Hittonis Deum exorare studerent; atque ita illius memoria diu in Domo S. Mariæ, & Sancti Benedicti Confessoris conservaretur. Id constitutum fuit in ipsa Cathedrali Basilica coram multis testibus pridie Kal. Maji, anno Christi, ut diximus, 825. Donationis hujus instrumentum conscripsit Cozrohus noster sæpè hætenus laudatus, atque infra etiam distinctè laudandus. Exprimi jussit in eodem Instrumento Hito, eam donationem contigisse ipsa die, qua iter Aquisgranum ipse inierit. Sanè quid Hittonem permoverit, ut ultimo die Mensis Aprilis Aquisgranum iter institueret, nobis hætenus non constat: neque existimare possumus, Hittonem nostrum multo tempore Aquisgrani fuisse commoratum: multò minùs nobis persuademus, eum interfuisse tumultuario Conventui Parisiensi, eodem anno Kal. Nov. coacto, ubi Episcopi quidam de cultu imaginum malè sentiebant. Is enim Conventus potius ad vicinos Gallie, quam ad remotos Germaniæ Episcopos videretur pertinuisse.

Cæterum ea ipsa die, qua Hito pauperes primùm, ac postea Monachos Frisingensis Familiæ bonorum recensitorum hæredes nominavit, etiam Wago Capellanus universam suam hæreditatem consignavit iisdem Monachis, qui, ut Wago ipse bis in Instrumento testatur, *Regulam S. Benedicti in Domo, seu Cathedrali Ecclesia profitebantur.* Insuper eadem ejusdem diei horâ Rihbartus quidam Presbyter aliam eidem sacræ familiæ Frisingensium donationem in Heimolfingen, & Helphindorff fecit. Ad eò sedula pauperum cura, atque ardens divini cultus Zelus apud Majores nostros vigeant.



§. II.

Reliquæ dotationes Ecclesiæ Frisingensis usque ad
Hittonis obitum.

Eodem, quo diximus anno, Christi 825. Frisingensi Ecclesiæ ad Divini cultus augmentum ex sancta fidelium pietate accessere varia prædia & mancipia in *Perg & Pohe, Feochte, Pulinhufun, & Pinuzdorf, Wittvare, Purerein, Lauppach, Poach & Wininga, Pezinbach, Clana & Moching*. Ubi observo, in donatione de *Pulinhufun*, seu Putebaufen, Mainburgensis territorii pago, hanc nostram Bojariam vocari *Noricanam provinciam*, quod tamen vocabulum in paucis ejus ævi literis occurrit: quamquam postea alibi etiamnum sæculò undecimò legatur. Illud quoque apud eruditos observatione non indignum censetur, quòd in eodem Instrumento Walprancus, & uxor ejus Ata dicantur hæreditate, suam in *Pulinhufun* & aliis locis tradidisse cum cespite: quod utique signum eras domini fundi in Ecclesiâ R. Mariæ Virginis translati. Simile quidpiam occurrit in donatione de *Hrodolfeshufun* seu Ruedelzbaufen Mosputgensis Præfecturæ, facta eidem Cathedrali Ecclesiæ, ubi Heriolt Presbyter *adsumpsit parentes & propinquos proprios. Tulit Cespites de his duobus locis virides: similiter frutecla virida ad plantanda in claustra Virginis Maria, & veniens ad Domnum Histonem Episcopum die Assumptionis Sancta Maria, ibique coram cuncto Clero atque populo ad hanc solemnitatem congregato, accessit ad Altare S. Mariae, & desuper posuit cespites & frutecla ad memoria sempiterna; quas tulerunt Oadpald Presbyter, & Otolf Monachus, & plantaverunt eas in claustra, ut diximus, beatissima Virginis Maria.* Ubi meritò iterum monemus Lectorem, solum equidem Otolfum in hoc Instrumento vocari Monachum, nos tamen etiam Oadpaldum, cui solus Presbyteri titulus adjectus est; & tamen etiam Oadpaldum fuisse Monachum certissimum habemus ex multis aliis Donationum Instrumentis, quale est, quod altera N. 323. 324. & alibi veluti insipientibus patebit. Sed hæc incidenter dicta sunt.

487. 488. 489.
487. 488. 489.
488. 489. 490.
491.

Ritus tradendi dominium fundi per cespitem.

Num. 431.

492
Per ramum arboris.

487.

493-494. 495.
496. 497. 498.
499. 500. 501.

Monialium Frisingæ.

A prædictis donationum ritibus non multum abludivit donatio hoc eodem anno 825. facta Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis in Zolling à quodam dicto Wolfhario, qui bona quædam sua hæreditaria ad Haag eidem Ecclesiæ tradidit, & quidem, ut in literis habetur, *absciso propria arboris ramo, & in manus Wagonis* (ab Hittone Episcopo delegati) *tradito.*

Cæterum in Donatione quadam Wicvari rursus occurrit mentio Istanensis Monasterii, & ea, quam sæpius jam insinuavimus, nostra de Monasterio Istanæ erecto assertio egregie comprobatur.

Sequenti anno, Christi 826. res familiaris Ecclesiæ Frisingensis ex nova fidelium liberalitate aucta est bonis quibusdam in *Ismaninga, ad Rihharseshufun, in Schvrveinbach, ad Jehdorf, Chamaron & Pezinhufun, in Mochinga, ad Neritinga, & rursus Mochinga, & Tellinhufun*. In quibus donationibus rursus meritò animadvertenda reperiuntur sequentia. Primò occurrunt septem omninò instrumenta, in quibus disertè habetur, Ludovicum Regem, Imperatoris Ludovici Pii filium hoc anno, Christi 826. venisse in Bojariam. Unde necessariò consequitur falli eos, qui alium annum adventui Ludovici Bavarie Regis assignant. In donatione de Schweinbach iterum Frisingæ occurrit *Sanctimonialis femina nomine Engilmot*. Ex quo rursus apparet, eo tempore etiam Monialium quoddam contubernium Frisingæ existisse. Et quoniam in ea ipsa donatione fit mentio Erchanberti Presbyteri, prædictæ Monialis Nepotis, qui præter bona sua etiam *seipsum dedit in manus Hittonis Episco-*

Episcopi, idcirco suò locò inquirendum erit, an non fortassis hic ipse Etchabertus posthac fuerit Hittonis in Episcopali Sede successor?

litium quid?

In donatione Mochingana Curnperthus tradidit unum *Lizzum*, id est, partem aliquam prati, quæ ei ex sortitione obvenerat. Nostri hodie *Liß* & cultius *Loß* vocant. Ubi ulterius curiosus iocundum erit legere, quòd ipsa statim donationis die Hitto Episcopus foenifecus ibi adhibuerit, atque foenum colligi iusserit.

Post Engen.
11. febr. Va-
lentionis PP.

Anno Christi 817. quo Eugenio II. Romano Pontifici successit Valentinus Romanus, Judice P. Gregorio Kolb Divi Benedicti quondam Alumnus religiosissimus, Frisingensis Ecclesia iterum ex priorum largitionibus accepit bona quædam ad *Postilmbach*, *Alhmunzingen*, ad *Isanperchtendorf*, in *Heriperchtshufun*, ad *Percheim*, ad *Domeginbach*, in *Pajmbach*, ad *Perchofe*, ad *Adalhareshufun*, & in *Pinuzolzingendorf*.

N. 509. 503.
504. 505. 506.
507. 508. 509.
510. 511.

Ex duobus supra recenſitarum donationum Instrumentis habemus, hoc anno ab Hittone Episcopo Synodum fuisse celebratam in Ehing, hujus Dioceseos Parœcia. Ceterum notabilis admodum est donatio de *Adalhareshufun*, hodie *Alershausen*, quæ erat multiplex, pluribus viris nobilibus quædam sua bona Ecclesiæ Frisingensi ibi addicentibus: illòdque observari meretur, quòd Rubonem Archipresbyterum ab Hittone Episcopo ad capeſſendam possessionem missum, Pilgrimus, ex donationibus præcipuus, *per funiculum signi Ecclesia legitime vestrie*, uti literæ loquuntur. Ex illo ipso donationis Instrumento intelligimus, hoc anno Hittonem Episcopum nostrum, & Baturicum Episcopum Ratisbonensem Frisingæ convenisse, ac ibidem *pro edificatione multorum divina eloquia meditato* fuisse, id est (ut interpretamur) de cura animarum pastoralis rectè gerenda, seria consilia agitasse.

Alius modus
tradendi do-
minium.

Valentino
succedit Gre-
gorius IV. PP.
P. ad. 17. febr.
in Balne. Tact. 4.

Eodem adhuc anno Valentino summo Pontifici post non adeò multos sacri Regiminis dies successisse Gregorium, eo nomiae Quartum, tursus è Divi Benedicti familia assumptum, scribit post alios sæpe laudatus Pater Gregorius Kolb in *sua Serie Romanorum Pontificum*.

Lud. Imperator
4. conven-
tus Episcoporum
conven-
t.

Proximo anno, Christi 818. cum Gallia magnis calamitatibus affigeretur, ad placandam Numinis iram convocati fuere à Ludovico Imperatore quatuor conventus Archiepiscoporum atque Episcoporum ad extirpanda, quæ malorum causæ erant, vitia. Itaque postero anno Moguntia, Parisiis, Lugduni atque Tolose convenere sacrorum Gallia atque Franciæ Antistites. In nullo horum reperiri Salisburgensem Archiepiscopum, Antonius Pagius in Critica sua memorat: fortè quòd mala illa ad Galliam potissimum pertinerent: aut quia Salisburgensis Archiepiscopus longiùs distabat. Atque ea ipsa de causa etiam Hittonem nostrum non comparuisse, certum esse videtur. Illum eo tempore domi strenuè curasse causas Ecclesiæ suæ, modò ulterius ostendemus.

517. 513. 514.
515. 516. 517.
518. 519. 520.
521. 522. 523.
524. 525. 526.
527. 528. 529.
530. 531.

Donabantur hoc anno, & partim confirmabantur Frisingensi Ecclesiæ bona ad *Rihbareshufun*, in *Cheampere*, ad *Hohinrein* & *Wihse*, in *Poach*, prope *Ambram*, in *Scheſtilare*, & *Marzilnga*, ad *Domagindorf*, ad *Heriperchtshufun*, de *Hiruzbach*, ad *Maximurine* & *Hegelingas*, in *Hegilinhufun*, in *Reod*, ad *Domegindorf*, ad *Pheterach*, ad *Marzilnga*, *Sentilnga*, ad *Tegarnvach*, *Crazun*, *Alling*, & *Klana*; in quibus tamen donationibus nil singulare occurrit, nisi quòd hoc ipso anno in pluribus Instrumentis fructum Ludovici Regis cum Coniuge in Bojariam reditu. Sanè è qua provincia redierit Ludovicus, discutere, non est hujus loci.

533.
Donatio facta
Monasterio
laiceo.

Eodem anno Monasterium Sancti Candidi Martyris Inticense, sive in Inching insigniter dotatum fuit à Quartino quodam, qui eidem Ecclesiæ in pluribus locis hodierni Comitatus Tyrolensis varia bona adjecit, puta in *Wppitina in Castello*, & in aliis villulis ibidem adjacentibus ad *Stilves*, *Torrentes*, *Valonza*, *Zedes*, *Teltes*, *Teines*, *Telwares*: ad *Bauzana*, in vico *Succano*

cum vineis & silvis, cum pratis & agris, & ad Taurane suum proprium, seu ad Stavanes coloniam unam. Acceptavit hanc donationem coram inultis testibus Hitto Episcopo nostro, qui in Instrumento vocatur *Matricularius sanctae Sedis Frisingensis, & Rector Monasterii sancti Candidi Martyris Christi.* Ubi advertimus, Hittoni titulum Matricularii (cujus vocabuli varia est significatio, uti apud Hofmannum in Lexico universalis videri potest) in nullo alio significatu commodius tribui, quam quoddam vel aliorum vitæ moribusque invigilaret, vel etiam pauperum; in *Matricula Frisingensi* descriptorum curam ipsemet sibi reservasset. Dum verò insuper appellatur Rector Monasterii S. Candidi, evidens est, Monasterium Inticense eo adhuc tempore Episcopatus Frisingensi fuisse subiectum, quod idem ex acceptatione præsentis donationis manet manifestum. Cæterum Hitto Episcopus ut *Quartino* illi, ac *Matri* ejus *Clauzæ* vicem rependeret, provenus quosdam ex vico *Duplago* (quo nomine unice intelligitur hodiernum *Doblach*, vicinum *Inticæ*) ad utriusque vitæ dies assignavit. *Quartinus* postea cum *Matre* sua eandem donationem bis confirmavit tum legitimè instituendo *Ellanbertum* Hittonis Episcopi advocatum: tum etiam post obitum *Matri*, renovando eandem donationem coram *Arpeone* seu *Aribone* Episcopo absque dubio *Sabionensi*, seu, ut hodie vocamus, *Brixinensi*, nam eo tempore nullibi alium reperimus Episcopum *Aribonem*, nisi in Catalogo Episcoporum *Brixinensium* apud *Hundium*: ubi ramen additur, *Brixinæ* præter nudum nomen de hoc Episcopo superesse nihil. Est certè vicinior *Inticensibus* Episcopus non erat, quàm *Sabionensis* ille, uti notant, qui locorum illorum noticiam habent. *Intica* ipsa hoc tempore *Brixinensis* Episcopi sacre Jurisdictioni subest.

Hoc eodem anno *Mejo* quidam Presbyter servum quendam, atque ancillam (propriis homines appellant) unà cum quibusdam aliis bonis ad *Pere* 10. Kal. Augusti coram *Hirone* Episcopo nostro aliisque relictibus donavit *Monasterio* S. *Dionysii* in *Schefflarin*: cui jam antebac nempe 8. Kal. Febr. ejusdem anni *Ibho* Presbyter coram eodem Episcopo *Hitone* insignem donationem fecerat in *Puoch*. 113-
Alia Schefflaricinia.

Cæterum *Hitto* eodem anno bona propriæ Ecclesiæ suæ tum *Frisingæ*, tum etiam in *Laupach* strenue defendit, uti instrumenta produunt, ubi posterius *de Laupach* (hodie, ut videtur, *Lapach*, *Dachaviensis*, aut *Haagensis* Territorii) iterum occurrit sanctorumialis quædam forma nomine *Ellanpurc*, quæ bona illa Ecclesiæ *Frisingensis* Beatæ *Virginis* antehac donaverat. Unde rursus novum argumentum habemus, olim *Frisingæ* etiam sacrum *Parthenonem* existisse. 114-
116.

Annis proximè sequentibus eidem Ecclesiæ *Frisingensi* tum adjecta, tum confirmata fuere varia bona in *Ainhofen*, *Cundinethofen*, & *Cundacharesdorf*: item in *Otolfsperc*, *Wintharistetti*, *Marzilinga*, *Niuuara*, *Zornkeltinga*, ad *Elingas*, in *Kermunteshusir*, *Guginhusir*, *Kysinhusun*, in *Perc*, in *Malshhindorf*, *Pheterach*, in *Tansteten*, ad *Holte*, ad *Calcunpergun*, *Kysalpach*, *Peraloch*, *Wilpach*, ad *Pullinhusun*, *Riute*, *Hramespach*, *Puppiningas*, ad *Alphun*, de *Fulsa*, ad *Glana*, & *Mammindorf*. Quarum omnium donationum Instrumenta & annos *Cozrobus* noster in suo illo antiquissimo Traditionum Codice exactè conscripsit. 117-121. 122.
123-124. 125.
126. 127. 128.
129. 130. 131.
132. 133. 134.
135. 136. 137.
138. 139. 140.
141. 142. 143.

Incertorum verò annorum Donationes numerantur sequentes, nempe ad *Huniplan*, *Tullininga*, *Frisinga*, *Chammaron*, *Eodunzendorf*, *Ollinga*, *Steinhard*, *Pergun*, *Cozultashusun*, *Fogetvelda*, *Anthareskusir*, de *Glana*, iterum *Glana*, ad *Semitum*, *Incuniose*, *Pheterach*, *Hiruzbach*, *Asfrideshusun*, *Slekilesbach*: iterum *Slekilesbach*, *Pasinbach* &c. Sanè quæ in his donationibus annotari merentur, ad paucula capita redigimus. 144. 145. 146.
147. 148. 149.
150. 151. 152.
153. 154. 155.
156. 157. 158.
159. 160. 161.
162.

Observatio-
nes ex instru-
mentis ad-
ductis.
Zelus Histo-
riæ Episcopi.

Observamus itaque rursus primò in enumeratis hætenus donationum char-
tis, Hittonem Episcopum prædicationi verbi Dei, instructioni populi, atque
incremento Ecclesiæ suæ se totum impendisse, Synodos sædulò convocasse, Ec-
clesias multas consecrassè atque protexisse, pauperùmque maximam curam ha-
buissè: omnibus verò omnia factum fuisse.

Deccanum
alii Monachi.

Observamus secundò, saltem aliquos eorum, qui Frisingensi Ecclesiæ se
suâque omnia tradidissè memorantur, fuisse Monachos, tametsi id in literis
non exprimitur. Si enim *se, suâque omnia* Ecclesiæ Beatæ Virginis (in qua
Monachi S. Benedicti debebant) tradiderunt, quid nisi eorum vitæ participes
velle se esse demonstrarunt? nec obstat, quòd eorum plerique videantur sibi
in eventus futuros reservassè aliquam facultatem disponendi de rebus ejusmodi
Ecclesiæ traditis. Nam dispositionem aliquam super hæreditariis, vel etiam
industrialibus bonis cum Abbatis seu Episcopi venia fuisse aliquando Monachis
permissam, non est cur dubitemus: & si vel res postularèt, vel locus hic per-
mitteret, exemplà etiam nostri temporis possemus in medium adducere. Ver-
ùm bis immorari non vacat. Alios verò eorum, qui bona sua tradidissè Ec-
clesiæ Beatæ Virginis dicuntur, non fuisse Monachos, certum est, & credo
fuisse eos adhibitionem ad provisionem tot Ecclesiarum Parochialium Frisingensibus
Episcopis concessarum, uti ex diligenti lectione advertet Lector: qui eti-
am, si attentus esse voluerit, intelliget, in choro Cathedralis Ecclesiæ hæte-
nus per nullum instrumentum reperiri alios, quàm Monachos.

Alii non Mo-
nachi.

In iisdem donationibus passim occurrunt aliqua Abbatum nomina, abs-
que mentione tamen Monasteriorum, quibus præfuerint. De iis divinare no-
bis non vacat. In ea tamen opinione, quòd olim Frisingæ Moniales convixe-
rint iterum confirmamur, dum de nova sanctimoniali Orbilita in primo Tra-
ditionum libro legimus, quòd propriam quandam Ancillam suam Ecclesiæ Fri-
singensi anno Christi 830. donaverit.

Fol. 141. b.
N. 115.

§. III.

Acta Principum Bojariæ illius temporis.

Bojariz Do-
ces & Reges.

POST Carolum Magnum ejusque filium Pipinum (uti quidam existimant)
& hujus filium Betnardum, Ludovicus Pius primùm: postea hujus filius
Lotharius Bojariam regendam suscepit. Post Lotharium frater ejus Lu-
dovicus à Patre Bojariz Rex datus est, in quam hic Ludovicus, eo nomine inter Bo-
jariz Principes Primus, venit anno Christi 826. ut supra ex instrumentis omninò
septem, eo ipso anno exaratis, perspeximus. Is Reginoburgi cum Hemma
uxore sua Regiam collocavit, paulò post à Bulgaris multùm exagitarus. Inter-
ea Parens Ludovici nostri Ludovicus Imperator, qui ex nova conjuge Judicha,
Welfi Comitissæ filia, Carolum filiolum, successu temporis *Calvum* dictum,
susceperat, totus in eo erat, ut hunc ocellum suum coleret, atque pro affectu
singulari exornaret. Ast quò minus id executioni dare posset, obstitit coeca li-
beralitas, qua tribus filiis, ex conjuge priore sibi natis, jam antehac regna,
provinciâsque omnes diviserat, Lothario natu majore in consortium Imperii
assumptò: Pippino Aquitaniâ, Ludovico nostro Bojariâ commissa, ut adeò
nihil superesset, quo Imperator Carolum filiolum de suo ornare posset. Ea res
vix non in ultimum exitum præcipitavit Ludovicum Imperatorem, cùm tres
illi natu Majores filii commissarum sibi provinciarum ac coronarum æquè
essent tenaces, ac Pater cuperet fratrem eorum Carolum sibi dignitate ac for-
tunis reddere æqualem. Et precibus quidem primùm apud filios egit Pater,
ut de suo quisque aliquid Carolo fratri cederet: contra verò illi inita conspira-
tione Patrem non modò armis insectati sunt, sed eum, oblata pace quasi ad se

Fol. N. 140.

Fili conspi-
rant in pa-
trem Lu-
dovicum Imp.

acce-

accidentem, comprehenderunt, & indignissimè ab Episcopis malè gesti Imperii damnatum exautorarunt anno Christi 833. unci oempe criminis reum, quòd Pater esset, uti beoè nonnemo advertit. Nihil tum profecerat Gregorius Papæ autoritas, qui ad pacem inter Patrem & filios conciliaodum accurerat: cujus Pontificis votis tum adhæsissè Hittonem nostrum suspicari pronum est, cùm is eidem Pontifici videatur fuisse perquam acceptus, quippe à quo anno sequenti præcipuas quasdam Sanctorum Reliquias dono accepissè fertur, & aliàs nactus fuerat Regem Bojariz Ludovicum, cæteris duobus fratribus iò Patrem Imperatorem mitiùs savientem. Certè Ludovicus Imperator eodem anno Christi 834. à proceribus Imperii, ac maximè Germanorum ope ac operâ, in solium restitutus est: qui quidem regnare noluit, antequam etiam ab Episcopis iò Synodo ad Theodonis villam, Metensis Diocesis congregata anno Christi 835. restitueretur, pace deinceps inter Patrem & filios utrunque recuperata.

Quod concernit res Ecclesiasticas eo tempore gestas, de Valentino Eugeni, ac de Gregorio IV. Valentini Successore jamjam mentionem ingessimus. Anno Christi 830. de ordinandis Divinis officiis, & Antiphonario aliisque ritibus Ecclesiasticis actum est inter Pontificem & Imperatorem: ubi advertit Baronius, Viros ejus temporis disertissimos, & apud Imperatorem primarios non solum theoreticam calluisse rerum Ecclesiasticarum, sed etiam practicam exercuisse, cancionumque Ecclesiasticarum suis rythmis publice in Ecclesia modulari solitos, ita Baronius, qui optavit, ut etiam suo tempore ejusmodi cantores in Ecclesiis audirentur.

Anno Christi 835. teste eodem Baronio, Gregorius noster IV. Summus Pontifex Festam omnium sanctorum lucem, Romæ hætenùs tantùm celebratam, deinceps ubique terrarum celebrandam instituit, *occurrrens hac in parte* (ut subjungit P. Gregorius Kolb S. J.) *Theophilo Orientis Imperatori, qui sublato Patre Michaelè Balbo plùs omnibus tyrannis prioribus servis in Divorum imagines: & harum cultores: quibus tamen superi non absque miraculo adstiterunt. Lazarus enim, pictor peritissimus, licet manibus à Theophilo adustus & mutilatus, pingere perrexit Divorum icones plurimas, penicillam dirigente digito Dei; ita ille.*

§. IV.

Hittonis aliæ Laudes ac Pia mors.

Quantum Hittoni debeat Frisingensis Ecclesia, ex eo ulterius apparet, quòd illi præter Divini cultus augmentum, sacrorum librorum multiplicatam suppellectilem, Divini officii, sacrique cantùs in Ecclesia Cathedrali meliorem ordinationem, ac ædificiorum novum splendorem, unicè in acceptis referendus sit toties laudatus *Liber Traditionem antiquus*, nobis dictus *primus*, sine quo non solum vix aliquid de Erimberto: nihil de Josepho, vix item aliquid de Aribone, Attooe, ipsòque Hitrone sciremus: sed fortè etiam de ejus successore venerabili Erchanberto Episcopo pauca innotuissent posteris, nisi Hittonis consilio coëptus fuisset codex ille verè aureus, quem postea Erchanbertus continuari iussit. Uterque hic Episcopus usus est eam in rem operâ ac manu Cozrohi Monachi Frisingensis, postea Diaconi, ac demùm Presbyteri, & multis annis præcipui utriusque sacri Antistitis Notarii, uti ex quàmpurimis Donationum instrumentis palàm fit. Existimamus, non posse rem eam meliùs explicari ad palatum & solatium eorum, qui stoceram antiquitatem atque eruditionem venerantur, quàm ipsius Cozrohi verbis, ex autographo desumptis, quod de Hitrone in ejus Operis præfatione sic habet.

DUm divina Providentia Domino favente Hitto Episcopus Domini dispensatione in Cathedram Episcopalem Frisingensi sedes honorifice provectus esse comprobatur, omnia instrumenta divinarum scripturarum novi & veteris testamenti in melius reparari non desistit, & quicquid decessisse sacrorum voluminum reperit, sudanti labore sterculos de pratis amplis decerpens, quasi avidè fontem vita aeterna sitiens, doctrinae fluentia omni conamine adregari studuit, ut omnes Christiani populi ad se pertinentes, quos exemplo sanctitatis vita sua inspectionis laetissimis refocilaret dapibus, quasi de rivo fonte sacrarum scripturarum dulcia mella fluens doctrina lucidissimis ac saluberrimis satiare potibus, pariterque cantilenis & omnium divinarum documentorum officii sua rigore disciplina ipsam Domum sancta Maria, cui praesse dinoscitur, quasi mirifici odoris suavitate adimplevit, miraeque pulchritudinis opere pretiosarum metallorum, & aliorum adificiorum, adificationum decoratibus in omnibus honorifice adornavit, tandem enim divina inspiratione tam altivolo animo inhaesit, ut in perpetuum permaneret eorum memoria qui hanc domum suis rebus ditaverunt & haereditaverunt *. seu quicquid pro remedio animarum suarum ad ipsam domum tradiderunt, & condonaverunt, maxime quia reperit scriptura * testimoniorum & confirmationum, qua jam olim fidelium devotione summitter fuerunt peracta, alia oblivioni tradita, alia invidiorum insidiis direpta, seu etiam per educationem perditam, nec non per incuriam custodum abjecta, & ob hoc maximum errorem & laborem oriri videbat; & sicut casus sunt humanae fragilitatis, quia multis modis Ecclesia Christi impugnatur, non solum ab alienigenis, sed etiam a falsis fratribus; Multi sunt enim, qui hoc abstractere nituntur, quod certa promulgatione jure potestatis ad hoc pertinere norunt, quod ipse semper animo voluebat, seu multis laboribus verum esse comprobavit; Idcirco * diversos labores evitandos & falsidicorum ora recludenda quicquid singulis cartulis exaratum certisque testimoniis confirmatum invenit, uno volumine rationabiliter includere studuit tam antecessorum Patrum temporibus, quam etiam sui famosi Regiminis, ut eo facilius se legentium optutibus panderent, quo etiam rationabiliter ordinantur. Hoc tamen opus non vix sed laudabile cui commississet, inquisivit, invenitque tamen suum vilissimum servulum, sed tamen sui fidelissimum Nominis Cozrob, quem tamen ipse suis sacris disciplinis edocuit, & ad presbiterii dignitatem propevit, imponensque ei pondus tanti laboris sollicitè ac omni circumspectione hoc opus peragere eo modo firmiter precipiens nihil minui vel adici, nisi scribeoris vitio aliquid depravatum reperisset, ipseque sua imperitia conscius quasi timide renitens, sed mallens tam almi obedire praeceptis quam tanta pondus refugere sollicitudinis, domino adjuvante hoc opus exorsus est.

Hæc Cozrob; è quibus eruditi omnes facillè intelligent, Hittonem nostrum conservandorum Ecclesiae suae documentorum, aliorumque sacrorum Codicum tum conquirendorum tum corrigendorum fuisse studiosissimum: id quod singulariter testatur *Chronica quinta Frisingensis*, ubi Hitto dicitur collegisse multos Sacros Codices, & oenasse Bibliothecam; quam scilicet Scriptor illius Chronici intelligit sub Germanico sui temporis vocabulo *Die Liberey*; quæ vox à verbo *liber* ducta, nostra ætate apud rudiores longè alium sensum parit.

Ad Hittonis Laudes præcipuè pertinet illud, quod nonnemo Monachorum Weihenstephanensium, sæculi sive undecimi, sive ad summum duodecimi Scriptor, ad IV. Idus Decembris Martyrologio venerabilis Bedæ adjecit his verbis. *Hitto Frisingensis Episcopus, qui in isto loco (nempe monte Weihenstephanensi) primus initiatus Dei servitium cum uno Præposito & sex præbendaris; qui & S. Alexandrum, & S. Justinum de Roma huc attulit. Lego in alio Weihenstephanensi Codice, eam collegii illius foundationem contigisse anno Christi 830. sic enim habent vetusti versus:*

* Inedite, hancdem inscriptionem, Leg. Arque. etc.

* Supple. ad cō.

Hitto fundat Collegium Sacerdotum in Monte S. Stephani.

*Centum sunt octies triginta scilicet anni,
Christi Verbigena regnavit in omnia secla,
Supplex Hitionis devotio Praeulis olim
Frisinga, fundat statuens hic Praeposituram.*

Translationem verò corporum sanctorum Alexandri Papæ & Martyris, & S. Iustini Presbyteri referri videmus ad annum Christi 834. quoniam Hittonem Romanam venisse, & à Gregorio IV. PP. benignè exceptum, ac sacris illis, aliisque reliquiis in Festo Pentecostes donatum fuisse scribunt.

Sacræ illæ Divarum Alexandri & Iustini Exuvie deinceps fuisse translatae in Ecclesiam Cathedralē, ipsique sancti inter Patronos hujus Diocœsis præcipuos hodiè que locum habent, atque annuū uterque officinū etiamnum colitur. Incertum tamen est, sub quo Episcopo ea posterior translatae acciderit. Weihenstephanenses nostros S. Alexandri brachium religiosè olim asservâsse alicubi legimus: quidquid Bartholomæus Piazza, ad diem 3. Maji & 17. Septembris aliter de horum sanctorum reliquiis sentiat.

*Emendatio
Grego. de Roma
Ergo. & Canale.*

*Annus obitus
Hittonis.*

Hittonem Episcopum obiisse 4. Id. Decembris, anno Christi 836. quidam domestici Episcoporum Catalogi volunt, verum quia donatio sub Hitone ultima ponitur Idibus Aprilis anni 835. prima verò donatio sub Erchanberro Successore Episcopi pridie Kal. Augusti ejusdem anni, admitti sanè non potest, Hittonem 4. Idus Decembris in cœlum migrâsse, multò minùs sustineri potest, Hittonem primùm è vivis excessisse anno Christi 836. quod supradicti Catalogi asseverant. Gamsius ex vetustissimo Calendario Missalis Frisingensis narrat, Hittonem factis concessisse 3. Idus Decembris. Sanè Hittonem in crypta Cathedralis Ecclesiæ tumulum accepit, ubi etiamnum ejus ossa requiescunt. Lapidum sepulchrali insculpta visitur Crux: quoniam utique piissimus Pontifex significari voluit, se cum Paulo Apostolo *gloriarī in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem est salus, vita & resurrectio nostra*; verum quid ad hæc Lutheri assecla? Præcipuam sanctitatis laudem habuisse Hittonem tum ex gestis illius, tum ex eo colligitur, quod ejus nomen à Weihenstephanensibus Martyrologio venerabilis Bedæ insertum fuerit manu, ut videtur, sæculi undecimi: id quod non aliis nisi sancta morte defunctis fieri olim consuevit, uti eruditi norunt.

*Fama San-
cti.*

Morte Hittonis ad annum Christi 835. alligata intelligimus, eum ad superiores evolâsse anno ab adita Episcopali dignitate 24. Gregorio IV. summo Pontifice, Rmannum Imperatore Ludovico Pio, Bojarie Rege Ludovico, posthac Germanico dicto; Adalramo Salisburgensi Archiepiscopo & S. Petri Abbate; Reginhario Pataviensem, Barthurico Ratisbonensem, Wifandno, ut videtur, Sabinnensem Ecclesiam moderantibus.

Hittonis Episcopi nomen Frisingensibus in æterna benedictione esse debet, quippe cum nullum alium Episcopum Frisingensem reperiamus, qui summo Divini honoris, atque salutis animarum zelo, nec non aliis Religiosissimæ vite exemplis fidelium mentes ad tot donationes Ecclesiæ suæ exhibendas permoverit, quibus etiamnum feri posteri gaudent, à quibus verè promeritus est Hittonem, quod olim npravit iis verbis, *ut memoria, inquit, mea multis temporibus in Domo sanctæ Mariæ & S. Benedicti Confessoris permaneat.* Manet etiam memoria Hittonis Episcopi apud nostros Salisburgenses S. Petri Ascetas, quippe quorum Majores ejus adhuc viventis nomen manu cœva libro societatum suarum inseruere, ubi etiamnum legitur.

Fig. 6.

Lego in quodam vetusto Codice, qui in inclyto Monasterio Andecensi asservatur, ab Hitone Episcopo Frisingensi non solum corpora SS. Alexandri & Iustini, verum etiam S. Nannonii Confessoris fuisse Frisingam allata. Id, ut credibile esse dicamus, tantò faciliùs movetur, quanto certius nobis constat, hujus sancti Festum jam fuisse annotatum in Frisingensi Liturgia, ante annum

*In Fontibus
Monasterii We-
ihenstephan.*

Christi millesimum scripta & quidem *majusculis rubricatis* literis, ut Gamanus advertit. Certè tria illa sacra corpora in restauratione Cathedralis Ecclesie, ab Alberto I. Episcopo facta, simul fuisse inventa, alibi dicemus.

In. 43. 46.
2. 4. 3.

CAPUT II.

De Venerabili Erchanberto, Septimo Episcopo Frisingensi, & Abbate Campidonensi.

§. I.

Erchanberti Natales, atque Electio.

Florus Erchanberti hujus actus in monumentis Frisingensibus.

L. 2. c. 2. §. 2.

Varios Erchanbertos, seu Erchambertos deprehendimus sub Episcopis Frisingensibus hætenùs laudatis, unum sub Josepho Presbyterum: alterum sub Attone Diaconum: textum sub Hitone Clericum, nepotem Engilsnotæ sanctimonialis, qui anno Christi 826. præter bona sua idèò fortassis distinguendus, quòd nec Presbyteri, nec Diaconi, nec Clerici titulus ei adjiciatur, sed memoretur duntaxat, eum Hittonis Episcopi nepotem fuisse. Hic est ille Erchanbertus cui ipse Hitto certorum proventuum in pauperes erogandorum curam Anno Christi 825. ad vitæ dies commendavit, ut supra vidimus.

Quis ex his factus Episcopus?

Ex Erchambertis hætenùs relatis, unum Hittoni in Frisingensi Cathedra surrogatum fuisse certum nobis videtur, cum, ut suo loco demonstrabimus, omnes Frisingenses Episcopi usque ad Waldonem liberè electi fuerint, & quidem saltem perique è gremio, ut aliàs diximus. Neque fortassis ulla erat ratio, cur post Hittonis obitum aliunde advocaretur Episcopus, cùm credi non possit, è tanto Virorum ab Hitone exquisitissimis disciplinis institutorum numero neminem dignum fuisse, qui Magistro in Cathedra succederet. Neque obest, quod apud Clar. P. Bernardum Pezium in Augiensium nostrorum ad Episcopales Cathedras promotorum Catalogo laudetur Erchanbertus, qui Anno Christi 836. (ut ibi quidem dicitur) factus sit Episcopus Frisingensis. Nam ex his non probatur, Erchanbertum nostrum fuisse professione Augiensis, sed solum evincitur, eum cum Augiensibus habuisse familiaritatem, ac quandam sacram Societatem, qualis nempe ea erat, quam in Dingolsingana Synodo inter Episcopos & Abbates, eorumque collegia institutum fuisse sub Aribone narravimus. Superest, ut disquiramus quisnam è quatuor illis Erchambertis post Hittonis obitum Frisingensem Lituum obtinuerit?

Ann. 7. 1.
par. 3. m. 758.

Erchanbertus Presbyter, quem primò loco sub Josepho Episcopo commemoravimus, Successor Hittonis fieri non potuit, cum id dicere prolixi temporis intercapedo prohibeat; Idem dicendum videtur de altero Erchamberto Diacono, qui sub Attone vixit. Certè is non erat idem cum Erchamberto tertio, qui postea sub Hitone floruit. Erchanbertus enim, qui sub Attone laudatur, jam erat Diaconus: ille verò, Engilsnotæ frater, qui sub Attonis Successore Hitone Frisingensibus se adjunxit, non nisi Clerici nomen tulit. Quod idem majori etiàm jure de Erchamberto Hittonis Episcopi Nepote fortè dici debet, quippe cui nullus omninò Ecclesiastici Ordinis titulus adjicitur, nec, an familiaris Frisingensis membrum fuerit, perhibetur. Ex-

Exclusis itaque duobus prioribus Erchambertis examinandum restat, uter ex cæteris duobus, qui Hittonis Episcopi tempore Frisingæ vixere, Episcopalem Mytram adeptus sit, nempe num Engilsnotæ nepos, an verò nepos Hittonis?

Quidam domestici Frisingensium Episcoporum Catalogi suffragium suum tribuunt Erchamberto Hittonis nepoti. Verùm quò minus Catalogis illis deferamus, facit instrumentum, quod exhibetur in libro traditionum secundo, sive Codice commutationum Frisingensium, ubi sub Erchamberto agitur de quibusdam Hittonis consanguineis, nempe Cotesdiu ejus Sorore, de ejus filia Heilrad, & hujus filio Hitone, qui tamen nullibi vocantur etiam consanguinei ipsius Erchamberti, quales utique dicendi fuissent, si etiam Erchambertus Episcopus Hittonis Episcopi consanguineus ac nepos fuisset, maximè, quia instrumentum illius donationis scriptum fuit non sub Hitone, sed anno Christi 845. sub Erchamberto Episcopo, adeò, ut major fuisset ratio exprimendi aliquam sanguinis necessitudinem cum Erchamberto, quàm cum Hitone. Existimamus itaque Hittoni Episcopo successisse potius Erchambertum Engilsnotæ monialis nepotem, quem tertio loco laudavimus. Verùm de his in tanta rerum obscuritate satis.

Legimus Erchambertum electum Episcopum non solum ab Augiensibus in suam societatem fuisse adscriptum, ut supra monuimus, verùm à Campidonensibus nostris deinceps anno Christi 840. in Abbatem fuisse electum. Certè in tabulario Campidonensi reperitur Præceptum Ludovici Germaniæ Regis, quo is *Monasterio, quod dicitur Campidona, ubi Erchambertus Frisingensis Ecclesia Episcopus præesse videtur*, concessionem quamdam advehendi salis fecit, de quo inferiùs suo loco. Cæterum Campidonenses Erchambertum suum (alibi Adelbertum: item Dietenbertum dictum) asserunt fuisse nobilem de Hopferbach: & consentit Codex MS. inclyti Monasterii Tegernseensis *, in quo inter cætera miscellanea conspicimus Catalogum Abbatum Campidonensium, inter quos quarto loco ponitur *Dietenbertus de Hopferbach*: & Buccelinus noster in suo Abbatum ac Principum Campidonensium Catalogo quarto eisdem loco sic habet: *Adalbertus, alias Eccambertus Moringer ab Hopferbach, idem etiam Episcopus Frisingensis*: cui etiam R. D. Franciscus Petrus Canonicus Regularis in sua *Suevia Ecclesiastica*, adstipulatur. Quòd si igitur Erchambertus noster Frisingensis, & ille Campidonensis reipsa sint persona eadem, certum esse arbitrabimur, Erchambertum nostrum fuisse ex nobili profapia progenitum. Verum de his iterum satis. Ubi nihilominùs monemus Lectorem, Catalogum Abbatum Campidonensium, etiam à mox laudato Franciscò Petro editum, mendis non carere. Nam sub Ludovico Pio ad annum Christi 814. omittitur Theotonus, & ad annum Christi 829. Tatco; rursus in eo Catalogo non comparet Waldo Frisingensis Episcopus, qui anno Christi 889. etiam Campidonensibus præ fuit sub Arnolfo Rege, desiderantur etiam ad annum Christi 930. Irminhardus sub Otrone primo, ad annum 973. Giselfridus sub Otrone tertio, ad annum Christi 993. Roudolfus sub Henrico quarto, ad annum 1062. Otenus. ad annum 1075. Adelbertus, uti vir clarissimus, & in chartariis Campidonensibus dudùm verfatissimus Joannes Petrus Pagen nuperrimè nos edocuit, & complura alia nobiscum benignè communicavit.

Quis Erchambertum nostrum consecraverit Episcopum, nemo hactenus, ut opinamur, prodidit. Credibile tamen est, iis sacris ritibus non ab alio, quàm ab Adalramo Salisburgensi Archiepiscopo & Abbate S. Petri inauguratum & unctum.

Annum Electionis Erchamberti rectè statuimus Christi octingentesimū tricessimū quintum. Cùm enim ex instrumento superiùs allegato certum teneamus, Hittonem superfuisset anno 835. Idibus Aprilis, nec minùs ex alio instru-

fol. 252.
Part. 2.
N. 702.

Opinio nostra.

Fuit Abbas
Campidonens.
fol.
N. 700.

* Cui titulus:
Catalogus
Prætorum &c.
fol. 187. a.
Cern. Sac.
part. 2.

Catalogus
Abbatum
Campidonens.
hactenus
mendosus
emendandus

Quo anno
Erchamb. fuit
ut c. 1. n. 1

stru-

strumento supra laudato constat, Erchanbertum nostrum pridie Kal. Augusti ejusdem anni ad clavum Frisingensis Ecclesie jam sedisse, fieri aliter non potest, quàm ut dicamus, & Hictonis decessum & Erchanberti electionem trimestri illo intermedio evenisse. Dies tamen & mensis electionis nullibi exprimitur. Sanè quantum Ecclesie suæ Frisingensi profuerit Erchanbertus noster, imposterum explicabimus, cum prius Acta illius temporis publica confideraverimus.

§. II.

Pontifices, Imperatores, ac Reges Erchanberti tempore.

EX iis, quæ sub Hicrone Episcopo inter Ludovicum Pium Imperatorem, filiosque ejus gesta fuisse recensuimus, constat, eundem Ludovicum Imperatorem anno Christi 835. habenas Imperii recepisse, pacemque inter Patrem ac filios utrunque coaluisse. Verùm non multò post novæ inter Ludovici Imperatoris filios discordiæ enatæ sunt, novisque malis Patrem implicuerunt. Et Imperator quidem Pippinò filio, quem Aquitanie fuisse à Patre præfectum diximus, mortuò, anno Christi 838. Comitibus Noviomagi celebratis rursus regna inter filios reliquos divisit, ita ut Carolo Aquitania, Ludovico Bojaria, reliquum Imperium Lothario fuerit assignatum. Eam provinciarum partitionem ceu iniquissimam ægerrimè tulit Ludovicus Bojus, quippe cui, quidquid Provinciarum extra Boicam erat, eripiebatur, regno Bojarie plurimum imminuto. Propè erat, ut Ludovicus filius Ludovici Patris jugulum peteret; verùm ubi propius cum exercitu Patris filius imminuit, adeò subito omnis ira deferbuit, & arma, & ipsam victoriam merito damnaret, & fugam arripere. Obiit paulò post Ludovicus Imperator 12. Kal. Julii anno Christi 840. vitæ suæ 64. Imperii 27. Cujus exitum dita solis defectio portendit pridie Ascensionis Dominicæ, qui fuit pridie Nonas Maji, hora diei nona, ut Petavius in rationario temporum ponit.

Novæ discordiæ Imperatoris & filiorum.

Obiit Ludovici 12.

Novum inter filios bellum.

Post Ludovici Pii Imperatoris excessum, cum Lotharius ejus filius Imperator in fratres Ludovicum & Carolum dominari cuperet, bellum novum exoritur: junctique Ludovicus & Carolus absentis Lotharii copias ingenti strage profligant ad fontenatam villam. Ferunt ex utraque acie cecidisse virorum millia centena, præcipuos ex nobilitate fuisse occisos, adeò, ut Gallica potentia tam in victoribus quàm victis fracta, pene prolapsa sit. Nec multò post Lotharius iterum prælio è Germania fugatus, pacem petiit & impetravit. Convenere tres fratres in eas condiciones, ut Lothario præter Romanum Imperium, nempe Italiam, pars ea cederet, quam hodièque Lotharingiam appellamus. Ludovico obtigit Germania omnis usque ad Rhenum, atque ultra Rhenum adjunctæ fuere civitates tres, nimirum Moguntia, Spira, & Wormatia: Carolo verò Occidentalis Francia, seu Gallia à Mosâ flumine usque ad Oceanum Britannicum tributa fuit.

Pax, & divisio provinciarum inter fratres.

Sanè huic pacificatorio celeberrimòque Conventui, ac Regnorum divisioni Frisingensem nostrum Ancistitem Erchanbertum fuisse adhibitum, rectè ex libro traditionum sexto, quem *rubrum* vocant, Brunnerus advertit, & nos infra ampliùs demonstrabimus. Porro tertius à Carolo Magno Imperator Lotharius annis circiter 15. imperium tenuit, sed minimè pacificum, assiduis enim bellis agitarus, cum non nisi flagellum in sceptro, spinas in diademate reperiret, spontè illud Anno Christi 855. deposuit, atque in Prumiensi Monasterio Institutum Divi Benedicti amplexus, regi deinceps, non regere voluit: non ita multò post, nempe eodem adhuc anno Christi 855. tranquillè

Lotharius morbo hinc moritur.

clau-

etandens vitam turbulentam, ut pulchrè Auctor flosculorum Historiarum advertit. At ut itidem bene apud Mabilonium Sigonius habet, eam vitæ varietatem Lotharius attulit, ut meliõrne an deterior fuerit, dijudicari non possit, nisi quòd mortis honestas omnem vitæ delere turpitudinem potuit.

Ludovicus noster eo tempore negotia maxima habuit cum Pannoniis, gra- Ludovicus na-
via cum Obodriticis, hodie Meklenburgicis: cum Nortmannis, hodie Danis: fin Germani-
cum Slavis, qui varias regiones ab Albi fluvio usque ad mare Scythicum in- nicipro getta.
colebant, nec non cum Sorabis, prope bodiernum Naumburgum colentibus: item Bulgaris, Moravis, Aquitanis aliisque, quæ omnia narrare, nostri insti-
tuci non est, cum ad illustrandam Erchamberti Historiam nihil admodum
conferant. Unde Lectorem ad alios rerum Boicarum Scriptores remittimus.

Gregorio IV. summo Pontifici Anno Christi 844. testibus Mabilonio atque Sergio II. Romanus, itidem (ut post alios scribit sæpè lauda-
tus P. Gregorius Kolb) ex Ordine S. Benedicti assumptus. Is postea Anno post Grego-
Christi 847. Successorem habuit Leonem IV. Pontificem, iterum Divi Benedi- nium IV. Pon-
cti Alumnum, quod mox laudati Scriptores Mabilonius & Kolbius asseverant. tifices.
Hic Leo supremæ Hierarchiæ Christianæ usque ad Annum Christi 855. præfe- Cas Leo IV.
dit. Et isti quidem summi Pontifices temporibus Erchamberti nostri Petri Ca- succedidit.
thedram tenuere. Cæterum quia hæcenus non occurrit, an, & quænam Er-
chanberto nostro cum his Pontificibus negotia intercesserint, de iis plura huc
adducere lubentes superfedemus, dum ad domestica enarranda properamus.

§. III.

Res Ecclesiæ Frisingensis mirè augentur sub Erchanberto Episcopo.

Anno Christi 835. Indictione decima tertia, pridie Kal. Aug. nempe in Anno 188.
Festo S. Terulini Martyris Zotto quidam Diaconus cum pluribus aliis Donatu
venit ad Monasterium Schlechdorffense, consecratum honoribus San- Schlechdoc-
ctorum Dionysii & Terulini Martyrum, & ibi donationem, à patre suo fenia.
Alpricho & matre Imma dudùm eidem Monasterio factam, ratam habuit, præ-
sentibus advocatis Oadalrico & Irminfrido, nec non Cunpaldo, quem illic
Erchanbertus Episcopus miserat. Ei donationi idem Zotto Diaconus adjecit
aliam sacis fecundam ad *Arvolffstein*, & ad *Reode*. Porro Zotto Episcopo
Erchanberto eodem die ex servis suis obtulit unum, Hiltum nomine. Quam
universam donationem postea etiam Frisingæ renovavit. Sanè Notæ Chrono-
logicæ hujus instrumenti supra videbantur annotandæ, ut demonstraremus,
Erchanbertum Episcopum non primùm sequenti, sed hoc anno Christi 835.
(cui Indictio 13. exactè respondet) Cathedram Frisingensem conscendisse.

Sequenti Anno Erchanbertus Episcopus Isanæ 5. Kal. Augusti commemoratus x. 189.
à Rihardo quodam Clerico bona quædam de *Kysalbach* & *Strogum* pro Eccle-
sia Frisingensi dono accepit: cui eidem Ecclesiæ paulò post Rarozus quidam x. 190.
& Amalgunda bona sua in *Rautozesdorf* adjecere. Sinpertus quoque Presby-
ter veniens ad Erchanbertum Episcopum ad *Cellam S. Zenonis in Isana*, Fri-
singensi Ecclesiæ bona sua in *Rindbach* & *Rupildorf* obtulit. Ex qua dona-
tione iterum manifestum est, Isanæ olim fuisse Monasterium. Nam *Cellam*
majoribus nostris idem fuisse ac Monasterium, longè certius est, quàm us
opus sit eruditis aures iterum vellicare.

Tercio Non. Augusti ejusdem anni Erchanbertus Episcopus, constiutus in
Dorffen, accipit ab Hroadperto Presbytero, & Wilperto ejus nepote pro Ec-
clesia sua Frisingensi bona quædam ac mancipia in *Chazpach* & *Sneitu*. Po-
R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Q
stea

199. Ite 9. Kal. Decembris Erchanberto nostro offeruntur alia bona in *Pirchsilmbri-*
chum. Rurſus eidem Epifcopo 18. Kal. Decembris ad Monafterium Scheffla-
 riense profecto donantur bona quaedam in *Perg*. Acceſſere eodem anno aliae
 N. 194. donationes de *Alkyſinga*, *Perchiricha*; item in *Pirgilinc*, *Rupilinga* & *V-*
 195. 196. 197. *dorff*, *Vſmhuſun* & *Reod*. Cæterum hoc eodem anno 836. 4. Kal. Februarii
 198. 199. Herilandus quidam Comes coram Baturico Epifcopo Ratisbonenſi & Luipra-
 N. 600. mo Salisburgenſi ac aliis perſolvit aliquem cenſum, fortè quòd aliqua Friſin-
 genſis Eccleſiæ bona beneficiario jure poſſideret. Et quia id Friſingæ conti-
 giſſe ex membrana diſcimus, eodem die Baturicum & Luipramum Friſingæ
 dimoratos fuiſſe neceſſe eſt. Ex quo loco impoſterùm certum erit Salisbur-
 genſibus, Adalarum, Luiprami deceſſorem, neutiſquam proviſiſſe uſque ad
 Annum Chriſti 844. ſed Luipramum ejus ſucceſſorem jam Anno Chriſti 836.
 & quidem menſe Januario Pontificatum Salisburgenſem geſſiſſe. Quid ſi con-
 jecturam faceremus, Luipramum eo tempore fuiſſe Friſingæ ab Erchanberto
 conſecratum Epifcopum? Certè quid huic conjecturæ obicem ponat, non
 videmus.

Præſentia
 quorundam
 Epifcoporum
 Friſingæ.

Proximo anno Erchanbertus noſter bona quaedam Monafterii Schleckdorſ-
 N. 601. ſenſis de *Durſingedorſ* & *Pachiltahofa* evicit: ac pro propria ſua Eccleſia Fri-
 602. 603. ſingeniſi alia bona in *Horkinhofa* & *Fechel* ex pia fidelium liberalitate obti-
 604. nuit. Donatio bonorum in Rupilinga anno 838. 6. Id. Jun. Erchanberto Epi-
 ſcopo à Keroldo Diacono facta eſt ad *Friſingas in monte S. Stephani, in Eccle-*
ſia, ubi requieſcunt Sanctorum corpora Alexandri Papa atque Juſtini Confeſ-
ſoris. Et hæc quidem eſt prima ex litteris, attentâ temporis illius ratione,
 authenticis mentio ſactorum illorum Corporum apud Weichenſtephanenſes
 nunc quidem quieſcentium. S. Juſtinus, ut videt Lector, vocatur *Confeſſor*:
 fortè quòd latine idem ferè ſit *Confeſſor*, quod *Martyr* græcè. Certè in Mar-
 tyrologio Romano nullum reperimus Juſtinum, qui pro Chriſti nomine ſan-
 guinem non fuderit. Succeſſere aliz donationes ad *Ligingas*, *Dorſſen*, *Ta-*
 N. 601. 606. *golfingas*, *Oamenedorſ*, & *Hupphinheim*, è quibus hæc poſterior facta eſt
 607. hunc in modum.

Alios modos
 inmiſſendi
 aliquam in
 poſſeſſionem.

Ratoldus quidam, vir nobilis, ut Deum ſibi redderet propitium, ſuaden-
 tibus quibusdam amicis, ad Erchanbertum Epifcopum è ſuis aliquem miſit,
 qui rogaret, ut Epifcopus Tagolfingam ad ſe veniret. Annuit benignè Epi-
 ſcopus, & Tagolfingam ſeſe ad Ratoldum contulit. Tunc Ratoldus coram
 Epifcopo ad amicos & cognatos converſus ſemel, iterum, ac tertio interro-
 gavit, num ipſe haberet veram poteſtatem ac libertatem poſſeſſiones ſuas of-
 ferendi alicui Eccleſiæ? Cùm verò nemo eſſet, qui Ratoldo poteſtatem illam
 denegare ſive vellet ſive poſſet, *ille viriliter circumcinctus gladio ſuo ſtabat*
in medio triclinio domûs ſuæ, tradiditque in capſam, nempe in proprietatem
ac dominium, Sanctæ Mariæ, & in manus Venerabilis Viri Erchanberti Epi-
ſcopi, quidquid in Tagolfing, Cramersdorſ & Huphinheim poſſederat. Eam
traditionem Ratoldus poſtea renovavit in limine domûs ſuæ, ex qua poſtea
egreſſus ipſe eſt, Erchanbertus verò intravit, eòque modo poſſeſſionem adiit,
ita tamen, ut Epifcopus uſum fructum bonorum illorum Ratoldo uſque ad
dies vitæ concederet, deinceps verò bona illa in uſus Eccleſiæ Friſingeniſis con-
verterentur.

Scriptores illi, qui Erchanbertum noſtrum etiam Campidonenſi Eccleſiæ
 Antitiſitem datum fuiſſe affirmant, id contigiſſe cenſent anno Chriſti 840. ut
 ſupra meminimus. Ex Friſingeniſibus verò hujus anni membranis nihil in eam
 rem eruimus, quo ea de anno ejus electionis opinio ſtabiliri poſſit: quod
 mirum non eſt; Cozrochi enim, qui antiquum traditionum librum conſcrip-
 ſit, non erat, niſi commendare benefactores Friſingeniſis Eccleſiæ, eorum-
 que ſancſtam liberalitatem poſteris nunciare.

Interea Ecclesie Frisingensi sub Erchanberto nostro eodem antio donata fuit pars memoris prope Frisingam, in cujus donationis instrumento numerantur Regimburtus Subdiacoanus, nepos Erchanberti Episcopi, ejusdemque Regimberti frater Anthelmus. Successit alia donatio pratorum prope Feldmochingen. Quo eodem ferè tempore Erchanbertus Ecclesiam ad *Strongom* ad versus nobiles quosdam Cathedralæ suæ vindicavit.

Supervenere variz donationes tum mancipiorum tum bonorum quorundam ad *Rotam*, ad *Aaldfridesstat*, ad *Urdorf*, in *Tegrinawa*, *Pritilimbach*, *Kimharseshusir*, *Perchhofen*, *Seyron*, *Adalbarseshusir*, *Puochslachum*, *Puoch Impach*, *Echinacha*, *Archinfrvvente*, *Pullinhuson*, *Perchbach*, *Ciemperc*, *Steingauvi*, *Tannara*, *Helidkereshusir*, *Ohlenmanua*, *Muninpach*, *Starkinum*, *Horskinhofum*, *Kyjalberinga*, *Lozesbach*, *Postilimbach*, *Paingas*, *Crumpinbach*, *Cuncinhusir*, *Marcilanga*, *Halle*, *Truchtering*, *Holzen*, *Zuoltesdorf*, *Urdorf*, *Oshemesdorf*, *Hajalpach*, & *Papinkircha*.

Et hæc quidem bonorum accessiones evenere usque ad annum 847. Ex quibus pauca hæc pro iis, qui sincerum antiquitatis studium colunt, excerptimus atque notamus.

Observamus itaque primò in donatione ad *Urdorf*, item in alia donatione de *Haholfeshausen* in Domo, seu Monasterio S. Mariz Frisingæ fuisse iis temporibus Scholam, in qua juventus, præcipuè nobilis, ad virtutis & literarum studium exercitabatur, maxime, si qui voluissent adoptari in familiam S. Mariz. Certè Adalger nobilis donationem fecit ad *Urdorf*, *servato sibi & filio Alpuni Clerico* usufructu, eo fine, ut *Alpuni* in Domo S. Mariz ad Frisingas *dominationem* (nempe directionem) *doctrinam* (nempe instructionem) *seu præbendam* (scilicet & victum) *haberet usque ad Tyrocini tempus*. Et Hitto quidam, defuncti Hittonis sive pronepos sive abnepos *Clericatus tonsuram accepit, & consensit* (consensit) *& professus est*. Difficile enim nutrito illo & educato, *congregata familia Sanctæ Mariæ & coadunata ad Frisingam, & fidelibus fratribus, inter quos & ipse Hitto supradictus liberalibus artibus est imbutus, advenit Heitras* (Mater illius) *cum filiabus & aliis fidelibus*, ac sub certis conditionibus bona quedam de *Haholfeshausen* Domus S. Mariz obtulit, quæ etiam Erchanbertus Episcopus accepit.

Ubi non solum luculenter deducimus, in Domo S. Mariz Scholam, verum etiam adolescentulos, quos posteri alicubi *Togatos* vocitarunt, & adhuc in quibusdam Monasteriis Ordinis nostri vocant, extitisse, qui scilicet à prima juventute tondebantur, habitu Ordinis donabantur, & ad futuram, si posthac consensuri essent, monasticam erudiebantur, & hodieum tempus. Cæterum cum in hac facis notabili donatione, in qua de nepotibus Hittonis Episcopi agitur, Erchanbertus noster iterum nullibi vocatur ejusdem Hittonis Episcopi nepos, aut Hittonis recens togari cognatus, rursus difficulter in animum inducent eruditi, Erchanbertum Episcopum aliquo sanguinis nexu Hittoni decessori suo fuisse adstrictum.

Observamus secundò in donatione de *Archinfrvvente*, anno 843. facta, in Domo S. Mariz, seu Cathedrali Ecclesia manifestè adhuc superfuisse *Monachos, qui ibidem*, ut in instrumento exprimitur, *Regulam S. Benedicti observare* nitentur. Ubi tamen sæpius prebendimus, ejusmodi Monachis à parentibus aut consanguineis aliquem proventum ex bonis Ecclesie donatis cum consensu Episcopi (qui absque omni dubio etiam Abbatis munus gerebat) ad vicæ dies fuisse reservatum.

Observamus tertio, quod, cum in nullis instrumentis Frisingensibus ad hæc usque tempora pertinentibus, vocabulum *Canonici* occurrerit, illud tamen primò insertum fuerit instrumento donationis de *Cuncinhusir* ad fluvium *Mohaha* (hodie *Ginzenhausen*) quæ anno Christi 845. contigit. In ea enim do-

N. 608.

N. 609.

618.

611. 612. 613.

614. 615. 616.

617. 618. 619.

620. 621. 622.

623. 624. 625.

626. 627. 628.

629. 630. 631.

632. 633. 634.

635. 636. 637.

638. 639. 640.

641. 642. 643.

644. 645.

Schole Fil.
608.

N. 610.

Erchanbertus
Episcopus
non fuit Hit-
tonis nepos.

N. 646.

Prima mentio
Canonorum
N. 617.

nationis charta Erchanbertus Episcopus dicitur *ex ratione Ecclesie sue una cum consensu & combibentia Canonicorum & Monachorum, aliorumque fidelium in ipsa Ecclesia degentium, etiam per licentiam Domini Ludovici Regis bona quaedam ad Pueneshufon Hittoni cuidam Laico, nobili viro, concessisse: in hujus verò vicem ab Hittono illo Laico recepisse alia bona ibidem enumerata. Inter testes de familia primò locò ponuntur Vodalpald Presbyter & Monachus. Gozroh Presbyter & Monachus. Sindmar Presbyter & Monachus. Quibus subjunguntur multa nomina aliorum testium, quorum tamen nulli tribuitur titulus Canonici: ut mihi quidem ex Scriptoris illius mente non videatur esse facienda distinctio inter Canonicos illos & Monachos, sed idem qui fuit Canonicus, censerì debeat fuisse Monachus. Certè Monachos Cathedralium Ecclesiarum sæpè fuisse dictos Canonicos Mabillonius eruditissimè demonstrat. Porrò in donatione sequenti anno Christi 846. facta disponitur, ut post obitum Abalonis Diaconi, ipsi Canonici res donatas, qui ipso tempore in Domino S. Mariae deserviant, ad opus illorum habeant ad ligna cadenda. Quod auget conjecturam nostram, nempe nomine *Canonicarum* ibi intelligi Monachos, quibus S. P. Benedictus scripsit caput 48. Regulæ de opere manuum quotidiano, idque adducto exemplo sanctorum Apostolorum, de quibus Paulus ait: *Laboramus operantes manibus nostris &c.* Certè Monachos eo adhuc tempore in domo S. Mariae deservisse, à nemine in dubium vocari potest. Instrumentum enim Cozrochus scripsit, qui Monachus fuit.*

Ann. T. 8.
n. 37. n. 38.

l. Co. 4. §. 11.

N. 609.

Sanè singularem ad ea tempora mentionem meretur notabilis illa emptio, qua Erchanbertus Episcopus complura bona ac prædia in *Helidkereshufir, Tanaraz, Chlanauca & Muninbach* dato pretio, certis conditionibus adjunctis, Ecclesie suæ comparavit à Paldrico quodam, qui in instrumento vocatur *vir venerandus*. Contigit ille tractatus Anno Christi 843. Indic. 6. 4. Id. Aug. in loco dicto *Dungeih* propè civitatem Virodunum, ubi ea ipsa tempestate *trium fratrum Hludarii, Hludovici & Caroli facta est concordia regni ipsorum*. Inter numerosos ejus contractus testes nominantur *Fritilo Palatinus Comes, Cumpald Comes, alius Ompald Comes, Ratolt Comes, Herilant Comes, Orendil Comes*, multique alii illustres Viri. Ex quibus ad evidentiam demonstratur, Erchanbertum nostrum famose illi pacificationi præsentem fuisse, & hoc quidem non solum legitur in libro Frisingensium traditionum sexto *sem rubro*. ex quo Brunnerus factum desumpsit, verum etiam in quarto ac primo cævo, uti oculis conspicimus.

Erchanbertus
Ep. intercessit
pacificationi
trium Ludovici Pii
fratrum.

Ab anno Christi 847. rursus quàm pluribus prædiis ac bonis dotata fuit Frisingensis Ecclesia. Accessere enim Cœnobio Frisingensi partim ex donationibus, partim ex permutationibus bona in *Hrosdorf, Holzhausen & Rotta, Otinhufon, ad Ombach, Phorumarun, & Harthausin, Reode, Prunnon, Pullinhufin, Sevre, Glara & Inzimmos, Stocperc, Hrodateshopa, Hruodperchtsdorf, Strupinga, Reod, Rot, Luzilindorf, Erlinhufon, Pritilimbach, Peralohc, Hardhusen, Cundpaldesdorf, Unginhufon, Tapolsing, Gramanesdorf & Ekkilinpurg, Dorfacrum, Ruadperchtsdorf, Glana, Ruice, Pherterach, Wilpach, Abthelmeshusen, Purollingen, Lansberesried, Erlahufen, Mofaha, & Humplen.*

x. 644. 647.
648. 648. 650.
651. 652. 653.
654. 655. 656.
657. 659.
660. 661. 662.
663. 664. 665.
666. 667. 668.
669. 670. 671.
672. 673. 674.
675. 676. 677.
678. 679. 680.
681. 682.

Omnium harum tum donationum tum permutationum Notæ Chronologicæ in instrumentis designantur, eæque evenere ab Anno Christi, velut diximus, 847. usque ad Annum Christi 854.

x. 670.

In his donationum atque permutationum instrumentis passim occurrunt iis quàm simillima, quæ supra sæpius notavimus, & qualia repetere non esset, nisi patientiæ Lectoris abuti. Illud tamen advertimus, donationem de *Tagolsing, Gramanesdorf & Ekkilinpurg* dici fuisse factam à Chuniboho Episcopo Frisingam veniente: cujus quidem Sedem Episcopalem ignoramus: ex rebus tamen

tamen donatis opinamur, eum natione fuisse Bojum. Tagolfingam enim & Ekkilunpurc esse loca superioris Bojarie, & quidem Comitatus Ilfmaningani ac Præfecturæ Schwabensis certum est. Fortassis Chunihobus alicujus vicini Episcopatûs Proëpiscopus fuit.

Anno Christi 853. 6. Id. Septembris multi tum nobiles tum ignobiles viri Frisingam ad celebrandam Divi Corbiniani festivitatem sese contulerant, cum ex iis Vir nobilis, Engilbertus nomine, Erchanberto Episcopo conquestus est, filiam suam à malevola quadam ancilla Ecclesiæ Frisingensis (nempe femina Ecclesiæ Frisingensis servitute adstricta) veneno fuisse peremptam. Indoluit piissimus Episcopus Erchanbertus, & ut damnum Engilberto quadratenus resarciret, fundos quosdam ei, non tantum ad proprios, sed etiam ad filii vitæ dies, alio insuper beneficio adjecto, fruendum dedit, sicque eum non sine aliquo doloris lenimine dimisit.

Reliquæ donationes, donationum confirmationes atque permutationes sub Erchanberto factæ, quarum tamen tempus non adeo distinctè ponitur, fuere sequentes: nempe *Leron, Cunzinhuson, Eicylunpurc, Purcrain, Strazbach, Alpaganui, Rosa, Vrdorf, Affoltrapach, Lantperchesreode, Niwvara, Heidolsingen, Smidilindorf, Feldgandinha & Pota, Slipfes & Pacharn*: in quibus instrumentis iterum passim occurrit mentio *Canonicorum, Monachorum*, atque *Monasterii Frisingensis*.

In ea permutatione, qua Erchanbertus Episcopus Adalberto cuidam Comiti pro multis prædiis in *Lantperchesreode* (fortè *Lentsperried*, Landsperrgenis Præfecturæ) dedit alia bona in *Haracha* propè fluvium *Maisacha* (Uberaker) fit mentio de confinio *Hosiorum*; uti etiam in quodam instrumento de Anno Christi 849. quod in secundo traditionum libro reperio, habetur, plurimos de *Hosis*, & alios quam plurimos viros nobiles convernisse. Ubi nomine *Hosiorum* utique rectè intelligi videntur Comites Andecenses, qui solebant dici nobiles de *Huosi*, uti ex Aventino bene advertit Hundius: idemque, si opus foret, ex monumentis Benedictoburanis abunde demonstrari posset. Aliud, quod ex recensitis hætenus membranis singulariter annotari hæc mereatur, non reperimus.

Illud tamen hæc silentio prætereundum minimè est, quod legimus in vetustissimo Codice traditionum Frisingensium secundo, seu libro commutationum, ubi factis luculenter comprobatur, Erchanbertum nostrum non solum Frisingensi, verum etiam Campidonensi Ecclesiæ præfuisse. Rei summa hæc est. Milo quidam Presbyter commutationem seu cambium (*campionem* instrumentum vocat) cum Erchanberto Episcopo fecit. Tradidit Milo Erchanberto ad Ecclesiam Campidonensem possessiones quasdam suas in *Heimmortingo Marcu*, in pago, qui dicitur *Ilargoune*, nempe in provincia Hilare fluvio adita, cujus caput Campidona est. Erchanbertus verò Episcopus eidem Miloni Presbytero redhibuit bona quedam ad *Scammara*, & ad *Altheim*. Ubi nemo non intelligit, Erchanbertum fuisse etiam Ecclesiæ Campidonensis Præfulem, quippe de cujus villis ac prædiis disponebat.

Facta dicitur hæc permutatio ad *Loubheim* Id. Augusti. Aliæ Chronologicæ Notæ non adjiciuntur. Cæterum hæc commutatio in laudato Codice refertur inter alias, quæ Annis Christi 851. & 852. evenere. Et sanè Annus Ludovici Regis (Germanici postea dicti) vicesimus sextus, in instrumento designatus, respondet Anno Christi 852. epocha ducta ab Anno Christi 826. quo is primùm Rex salutus est, uti in superioribus demonstravimus: & inferius susus deducemus. Plura utique ejusmodi instrumenta de Erchanberto nostro Illustrissima Campidona asservabit.

§. IV.

Reliquæ laudes, ac mors Erchamberti Episcopi: ejusque post mortem Veneratio.

Erchambertus
solitum in
lustranda
Diocesi.

fol. 158. b.

Quid no tempore in visitationibus Ecclesiarum fuerit observatum?

EX instrumentis donationum, confirmationum, atque commutationum hætenus, ut fieri poterat, brevis enumeratarum, inter cætera singulariter elucefcit, Erchambertum nostrum in visitandis atque lustrandis Dioceseos suæ Ecclesiis fuisse quàm solertissimum cum omnes illi tractatus in variis Frisingensis Episcopatus partibus coram Episcopo nostro evenerint. Placet hic in gratiam Lectoris adducere specimen aliquod, è quo discamus, quid in visitationibus ruralium Ecclesiarum eo tempore inter alia observari & annotari solitum fuerit. In primo, seu antiquo traditionum libro inter acta Erchamberti sic habetur. *Breve commemoratorium; Hic innotescit, quid ibi invenimus ad Perechirichum. Inprimis Basilicam, infra Basilica altare tria. Sindones XIII. Capsam unam deauratam. Crucem unam deauratam: & aliam Crucem de stagno paratam. Coronam unam deauratam. Calicem & patenam unam auro decoratas, & alium Calicem & patenam stagnatas. Lectonariorum unum. Missalem unum, campanas duas, una ærea & alia ferrea, albam unam, & planetam I. Et villa, qui ad illam Basilicam decimam dant, sunt VIII. Curtem cum domo & horrea tria; infra domum mancipia VIII. Servos VI. & ancillas III. armenta XII. Boves VII. & alios juniores V. Porcos XXVI. Oves II. aucas VII. & pullos IV. Caldarios duos, unus minor, & alter major. Vomerem I. & ligonem I. falcem majorem I. Carras duas. Catenam unam, Cubam unam & alia vasa ad cervisa utendum tria. de apibus alvearia II. de spelta modios X. & de ordea modios XI. & de Segale modios XX. terram dominicam cultam colonia tria, de pratiis carradas CC. & terram dominicam pleniter seminatam. Et ibidem ad ipsam curtem afficiunt mansos duos vestitos; inter illos continentur mancipia decem, uterque de ipsis mansi dant in anno de cervisa stulas XII. & uterque ex ipsis Frisingiam I. pullos duos, & utrasque uxores eorum operantur in anno camisalem I. & ipsi mansi operantur in ebdomada III. dies, & ipsi habent armenta novem. Et unus de his habet caballum I. Et alius mansus oves VI. habet. Et servus dominicus habet Caballum I. & ipsi totos servi dominici, armenta sex, & unus ex ipsis mansi habet porcos IIII. Hæc & plura his quàm similima ibi. Ubi Lectores antiquariæ literaturæ minùs peritos admonendos esse censuimus, sub vocabulis *Crux de stagno* in hoc indiculo intelligi crucem de stagno: uti *patena stagnata* idem est ac *patena stanæa*: *Caldarios duos* idem est, ac *latiniùs caldaria duo*. *Carras duas*, idem ac *carros duos*. *Cubam*, esse *Vasis* quoddam genus, quo vel triticum vel vinum ab antiquis asservabatur, ex Hofmiano discimus: aliàs hoc nomine etiam aliquando *patera* significabatur. *De segale*, intellige, de *siligine*. *Terra dominica* est terra propriæ possessionis, seu quam dominus ipse possidet & colit: contra verò *mansus vestitus* hic idem dicit ac certa mensura agri, alteri in beneficium seu feudum aut amphyteusum concessa. *Carrada* idem est ac *plaustrum*. Hæc in gratiam Tyronum Historiæ. Cætera quæ in descriptione vocabula reperiuntur, minùs à latinis auribus abhorrent, neque nostra expositione indigent. Nobis satis est annotasse, quàm exactè olim res Ecclesiarum fuerint penes Episcopum descriptæ; quæ leus singulariter ad Erchambertum nostrum pertinet: in quo etiam humilitatis, castitatis, temperantiæ, prudentiæ ac justitiæ virtutes miris laudibus extolluntur à Scriptoribus domesticis: unde mirum nemini sit, quòd tantus vir à Summis etiam Monarchis atque Principibus venerationem sibi maximam conciliaverit, atque ab eis etiam in rebus maximè arduis ad consilia fuerit adhibitus.*

Explicatio
quorundam
vocalorum.

Alia Erchamberti virtutes

Obitus

Obitus Erchamberti nostri alicubi in Catalogis domesticis reponitur ad annum Christi 853. die mortis non annotata. Alibi differtur ad Kalendas Augusti anni 854. Rufius alibi, nempe apud Freiburgerum, Canonicum & Scriptorem Frisingensem ad diem 11. Januarii ejusdem anni revocatur, qui dies etiam in Gamanfii Excerptis designatur. Atque huic ultimæ assertioni consonat Catalogus Abbatum ac Principum Campidonensium, à R. D. Francisco Petro Canonico Regulari in sua *Suevia Ecclesiastica* editus. Sanè cui harum assertionum accedere Lector velit, ejus judicio permittimus. Si antiqua præferimus recentioribus testimoniis, primum locum meretur Liturgia Gamanfii.

Juvat hic breviter animadvertere, ævo illo inusitatum non fuisse, ut Episcopus alicujus Diocesis, simul etiam esset Abbas Regularis cujusdam Monasterii longius distantis. Exempla in eam rem extranea non adducimus, sed in ipsa Bojaria exemplum coræum tenemus ubi Goswaldus Würzburgensis (ut cum scribebant) Episcopus, simul Alaha inferioris Abbas erat: qui cum suum ex hac vita discessum imminere intelligeret, Monasterio suo consulturus Ludovicum Germaniæ Regem Ratisbonæ convenit postulans, ut fratribus in Monasterio S. Mauritii Martyris, vocabulo Alaha, consistentibus, post suum ipsius obitum Abbatibus ex seipsis eligendis facultatem haberent si quis inter eos ad id muneris idoneus inveniri posset, quod Princeps ratum esse jussit, dato diplomate in Ragensburg Civitate VIII. Id. Martii Anno XIV. regni sui in Orientali Francia, Indictione XI. Qua de re videri potest Mabillonius in Annalibus. Extat totum illud diploma apud Gewoldum in additionibus ad Metropolim Hundii: ubi legi potest. De Arnone quoque ad Mytram Salisburgensem vocato diximus, non idcirco Abbatiam Nonensem statim dimisisse. Similia apud plures Episcopos & Archiepiscopos Salisburgenses occurrunt. Arnorem quoque Frisingensem Episcopum, cum in sedem Episcopalem esset translatus, non idcirco statim clavum Schlechdorffensis Monasterii dimisisse, in superioribus opinionem nostram exposuimus.

Cæterum nostræ de anno emortuali Erchamberti assertioni nullo modo obstat Præceptum Ludovici Germaniæ Regis, quod reperitur in antiquissimo codice diplomatico Campidonensi, datum XVI. Kalend. Maji, Anno, Christo propitio, Domini Hludervici Regis XXVI. in Orientali Francia. a Clm Regenspurc Palatio nostro in Dei Nomine feliciter Amen. Quo instrumento Ludovicus Rex Monasterio, quod dicitur Campidona, ubi præsentem tempore Erchambertus Frisingensis Ecclesia Episcopus Rector præesse videtur, concessit, ut tres naves licet ei dirigere ad Hallo propter sal accipiendum, & ad necessaria fratrum in eodem Monasterio degentium deducendum. Ex quo nonnemo contendeat, Erchanbertum usque ad annum Christi 866. provivere debuisse. Non, inquam, ista quidquam obstant. Cùm enim Ludovicus Bojarie & Alemannie Regnum adierit Anno Christi 826. veluti septem omnino instrumentis, eo ipso anno scriptis, & à nobis superius allegatis, atque in parte nostra altera diplomatica per extensum exhibitis, luculentissimè demonstratum fuit, annus Ludovici Bojarie ac Germaniæ Regis XXVI. non est Christi DCCCLXVI. sed DCCCLII. uti est palpabile: eoque anno inter vivos Erchanbertum superfuisset, nemo dubitat. Cæterum ex Frisingensibus Monumentis ulterius certum manet. Annonem Episcopum, Erchamberti Successorem, Anno Christi 855. Frisingensi Sedi jam præfuisse, uti paulò inferius invictè demonstrabimus.

Tumulus sibi Erchanbertus elegit in Aede Divi Petri, haud procul à Basilica Cathedrali in monte sita, quod ab ipsomet Erchanberto constructum fuisse, nonnulli perhibent. De hoc Divi Petri Sacello jam alibi diximus; & videri possunt, quæ afferimus in parte operis nostri altera Num. 2. Porrò in eo tumulo Erchanbertus in hodiernum usque diem magna fidelium religione colitur, non sine fama ingentium beneficiorum, quæ jussu Celsissimi ac Reverendissimi

Episcopi olim non raro erant simul Abbates.

Tom. 1. pag. 618.

Tom. 11. pag. 18

Objectio sol. 1108.

Tumulus Erchanberti.

Signis clareticis.

dissimi Principis atque Episcopi Joannis Francisci accuratè annotari solent, ac fortè cum tempore publicam lucem aspicient, dum interea idem pùssimus, atque prædecessorum suorum honori addictissimus Antistes tumulovenerabilis Erchamberti Episcopi eum, quem hodie spectamus, nitorem adjecit, in cujus lapide à terra antiquioris elevato unà cum Erchamberti imagine sculpti vifatur versus sequentes.

*Est Erkenbertus hæc Præsul in ade sepultus,
Atque coopertus, saxo de paupere sculptus.*

Mors itaque Erchamberti incidit in annum S. Leonis Papæ IV. octavum, cùm Lotharius adhuc Romano Imperio, anno penultimo, præset: Ludovicus frater Bojarie & Alemannie: Carolus deinceps dictus Calvus, itidem frater, Gallie habenas moderarentur, in Cathedra Salisburgensi Luipramo S. Petri Abbate, in Ratisbonensi Embricone, in Patavienfi Hardovico sedentibus, veluti è Catalogis Episcoporum dictarum Ecclesiarum intelligimus. Sabionensium Præfulum Indiculus nomina equidem eorum exhibet, aut annos Regiminis ad ea tempora non designat.

Porro, cum in Membranis sub Erchamberto conscriptis prima, ut diximus, mentio Canonice reperiatur, opinamur, jam eo tempore aliquam statûs monastici mutationem imminuisse, tamen etiam annis multis sequentibus frequens de Monachis & Monasterio Frisingensi Ecclesie memoria fiat, ut deinceps abunde conspiciemus.

Existimamus, circa eundem fortè annum, quo Erchambertus ad cælum transiit, vel paulò antè ad Superos migrasse venerabilem illum Rerum antiquissimarum Frisingensium Scriptorem Cozrohum Monachum: Sine cujus opera primæva Ecclesie Frisingensis incrementa omni posteritati forent incognita. Conscripsit ille primum traditionum Frisingensium Codicem, plus quàm quingenta instrumenta sub Erimberto, Josepho, Aribone, Artone, Hirtone, & Erchamberto Episcopis confecta, continentem, quæ nos in Parte altera Lectori spectanda proponimus, iis tamen demptis, quæ in præcedentibus jamjam exhibuimus.

Cozrohus hic noster cum tantam rei historice (non domesticæ tantùm, verùm etiam publicæ) lucem afferat, meretur utique, ut ejus venerandum Nomen, à tot sæculis literario Orbi usque ad hæc, quibus scribimus, tempora absconditum, tandem in publicum prodeat, ac Historiographorum atque Lectorum memorie commendetur. Ubi tamen monemus, eum post annum Christi 848. nulli amplius instrumento subscripsisse, utique quoddam vel senio fuerit fractus, vel annis proximè sequentibus ad meliorem vitam vocatus. Revivisse igitur apud Frisingenses posteros, ac compare ad decimum sæcularem annum Frisingensem, & innotescere erudito orbi Religiosissime Cozroh cum tot centenis hujus Ecclesie Monachis, Canonicis, Clericis, Ministris, Benefactoribus ac Testibus, quorum noticiam post tot sæcula nobis suggeris; promeritus sanè, ut, cùm tot alii Frisingenses Codices incendiis, directionibus ac rapinis fuerint subtrahiti, tuus tamen, quem scripsisti, præstantissimus Codex omnia illa pericula, divino planè nutu evaserit, ac nulla prorsus sui parte, ac nec in unica, quam tu quidem exarasti, litera læsus, ad nos pervenerit. Memoriam tui, apud mortales tandem redivivam, videbis te debere Reverendissimo ac Celsissimo Episcopo ac Principi Joanni Francisco, qui Codicem tuum, tantis temporibus ignoratum ex pulveribus ac squallore non aliena, sed propria manu extraxit, atque huic volumini inserendum, totique mundo commendandum decrevit. Sanè fulgere te apud Superos, non est, cur dubitemus, quippe cujus Religio, fidelitas ac pietas tantis Episcopis (quales Hitto, & Erchambertus fuere, quique operam tuam toties adhibere) dudùm fuit commendatissima, Numine quoque ipso librum tuum in tam fera sæcula

benignissimè conservante.

CAPUT

CAPUT III.

De Annone Octavo Frisingensi
Episcopo.

§. I.

DE hâc Annonis Episcopi Electione in quarto, seu Magno Traditionum Frisingensium Libro hæc legimus. *Quodam tempore, dum turbida res agitabatur in Episcopatu Frisingæ, contigit Deo donante plebem elegisse sibi Annonem Episcopum, quod Dominus Rex Ludovicus assensit, talisque votum benigne suscepit, illumque statuis feliciter regere sanctum Orile.* Quod sic interpretamur, nempe eo tempore suffragia eorum, qui de familia erant, fuisse dissonantia; atque ea occasione vota plebis consonantia prævaluisse, & assentiente Ludovico, Bojariz, Germanizque Rege, Annonem ad fastigium Episcopale extulisse. Annus & Mensis rei gestæ non exprimitur, dum interim certum manet, Annonem Episcopum jam Mense Martio, ac tempore quadagesimali Anni 855. Aiblingæ adversus Vdalschalcum Tridencinum Episcopum vineas quasdam Bulsanenses in publico judicio vindicasse, uti inferius dicemus. Unde manifestè colligimus, Electionem Annonis sive ad initium dicti, sive ad finem præcedentis Anni contigisse.

Id. 24.

In Annonis electione vota plebis prævalent.

Quis fuerit hic Anno ante sui ad Sedem Episcopalem assumptionem, deficientibus documentis asseverare non audemus. Susplicamur nihilominus, eum non fuisse diversum ab eo, quem post mortem parentis sui Helmuni Cundartus sive cognatus, sive tutor illius Anno Christi 792. Attoni Episcopo nutriendum, literisque ac virtutibus imbuendum tradidit, adjectis jam prius à Parente Helmuno hæreditariis bonis in *Tegernvvac*. Hic absque dubio est Anno ille, qui deinceps factus Diaconus, sæpius inter testes domesticos occurrit, nominatim in donatione de Anzinga, quæ anno Christi 811. Frisingensi Ecclesiæ contigit, ubi Anno inrer testes Monachos numeratur. Idem reperitur sæpius inter Testes in donationibus sequentium Annorum nempe 814. 815. 816. &c. Ex quo convincimur, eum à Sapientissimis Episcopis Attone & Hiltone ad graviora negotia sæpenumerò adbibitum. Neque movemur, quòd, si Anno, à nobis hætenus laudatus, primùm Anno Christi 855. in Episcopum electus fuisse dicatur, is jam debuerit esse Sexagenariò Major. Nam senectus, usque ad annum septuagesimum, Octuagesimum, ac Nonagesimum producta, ne nostris quidem temporibus exemplis carer, minùs verò caruit temporibus Majorum nostrorum, qui frugalitùs, ac modò fieri assoler, vivebant, victu modico contenti, neque rot morborum, ac ægritudinum molestiùs obnoxii.

Ab Anone Episcopo instruitur. Id. X. 108.

Id. X. 289.

Ad graviora negotia adhibetur.

Minùs verò dissimulamus, sub Erchamberto decessore Anno Christi 853. currere Annonem quandam, qui ipsius Erchanberti Diaconus vocatur, cui proinde Episcopalis dignitas post Erchanberti mortem collata fuisse dici possit. Nam cur Annoni illi successionem in Episcopatu coniciamus tribui non facile posse, Ratio est, quòd is non videatur fuisse *de familia*, quippe qui Erchanbertus Episcopus cum consensu Monachorum sive Canonicorum in quodam commutationis contractu bona aliqua tradidit ad proprietatem. Nisi fortassis dicere velimus, hunc Annonem ab altero non esse diversum, neque deesse exempla, quibus etiam Monachis ex Superiorum assensu aliquorum bonorum usus ad vitæ dies concessus fuerit, quibus in pios fines frui possent.

Diversus ab alio Annone cognomine atque coævo.

Fuit nobilit.
P. d. N. 764.

Hæc utur pro certis minimè venditemus, illud tamen certius est, Annonem Episcopum ex nobili sanguine fuisse progenitum; idque ex eo demonstratur, quòd alius quidam Anno cognominis, Annonis Nostri Nepos, qui quidquid rerum Juriumque Halæ habuit, Ecclesiæ Frisingensi Anno Christi 875. donavit, in instrumento vocetur *Nobilis Vir*: Undè nonnemo concludit, Ipsum quoque Annonem Episcopum fuisse Patriâ Halensem: ex quo tamen nemo bene concludet, eum non fuisse Bojum. Nam Halam oppidum, ad Oenum in montibus situm, eo tempore Bojariz partem fuisse, nemo Eruditorum ignorare potest, cum ejusdem Bojariz fines eo tempore ferè Tridentum usque sese porrexerint, & Tyrolensis Comitatus atque Provinciæ nomen fuerit penitus incognitum. De Annonis Nobilitate plura suo loco.

§. II.

Imperatores, Reges, Pontifices, tempore Annonis Episcopi.

Lotharius
Imp. fit Mo-
nachus.

Lotharium Imperatorem anno Christi 855. ultrò in Monasterium nostrum Prumense, quinque circiter millibus passuum ab Urbe Trevirensi distans, sese recepisse, Sceptroque ac Diademate abjectis coronam deinceps Monasticam elegisse, supra jamjam annotavimus. Is Tertius à Carolo Magno Occidentis Imperator tres liberos reliquit, *Ludovicum*, cui jam Italianam concesserat, & quem Imperii Collegam adsciverat: *Lotharium*, cui eam Franciæ Partem, quæ ab eo potius, quam ab ipsius parente Lotharingia (quasi Lotharii Regnum) appellatur, tribuit: & Carolum natu minimum, cui Provinciæ Regnum dedit: Ludovico nostro Bojariam cum vicina Germania, ut supra diximus, retinente.

Postquam si-
lios provin-
ciarum hære-
das habuit.

Ludovici II.
Imp. epocha
varia.

Porro Ludovicus, eo nomine inter Imperatores secundus, modò ab anno Christi 849. quo à Patre Imperator nuncupatus est: modò ab anno insequenti, quo Leo IV. eum Romæ coronavit: modò à die obitus Parentis, Imperii sui annos numeravit: quod hic ex Antonio Pagio notandum censuimus, ut diversas Epochas in Ludovici Diplomatis reperiri, Lectorem moneremus. Sanè si à morte Parentis Lotharii Epocham Imperii Ludovici Secundi constituimus, annus ejus Imperii Primus erit, qui est annus Christi 855. Neque enim nisi paucis diebus vitam Lotharius in Monasterio protraxit, ut communiter tradunt.

Mors Leo-
nis IV.

Cæterum idem annus Christi non solum Lotharii Imperatoris, verum etiam Leonis IV. Pontificis morte notabilis fuit. Hic est ille Pontifex Leo, ex nostris, ut diximus, assumptus, qui Vaticanum munitionibus cinxit, ac Muris Romanis inclusit, auctor novæ civitatis, quam à suo nomine Leoninam appellavit. Idem effecit, ut Lotharius, & Ludovicus suo, atque successorum Imperatorum nomine consenserint, *ne deinceps Cæsares sese Electioni Pontificum vel assistendo, vel consentiendo, vel confirmando, immiscerent.* In cæteris ejus rebus gestis Octavam Assumptionis Deiparæ Virginis, Romæ necdum receptam, ibidem ab eo fuisse institutam: atque Monasteriis Ordini nostris instaurandis, dotandisque plurimam opem atque operam fuisse impensam legimus. Posterì eum in coelicum numerum reculere: & SS. D. N. Clemens XI. P. P. M. ejus officium die 19. Augusti 1719. Benedictino Breviario inferuit.

Successor Be-
nedictus III.

Leoni IV. in folio Petri *mox* Clerus Populusque Romanus Benedictum III. Presbyterum Cardinalem S. Callisti (quem P. Gregorius Kolb floridum ex Divi Benedicti viridario germen appellat) substituere. Ita Annus Christi 855. Primus fuit Benedicti III. Pontificis, Ludovici II. Imperatoris, & Annonis Episcopi nostri Frisingensis.

Indo-

Indocti quidam, & malè feriatì homines (inquit ad hunc annum Mabillo-^{Fabula de Jo-}
nius in Annalibus Ord. nostri) post Leonis mortem, obrudunt Jobaniam Pseu-^{anna Papia.}
do Papissam, hancque fabulam Mariani Scotti, Sigeberti Gumblacensis Mona-
chi, imò & Anastasii Bibliothecarù testimoniis adstruere conantur, quos cer-
cum est, nil tale unquam scripsisse, ut ex sinceris eorum libris constat. Vidit
Miræus (Mabillooti verba prosequitur) vidimus & nos post eum in Bibliotheca
Gemblacensi exemplar autographum Sigeberti: item Mariani Chronicon; ipsius
Sigeberti ætate exaratum: vidimus & alia plura utriusque Chronici in aliis Bi-
bliothecis ejusdem ferè antiquitatis: in quibus nihil prorsus de Johanna illa com-
mentitia occurrit: multò minùs in Anastasio, in cujus genuinis codicibus Be-
nedictus mox à Leonis obitu uno consensu electus memoratur. Hæc Mabillo-
nius: qui rem etiam diffusius prosequitur, & pucidam fabulam eruditissimè ex-
plodit.

Ludovicus II. Imperator regimen suum ac vitam usque ad annum Christi
875, produxit: quo ipso etiam anno Episcopus Noster rebus mortalibus valde-
dixit, ut infra dicemus. Ast Benedictus III. Pontifex Maximus nonnisi usque ad
annum Christi 858. supervixit: quem in summo illo fastigio exceptit Nicolaus I.<sup>Benedictus
III. obiit,
Succedit
Nicolaus I.</sup>
dictus Magnus, eò quòd Magno Gregorio, ac Leone Magno Pontificibus re-
bus gestis oon minor fuerit æstimatus. Hunc Ordinis itidem nostri antehac in-
stitutum fuisse secutum, P. Gregorius Kolb ceofet. Is usque ad annum Christi
868. Ecclesiam rexit, locumque cessit Hadriano II. Romao, itidem (eodem
P. Kolblo teste) Benedictino antehac Monacho, qui anno 872. decessit. Hunc
secutus est Joannes VIII. Pont. Maximus, de quo inferiùs suo loco,<sup>Hadrianus II.
Joannes VIII.
Ludovici ob-
itus est gottz.</sup>

Ludovicus alter, videlicet Bojarie & Germanie nostræ Rex, anno Christi
855. (quo Ludovicus Augustus Imperium, Benedictus III. Pontificatum, Anno
noster Episcopatum adiit) cootra Rasticen, Slavorum Ducem moverat. Ver-
rùm eo sese intra munimenta recipiente nihil admodùm profecit, sed drepta
tantùm atque vastata Provincia regressus est: cui vicem mox rependit Rastice,
atque trans-Danubianæ Germanie ingentem vastitatem intulit. Sequenti an-
no idem Ludovicus noster in Dalmatas, sive, ut Brunnerus rectiùs vocari arbi-
tratur, Dalemincios expeditionem suscepit: quibus subjugatis per Bohemiam
regressus, Regulorum aliquos in deditiorem accepit.

Anno Christi 858. idem Ludovicus noster in Galliam ad Regnum invita-
tus oblatas sibi conditiones acceptavit Galliamque intravit, in vitis tamen Epi-
scopis, infidiisque denique appetitus, ac quorundam Saxonum (qui Sorabi
dicebantur) defectione territus, cùm præter invidiam retulisset nihil, in Ger-
maniam regressus est. Anno 860. reddita demùm Regnis est Pax, inter Re-
ges firmata. Quà occasione Monachorum operâ, Principum verò munificen-
tiâ literarum studia egregie effloruere. Non ita multò post nata inter Ludovi-
cum nostrum, & Carolomanum filium dissidia mitigata, mox resuscitata, &
irretitum restineta fuere. Simillima propemodùm fata cæteris annis usque ad
Annonis nostri obitum, Ludovicum exercuere, quæ vel strictim oarratæ cæ-
dium Lectori parere posse videntur, cùm ad præsentis Operis propositum aut
parùm, aut oihil conferant. Quædam tamen fortassis suggeremus, cum res
postulaverit. Ad Annonem Episcopum stilum nostrum reducimus.

§. III.

*Anno Episcopus defendit & auget bona Ecclesie suæ:
quædam verò proinde permutat.*

Quo tempore post Erchamberti Episcopi decessum res turbidæ agitabantur Anno prævo-
in Frisingensi Episcopatu, veluti supra insinuavimus, Udalscalcus Tri-<sup>let contra
Udalscalcum
Episcopum</sup>
dentinus Episcopus perversorum quorundam hominum instinctu vineas
R. P. Caruli Meichelbeck Hist. Frising. R 2 Fri. Tudecanum.

Frisingenſis Eccleſiæ, Buſſano, celebri provinciæ Atheſinæ oppido ædificas, in-
vaſit, ſibiſque uſurpavit. Eo tempore Ludovicus, Germaniæ noſtræ Rex Qua-
dragefimam Aiblingæ exigens, exercitum in Pœtmanios (ut habet instrumen-
tum Frisingenſe) Ductore Erneſto Comite, miſit, quem etiam nonnulli Epi-
ſcopi ſecuti ſunt. Sanè rebus non ita proſperè geſtis eùm ad Regem reverte-
rentur, qui in aciem prodierant, varios (ut fieri in ejuſmodi eventibus ſo-
let) de expeditione ſuſpecta rumores afferbant. Aderant eo ipſo tempore Le-
gati Regis Langobardorum (nempe Ludovici II. Imperatoris) Notingus Epiſco-
pus, & Bernardus Comes: quibus acceſſere Jacobus, Vdalschalci Epiſcopi Tri-
dentini Advocatus, & alius quidam Willipertus nomine, de vineis, quas dixi-
mus, Buſſanenſibus cauſam agitantibus. Cùm itaque Ludovicus, Rex noſter,
cauſam illam citò terminare exoptans, univerſos, qui aderant, interrogáſſet,
quid in definiendo illo negotio leges præſcriberent? Reſponſum ab omnibus
fuit, inquirendum eſſe coram Rege, & Legatis Regis Langobardorum, num
Tridentinus, an Frisingenſis Epiſcopus diutiùs vineas illas couſque poſſideſſet
Quodſi teſtibus probari poſſet, vineas illas triginta annorum ſpacio ad Eccle-
ſiam Frisingenſem pertinuiſſe, eas omninò eidem Eccleſiæ eſſe adjudicandas:
ſi minùs eas Tridentino Epiſcopo eſſe reſtituendas. Hæc cùm auდიſſet Anno
Epiſcopus noſter, ſtatim Teſtes obrulit: quos ubi Rex vidit, Erneſto Comiti
mandavit, ut in Paladium ſe conferret, Legatòſque Langobardorum Regis,
atque Vdalschalci Epiſcopi ſecum eò adduceret, qui oblatos ab Annone teſtes
juramentò priùs de dicenda veritate præſtitò, audirent. Paruit Erneſtus, au-
ditòſque teſtium juramentò interrogavit, quid de vincarum illarum dominio
ipſis conſtaret? Reſponderunt teſtes, certum ſibi atque exploratum eſſe, vi-
neas illas ab annis omninò triginta fuiſſe Frisingenſis Eccleſiæ, idque abſque
ulla cujuſcunq; hominis contradictione. Quod audiens Erneſtus, univerſum
Procerum Populique Conventum, temporis illius more, rogavit ulterius, quid
ergò in cauſa denique foret decernendum? Reſpondère uno ore ſinguli, pri-
mi, mediù, ultimi, vineas illas perpetuo jure Eccleſiæ Frisingenſi debere eſſe
ac manere proprias: quam ſuorum unanimem ſententiam Rex ipſe calculò ſuo
firmavit, cui denique etiam Legati ſupradicti, cùm Juſtitiæ ratio aliud non ad-
mitteret, ſubſcripſere. Acta hæc fuere Aiblingæ 16. Kal. April. Anno Chriſti
855. Indictione III.

Triumphaverat equidem eum in modum contra Tridentinos Anno Epiſco-
pus noſter; verùm (neſcitur ob quam cauſam) curas ſuas nondum poſuerat,
quòd fortisſis metueret, tricis adhuc aliquas moveri à Tridentino Epiſcopo
poſſe apud Ludovicum Imperatorem, ad cujuſ Regnum Langobardicum Tri-
dentum pertineret. Hinc cùm Tridenti aliquando Ludovicus uterque Impe-
rator ſcilicet (qui tamen in noſtro instrumento non vocatur niſi Langobardo-
rum Rex, forè quòd nondum coronatus eſſet) ac alter Ludovicus Germani-
cus, conveniſſent, & de conſtituendis rebus publicis conſilia agitáſſent, An-
no noſter ea occasione utendum ratus, cauſam Eccleſiæ ſuæ novo utriusque
Regis examini ſubjecit, ac prioris Judicii confirmationem petiit: quod etiam
felicitè impetravit, vineis Buſſanenſibus Eccleſiæ Frisingenſi ruriſus adjudicatis.
Sanè quo anno id factum ſit, in instrumento equidem non exprimitur. Exi-
ſtimamus tamen, factum illud referri poſſe ad annum Chriſti 860. quo Pax
inter cognatos Reges Carolingos coaluit. Id enim ex instrumento ſatis elucet.

Ceterùm ſtatim atque Anno noſter impoſitus eſt Sedi Frisingenſi, Herol-
fus Chori Epiſcopus Frisingenſis legitimam institutionem ſuper certis bonis at-
que mancipiis in *Tankirbha* nomine Eccleſiæ Frisingenſis accepit. Hic abſque
dubio eſt Herolfus ille Chori Epiſcopus, cujuſ nomen unà cum Erchambergi
Epiſcopi nomine infernum fuit Libro Societatum Augienſium, ut alibi diximus.

In Annonem Epiſcopum paulò poſt electionem liberaliſſimus fuit Ribho

Co-

Lib. 4. Magnæ
Trad. fol. 85. a.
Fide in Part.
Ab. N. 790.

F. Annonem
Italia Sæc. 9.
Ann. 5. col. 108.
150.

Conſtitutus
ſententia pro
Annone iam.

Quart. Trad. 66.
fol. 81. b.
Pax. Anno N.
791.

Herolfus
Chorepiſco-
pus Frisingen-
ſis.
N. 794.

N. 791.

Comes, qui eum ad se amicè invitavit in *Scropinhusen*, hodie Schrotzenhausen, quod etiam Episcopus noster se conculit. Ibi Comes adhibito suorum consilio atque consensu certis conditionibus adjectis Ecclesie Frisingensi, quidquid Juris ipse eousque in *Scropinhusen* habuerat, dono dedit, curtem nempe cum domo, cum colonis, mancipiis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, fagina, cum terris cultis & inculcis, cum mobilibus & immobilibus, cum quaestibus & inquirendis &c. inter condiciones ea ultimo loco adjecta fuit, ut bona ac Jura illa à se donata Ecclesie Frisingensi nullis unquam temporibus alteri cuidam ad usum concedantur, sed perpetuò ipsi Ecclesie B. V. ad proprios usus deserviant. Id actum est 7. Kal. Mart. 855. Cui donationi proximis Calendis Maji alia successit, qua Kifalbertus quidam, Vir icidem nobilis, res quasdam suas Gelingæ per manus Episcopi ad Ecclesiam Frisingensem Cælorum Regiæ transcripsit.

N. 704.

Subsequentibus Annis ex fidelium in Deiparam Virginem pietate adjecta fuere Ecclesie Frisingensi quàm plura bona ac mancipia de *Zollinga*, *Perchomen*, *Zieholzfeshufum*, *Pilozune*, propè rivulum *Tesito*, *Perchach*, in *Hall* (ut supra monuimus) item in *Ebinga*, *Peralach*, ad *Mosfahum*, ad *Husun*, ad *Tauru*, *Cetlishufum* & *Landpercheshofan*, *Hafalbach*, *Rinepach*, *Pasfinbach*, *Timinhoven* &c. Ubi hæc pauca observamus. Donatio de *Zieholzfeshufen* facta fuisse scribitur in instrumento Anno ab Incarnatione Christi 860. in publica Synodo in monte *S. Stephani*, ubi ossa cum pulvere *S. Alexandri* & *Justini* honorabiliter humata cernuntur; è quibus translatio SS. Alexandri & Justini egregiè confirmatur. Donationem *Wampaldi de Pilozune*, quæ concernebat terras, vineas, prata, silvas, ac plura alia, fecit quidam Comes è *Slavis*, *Chezul* nomine, ad *Divi Corbiniani* honorem anno Christi 861. *Ratisbonæ*. Ex quoniam aliunde constat, eo ipso Anno *Ludovicum* Regem nostrum *Ratisbonam* Comitia indixisse, & Principum quosdam infidelitatis convictos exauctorasse, pronum erit suspicari, Annonem nostrum, ac prædictum Comitem *Chezul* ibidem, *Ratisbonæ* scilicet, invicem familiariter sibi innotuisse. In donatione facta ad *Casam S. Candidi* propè rivulum *Tesito* adverto, Ecclesiam *S. Candidi* eo adhuc tempore manifestè adunatam Ecclesie huic Cathedrali, & *Annonis* Episcopi sacre Jurisdictioni fuisse subjectam. In cæteris donationibus nihil dignum occurrit, quod hic annotetur.

N. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. Observatio- nes ex Docu- mentis alle- gatis.

N. 709.

N. 710.

N. 711.

Sanè Anno noster, cum esset Ecclesie suæ Oeconomus verè vigilantissimus, eam non solum ex aliorum liberalitate, verum etiam ex propria sua industria vidit plurimum locupletatam. Acceperat usque ad ea tempora Frisingensis Ecclesie quàm plurima à Fidelibus Prædia, Jura, atque Opes, de quibus hætenus in Actis Antecessorum Annonis egimus, ingenti sanè œconomice rei augmento, seu quod accedente providi Patrifamilias curâ crescere poterat. Incrementum illud Anno noster fieri posse vidit permutatione quàm plurimum Prædiorum ac Jurium, quæ eousque Ecclesie Frisingensi accesserant quidem, verum ob locorum incommoda, & distantias non eam, quæ sperari poterat, utilitatem afferbant, & in usus longè feliciores cumulationesque redigi poterant. Ea de causa Anno Episcopus assentientibus Monachis ac Canonicis Ecclesie suæ, atque accedente insuper plerumque *Ludovici Regis* assensu per temporum intervalla tot Ecclesie suæ bonorum permutationes fecit, ut, si vel sola ejusmodi prædiorum ac bonorum datorum ac receptorum nomina hic exprimeremus, summâ molestiâ Lectoris animum obrueremus. In Parte tamen altera singula instrumenta plena manu subministrare conabimur. Neque verò sola Annonis nostri in permuandis Ecclesie suæ bonis providentia, ac circumspectio, sed etiam virtus ac spectatissima Pietas rem familiarem auxit, cum sæpè fideles simplicium ab Annone acciperent, duplum aut etiam triplum Ecclesie Frisingensi conferrent, ut sese suffragiorum Frisingensis familiarè redderent participes.

N. Num. 724. usque 817.

x. 737.
S. Juliana,
apud Ifanen-
fes colli soluta.

In his bonorum commutationibus unam reperio, quæ concernebat Prædium quoddam pertinens ad Altare S. Zenonis Ifanæ, ubi (ut additur in instrumento) *Sancta Juliana in corpore requiescit*. Sanè cùm plures, nempe septem S. Julianæ in Romano Martyrologio celebrentur, quænam sit illa sancta Juliana, cujus sacra ipsa Ifanæ servari instrumentum prodit, ex eo colligimus, quod Ifanenſes in noſtra usque tempora diem decimum sextum Mensis Februarii habeant feriatam, qua die in Romano Martyrologio hæc leguntur: *Cumis in Campania Translatio Sanctæ Julianæ Virginis & Martyris, quæ Nicomedia sub Maximiano Imperatore primum à Patre suo Africano graviter caesa, deinde ab Eulasio Præfeto, cui nubere recusabat, variè cruciata, & postmodum in carcerem detrusa, ubi palam cum diabolo conflixit, demum flammis ignium, & ollam ferventem superans, capitis decollatione Martyrium consummavit.*

Porro quis sacras Divæ Julianæ reliquias Ifanam adduxerit, vel in quonam Collegiæ Ecclesiæ angulo eæ fuerint postea reconditæ, ignorant Posterì, donec Optimo Numini placuerit majorem sacri Theſauri cultum Ifanenſibus indulgere. Eas olim in Neapolitana diocæſi quieviſſe, ex epistolis S. Gregorii Papæ octuagesima quarta, & octuagesima quinta ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum datis, probat Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Sanè quod Ifanenſes die sanctæ Julianæ Virginis & Martyris sacra, ab operibus servilibus abſtineant, conforme est legibus Franciis, tempore Caroli Magni fanciis, in quibus cap. 33. hæc legimus. *Et illas Festivitates Martyrum vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parrochia, sancta requiescunt corpora.* Videatur Franciscus Irenicus in *Exageſi Germaniæ*.

Megilo Ab-
bas in Te-
gernsee.

x. 736.

In alia quadam permutatione mancipiorum, inter Annonem Episcopum nostrum, & Megilonem Abbatem facta, advertimus, Megilonem hunc non videri esse alium ab eo, qui in Catalogo Abbatum Tegernſenſium ad ea tempora laudatur: ubi illud eruditus Lector advertet, Megilonem illum in instrumento Permutationis bis vocari *Nobilem Abbatem*, quod paucis eo tempore tribuebatur. Aliam mancipiorum commutationem Anno noſter fecit cum Nepote suo Nobili Arnolde: ex quo Nobilitas sanguinis etiam ipsius Annonis noſtri magis confirmatur.

x. 737.

De Monasterio S. Viti.

Donatio Taconis de Cundharedorf ad *Sconinberg Monasterium S. Viti, ubi prætiosi Martyres Christi Cornelius & Cyprianus corpore quiescunt*, perplexos nos reddit, dubioſque, quodnam sit illud S. Viti Monasterium, de quo in ea donatione agitur. Exstat in Bojaria inferiori castrum dictum Schönburg, medio ferè inter Monasteria Aspacense, & Reicherſpergenſe itinere situm, ubi olim Monasterium fuisse obscura fama prodit. Verùm cùm locus ille non ad Frisingensem, sed Pataviensem Diocæſin pertineat, non apparet, cur membrana eundem concernens Frisingæ fuerit reposita? fortè ex membranis Pataviensibus certiora erui possent. Apud Frisingenses fama itidem obscura tradit, in Collegiata S. Viti Ecclesia, quæ extra Urbis Frisingensis mœnia in Umbilico Tetmontis sita conspicitur, olim Monachos fuisse, quos Egilbertus Episcopus paulò post initium sæculi undecimi in ipsum Montis verticem, nempe ad Monasterium Weichenstephanense transtulerit, Canonicis, qui dictum verticem eousque occupaverant, in S. Viti Monasterium receptis. Verùm an de hoc Monasterio instrumentum agat, ex eo dubitare cogimur, quod nullibi legamus, locum illum aliquando fuisse dictum *Sconinberg*, seu *Schenberg*, quamquàm significatio vocabuli Schenberg (Mons bellus) eidem loco jure optimo tribui poterit, uti omnes videmus. Præterea in ea Ecclesia nulla singularis memoria Sanctorum Cornelii & Cypriani reperitur: ut adeo instrumenti hæc tunc laudati explicationem aliorum judicis opus sit commendare: nisi fortè dicendum sit, memoriam atque Reliquias Sanctorum illorum perisse unà

unà cum Divi Viti Ecclesia, quando ea ab Hunnis sub Divi Lantperti Episcopi Regimine anno Christi 955. fuit crudeliter direpta & exusta, velut inter alios testatur Arenbeckius, cui etiam Proprium Breviarii Frisingensis consonat, nosque suò locò memorabimus. Cæterùm ea donatio alicubi ad Erchamber-ti Episcopi tempora refertur.

In permutatione inter Deotricum, qui *Vir nobilis & Abbas* vocatur, & Annonem Episcopum circa bona in monte Ricano * & Tegarinwac facta, su-^{in Reiberg} spicatur, Deotricum illum fuisse Abbatem Monasterii Tegernbacensis, de quo aliàs supra mentionem ingessimus. x. 256.

§. IV.

Cætera Amonis Episcopi Ornamenta, atque Mors.

Quæ de Annone nostrò memoranda supersunt, ex iis quæ ad nostram noticiam pervenire, compendiò referimus.

Anno Christi DCCCVIII. Indictione I. XVII. Kal. Juoi jussu Ludovici Germaniæ Regis apud Wormaciam civitatem Synodus fuit convocata, in qua non XLV. duntaxat, ut Pagius existimavit, sed LXXX. Canooes fuere conditi, ^{Tom. 5. 2. ed. 711.} ut videre est in Actis Conciliorum apud Harduinum. Huic Synodo, velut ^{Tom. 3. pag. 150.} ex Annalibus Ordinis nostri Mabillonianis docemur, Anno Episcopus noster ^{Anno Episc. interest Synodo Wormacienf.} interfuit. Et quooiam ibi alios quoque Patres, ei Synodo præsentés idem laudatus Mabillonius recenset, non piget eos hic enumerare, ut videamus, quinam sacrarum Sedium Antistites fuerint synchroni Annoi nostro? Itaque Mabillonius in epistola Synodica ejusdem Concilii, qua, inter cætera, fundatio Heresienfis Parthenonis confirmata fuit septemdecim Episcoporum, unius Chor-episcopi, & sex Abbatum oomina enarrat in hunc modum: *His literis* (inquit) *apposita sunt signa Adalvvini Saltzburgensis, Rimberti Hammaburgensis, Alfridi Hildenesheimensis, Guazonis Wormacensis, Salomonis Constantiensis, Amonis Frisingensis, Lantfridi Sabionensis, Ermerrici Pataviensis, Otgeri Rubelacensis, Lintgarii (an Nütgarii) Augustusburgensis, Lamberti Mimigardunfordensis, Thiadrici Mimindensis, Hildegrini Haluerstadiensis, Lintharadi Paderbornensis, Eralt Feridensis, Agiberti Osnabrugensis, Bernardi Chorepiscopi, Heionis Abbatis & Presbyteri, Adalgari Abbatis & Presbyteri, Thiadrici Abbatis & Presbyteri, Bravvardi Abbatis, & Egiberti Abbatis.* Subdit Mabillonius, & nos cum Mabillonio: Hæc Nomina singillatim referre etiam ea de causa visum est, *tum quia desunt in Actis hujus Concilii, tum quia plerique illorum Episcoporum ex Ordine nostro assumpti sunt.* Unde Dominicus Macrus, Ecclesiæ Viterbiensis Canonicus, ac sacre Congregationis Indicis Consultor: ac frater ejus Carolus Macrus, Bibliothecæ Alexandriæ in Archigymnasio Urbis Præfectus, dum in suo eruditissimo Hierolexico agunt de vestibus Clericalibus, in quibus Hieronymus Epistola tertia ad Nepotiaorum colorem nigrum seu album damnar, hæc observant. *Fuit, inquit, color niger per Monachos in Clericos seculares introductus, in illis nempe seculis, in quibus Nigrorum Ordo Cathedralam S. Petri obtinebat. Quare ex eodem Ordine innumerabiles per Orbem ad Episcopatus assumpti, atque nigrum habitum eorum retinentes. Hinc seculares Clerici, cornu subditi, ad superiorum similitudinem eundem colorem nigrum introduxerunt in vestibus.* Sic illi.

Cæterùm ex enumeratione Episcoporum dicti Concilii illud commodum Brixionensium refertur, ut deinceps in Catalogo Sabiooensium & Brixinensium Episcoporum non nudum duntaxat Laotfridi Sabionensis Episcopi nomen re-
pooi

poni possit. Neque dubium est, etiam aliorum quorundam Synchronorum Episcoporum ibi expressiorum rebus aliquam lucem ex Synodali illa epistola affundi.

Anno Episcopi Joannis VIII. primus minor Romanum Organum pneumaticum unicum Organum. p. 182.

Ad Annonis quoque Episcopi laudes pertinet, quod is primus fuerit, qui Organum pneumaticum Musicum, ex pluribus scilicet fistulis, majoribus ac minoribus constans, Summo Pontifici Joanni VIII. ab eodem rogatus unicum Organum transmissit. Id discimus ex Mabillonio nostro Annalium nostri Ordinis Tom. II. ubi, cum de hoc admirabili instrumento à Græcis invento, atque ad Carolum Magnum Aquisgranum transmissio, ac deinde aliis ad ejus imitationem fabricatis egisset, hæc subjungit. Processu temporis exemplum hoc in alias Ecclesias, serius in Monasteria manavit. Organorum usum sub finem sæculi Noni apud Italos ex Germania primùm acceptum fuisse colligimus ex epistola Joannis Papæ VIII. ad Annonem Episcopum Frisingensem, rogantis, ut *Optimum Organum cum Artifice. qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem Musicae discipline sibi aut deserat, aut mistat.* Ita instrumentorum Musicorum omnium facile præstantissimum Romæ, atque Italiæ Frisinga nostra primùm contulit, & magistrum misit, qui eam artem Italos doceret, qua ea gens posthac ceteros Orbis populos longissimè superatura erat & hodiè superat, templis ferè omnibus Annonis nostri laudes resonantibus. Quidsi diceremus, ipsum Annonem (quod diserte optaverat Pontifex) Romanam accessisse, oblatoque Organo ac Organædo sacras quasdam Reliquias Sanctorum Corneli & Cypriani (de quibus supra) Frisingam retulisse? Verùm, Lector, ista non asseverando, sed solum conjiendo dicta pura.

De eodem Annone Episcopo extat hoc antiquum distichon:

*Junxit Oves Agno commissas septimus Anno,
Auxit & hanc aulam primitus exiguam.*

Quo fecit Anno dicuntur Septimus Episcopus Frisingensis?

Ubi advertet Lector, quod, cum Anno dicatur *Septimus*, intelligi debeat *Septimus* inter Divi Corbiniani Successores. Nam si ipsum Sanctum Corbinianum connumeremus, erit Ordine Octavus, uti hætenus luce meridiana clariùs demonstravimus: idemque optimè nobis explicat Poëta Synchronus, qui sub Annone vixit, & scripsit: cujus versus ex pervetusto Codice Inelyti atque Imperialis Monasterii S. Emmeramii Ratisbonæ Mabillonius noster exscripsit, & in Tomum IV. Veterum Analectorum, ac postea in Tomum II. Annalium transtulit. Dicti versus de Episcopis Frisingensibus sic habent:

*Frisingensis enim Sedes hac aula vocata est,
Corbinianus ovans quam Primus rexerat Abmus:
Inde Dei famulus Ermpertus nomine sedit.
Tertius hinc Joseph, præclarus nempe Magister.
Arpeo quartus erat, sacundo famine fretus.
Quintus Apostolicam tenuit pius Atto Cathedram.
Post hunc Histo Pater sedem jam rexerat Abmus.
Ex hinc successit Erchamper Pastor amatus.
Ecce pius sedens præfens nunc Anno gubernat.*

De Annone nostro cum Domestici Episcoporum Catalogi, tum Scriptores quidam exteri narrant, eum bona sua in Run, & Hall, Ecclesiæ Frisingensi dono dedisse. Nullum tamen ejus rei instrumentum hætenus potuimus detegere. Communioni domesticorum Codicum, & Gamsii suffragio Annonis Mors incidit in VII. Idus Octobris anno Christi 875. sacre suæ gubernationis vicefimo primo: cujus Synchronos Pontifices, Imperatores, Reges, atque Episcopos supra jam reculimus. Ajunt, eum in Capella S. Matthæi fuisse appositum ad Patres suos.

Ex hætenus relatis constat, in Chronico Chronicorum Ecclesiastico-Politico Joannis Gualterii Belgæ in serie Episcoporum Frisingensium Annonem nostrum fuisse ponendum, & quidem octavo locò, ubi tamen is penitus non comparet.

CAPUT IV.

De Arnoldo, Nono Frisingensis
Cathedræ Episcopo.

§. I.

Arnoldi Electio.

Arnoldum nostrum quidam Arnulphum vocant. Verùm quia Codex Arnoldi no-
men vult
scribere.
Arnoldo nostro præ cæteris antiquitate vicinior, nempe Liber Se-
cundus Traditionum ac Commutationum Frisingensium, eum con-
stanter Arnoldum appellat, maluimus eidem inhære, cùm non ex
recentioribus antiqua, sed ex antiquis recentiora sint emendanda. Fuisse Ar-
noldum ex nobili prosapia de Erpfenbrunn oriundum, alicubi legimus: quod
quidem ea, qua accepimus, fide amplectimur. Occurrit ex Familia Frisingen-
si Arnoldus quidam Diaconus, qui iustus ab Erchanberto Episcopo Instru-
mentum commutationis, bonorum in *Arsinhusun* & *Rosimbach* Anno Christi
852. conscripsit: & hunc existimamus esse ipsum Arnoldum nostrum, ab obi-
tu Annonis Episcopi in Sedem Frisingensem sublimatum. Reperimus equidem
etiam alium Arnoldum nobilem, & quidem Annonis defuncti Episcopi nepo-
tem, qui cum eodem Episcopo sive avunculo, sive Patruo suo commutatio-
nem fecit. Verùm quia nullo prorsus indicio ducimur, ut eum sive sacro ali-
quo Ordinis gradu initiatum, sive Familiæ S. Mariæ Frisingensi adstrictum fuisse
existimemus, idcirco non est, cur eum Annoni successum fuisse affirmemus.
Electionem Arnoldi concigisse anno Christi 875, ferè omnes Catalogi Frisingen-
sium Episcoporum produunt; alicubi etiam assignatur dies, nempe quarta No-
vembri. Quæ omnia à veritate nihil abludunt.

Arnoldus
alios, Annoni
Episcopi
nepos.

§. II.

Principes Ecclesiastici atque Profani, Sedente
Arnoldo Episcopo.

Joannes VIII. quem anno Christi 872. Petri solium conscendisse memini-
mus, eidem nonnisi annis decem præfuit, & tamen Imperatores duos,
Carolus Calvus, & Carolus Crassus coronavit. Carolus Calvus, Fran-
ciz antea Rex audita anno Christi 875. Ludovici II. Imperatoris morte ocyus
Romam advolans, diadema Imperii à Joanne suscepit, at non nisi usque ad an-
num 877. retinuit, veneno sublatu à Sedecia Judæo, quo is Medico utebatur
uti cum aliis Petavius scribit. Is Quintus à Carolo Magno occidentis Impera-
tor fuerat: cui postea priusmodò anno 881. Carolus Crassus, Ludovici Germani-
ci filius, in Imperio successit, ut suo loco iterùm dicemus. Falli enim eos,
qui inter Carolum Calvum, & Crassum Imperatores Ludovicum, à lingua vido
dictum Balbum, ponunt, post alios Antonius Pagius abunde demonstrat. Ne-
que enim Balbus unquam Imperii, sed Franciz duntaxat Occidentalis coronam
à Pontifice accepit. Carolus Crassus Imperii gubernacula usque ad annum
Christi 888. retinuit, uti rursus suo loco memorabimus. Ipse Joannes Ponti-
fex, qui plures coronas aliis imposuit, deposuit suam 882. postea in Marini
Galli Pontificis Maximi verticem translata.

Carolus Cal-
vus sic Im-
perator.

Caroli. Trup.
part. 1. 66. 8.
cap. 10.
Succedit Ca-
rolus Crassus.

Joanni VIII.
substituitur
Marinus Papa.

Variis inter
Reges facta.

Nova provin-
ciarum in-
ter fratres di-
stributio.

In nostra hac Germania anno Christi 876. primùm Hemma Regina, ac post aliquot Menses ipse Ludovicus Germanicus Sceptris atque Coronis valedixerunt relictis tribus filiis, Carolomanno, Ludovico, & Carolo Crasso. Horum Provincias patruus Carolus Calvus armatus inhiabat. Verùm ope divinâ adjuvus Ludovicus Junior timidum Imperatorem in fugam coniecit: Quâ victoria feliciter obtentâ deinceps fratres relictas sibi à Parente Ludovico Rege Provincias ita inter se fuere partiti, ut Carolomanno natu majori Bavaria, Pannonia, Carinthia & Moravia: Ludovico, quem Juniozem diximus, Orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Frisia & Lotharingæ pars: Carolo denique Crasso (post-hac, ut supra diximus, Imperatori) Alemannia, sive Suevia, & altera Lotharingæ pars obveniret.

Sequenti anno 877. Carolomannus Bojariz nostræ Rex in Italiam profectus in eo Regno Carolo Calvo successit. Ipse Carolomannus anno 879. morti proximus Arnulphum, spurium licet filium, ex Hito winda pellice susceptum, Carinthiis præfecit, eumque Ludovico fratri suo, Germaniz Regi, per tabulas commendavit, mortuus statim anno sequenti, Princeps omni laude dignus, ac præsertim de Ordine D. Benedicti optimè meritis structo Sodalibus nostris Oetingæ Monasteriò ac Templò, cui corpus suum post mortem inferri voluit.

Carolomanno fratre defuncto, Bojariz habenas frater ejus Ludovicus Germaniz Rex anno Christi 880. suscepit, relicta Arnulpho Carinthiz Præfecturâ. Variis postea bellis & incommodis egregiè perfunctus anno Christi 882. ipse quoque diem supremum clausit: cui postea Carolus Crassus Imperator, Ludovici junioris, ut vidimus, frater in tot illarum Provinciarum regimine successit: qui cum anno Christi 883. in Italiam ad Marini Pontificis alloquium profectus esset, à peste ope Divi Alexandri eximitur, cujus sacros cineres Bergomi veneratus est, ut Brunnerus scribit. Sanè quisnam sit hic S. Alexander, Caroli Crassi Imperatoris evergeta, nobis incompertum est, maximè cum in Romano Martyrologio plures quàm triginta Sanctos Alexandros reperiamus annotatos. Sanè Carolus compositis Italiz rebus eodem anno in Germaniam regressus est. Et hi quidem erant Italiz ac Germaniz Supremi Principes, quo tempore Arnoldus noster Frisingensibus sacra Jura administravit.

Archiepiscopi
Salisburgen-
ses.

Salisburgenfi Sedi ab an. Christi 872. usque ad annum 879. Adalbertus: deinceps Theodeinarus usque ad annum 907. Archiepiscopi præfuerunt, viri sanè præstantissimi, de sua Ecclesia & Republica Christiana optimè meriti, de quibus plenius agit in Historia Salisburgenfi, ad quam Lectorem remittimus.

§. III.

Gesta & Mors Arnoldi Episcopi.

Arnoldi nostri Pontificatus magis utilibus bonorum commutationibus, quàm donationibus illustratus fuit. Erat adhuc inter vivos Ludovicus Germaniz nostræ Rex, cum quatuor ejusmodi tractatus Arnoldus iniret assentiente tum ipso Rege, tum etiam Canonicis & Monachis Frisingensibus. Primus evenit inter Arnoldum Episcopum nostrum, ac Erimbertum Comitem, cum Episcopo Comiti cederet bona quedam in Ifana; Comes verò alia bona in Pidlhach Episcopo assignaret. Ea permutatio jam antehac equidem decreta fuerat sub Annone decessore: ast hujus confirmatio secuta primùm fuit sub Arnoldo Episcopo, Ludovico Rege Frisingæ præfente, uti ex instrumento rectè videtur deduci.

Mon. 770.
179. m. l. m.

N. 858.

Altera permutatio instituebatur inter Arnoldum Episcopum, & Amalrichum

chum Nobilem, quando Episcopus Amalricho dedit curtem de *Pettimbach*: in hujus verò vicem ab eo alia Jura in *Hruodineshofen* accepit.

In tertia permutatione Arnoldus alii Viro Nobili, Herimperto nomine, cessit bona quædam in Pelheimb, bonis aliis in Holzhausen Ecclesiæ suæ ab illo Nobili Ecclesiæ Frisingensi concessis. N. 119.

Quarta permutatio concernebat alia bona in *Kermerswanc & Ilmina*. Kermerswangenſia bona Hepaharto Nobili Arnoldus attribuit: Ilminensia verò Cathedrali suæ Ecclesiæ ab eodem acquisivit. Et quoniam Ludovicum Regem jam decessisse anno Christi 876. Mense Augusto diximus, nemo non agnoscat, hosce tractatus, consensu Ludovici Regis factos, jam fuisse susceptos præcedentibus sive Annis sive Mensibus: ubi dolendum sanè est, in instrumentis sub Arnoldo Episcopo confectis notas Chronologicas roties fuisse omisſas. N. 121.

Sub Carolomanno, Ludovici filio, Bojarix Rege Arnoldus Episcopus permutavit bona quædam in *Ahalob*, & *Moresfurt*, ac *Hrammesbach*: pro quibus eidem Episcopo Kerhobus nobilis, Ermicho nobilis, & Alprichus nobilis attribuerunt alia bona tum in *Ahalob*, seu Allach, tum in *Afinhusin*. A Viris quoque Nobilibus Sigiberto Presbytero & Fratre ejus Fridarico Arnoldus alia bona in dicto vico *Allach* obtinuit, iisque in compensationem mancipia quædam dedit, idque cum consensu & conventia Canoniorum seu Monachorum, etiam & per licentiam Karolomanni Regis. N. 122. 123. 124. 125.

In universas Carolomanni Provincias successisse Ludovicum Regem, dictum Juniorem, supra vidimus. Sanè an non aliquæ permutationes sub Ludovico Germanico à nobis recensitæ, ad hunc Ludovicum Juniorem potius referendæ sint, oemo facillè discernet, cum & Nomina Regum diversitatem non habeant, & instrumenta notis Chronologicis destituantur.

Postbac, Carolo Crasso Imperatore anno 882. Rerum Bojarix potito, reperio duas alias permutationes, ejus assensu peractas. Prima inter Arooldum Episcopum, & Virum Nobilem Meginberum dicitur facta esse anno 883. Indictione XV. Anno ejusdem Caroli Imperatoris primo, quod de adito Bojarix domoatu, Lector, accipe, quem is, ut modò dicebamus, anno primùm superiori obtinuerat: Altera instituta memoratur eodem quidem etiam anno, ast seriatim, cum jam subintrasset Indictio I. & annus non quidem Boici Regiminis, sed Imperii ejus Tertius numeraretur. Quædam bona in priori illo tractatu fuerint data & accepta, non exprimitur in Instrumento. Posterior concernebat bona quædam in *Erphenbrunn*, quæ Episcopus Wicdarpo nobili, & uxori ejus Alfsuodæ dedit, & alia ad *Cellam*, quæ ab his recepit. N. 126.

In horum Instrumentorum ultimò advertimus, illud fuisse scriptum præcepto Arnoldi Episcopi à Paldrico Cancellario, quale officium, aut certè officii vocabulum a pud Frisingenses hætenùs, si benè meminimus, nunquam occurrit. Paldricus, primus Cancellarius Frisinge.

Superessent hic recensendi multi alii ejusmodi tractatus commutationum; verùm tot casus sibi semper simillimos coacervando non nisi nauseam Lectori afferremus. Io Altera tamen Operis Parte plures recensèbitur. A Num. 128. usque ad N. 139.

Hic id unum nihilominùs monemus, mirum nobis videri, cur in tot membranarum illorum Tractatuum plerumque nulla amplius fiat mentio sive Canoniorum sive Monachorum, neque memoretur, eorum consensum fuisse adhibicum, tamen quædam commutationes fuerint satis notabiles, ad quas ejusmodi consensus omninò necessarius fuisse videri queat. Verùm censendum est, ejusmodi consensum non defuisse, ac fortassis iis, qui sæpè dictæ familiæ adscripti fuerant, satis fuisse, Arnoldi fidei totum committere. In permutatione tamen quadam cum Megilone Tegernseensis Abbate facta, consensus totius familia omninò exprimitur. N. 137.

Cæterùm ii, qui ante nos universa tabularia Frisingensia summo studio, & attentione evolverunt, notant, Arooldum videri fuisse è Divi Benedicti R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. S. 2. Et An Arnoldus è Benedictinis fuisse olim Episcopus Frisingensis? N. 138.

di Ordine ultimum Frisingensem Episcopum, ac post ejus decessum vitam Monasticam in hac Ecclesia defecisse, cum deinceps nulla amplius Monachorum Frisingensium mentio occurrat, sed Canonicorum tantum. Huic conjecturæ suffragatur fama illa, de qua supra egimus, quæ inter cætera tradit, Monachos quosdam nostros à Monasterio Frisingensi (quod centum quinquaginta circiter annis incoluerant, & non modicis opibus repleverant) migrasse in vicinum S. Viti Monasterium, ac demum seculò Christi undecimò translatos fuisse Weichenstephanium. Crescit etiam eadem conjectura ex eo, quod in Divi Lantperti Frisingensis Episcopi actis refertur, ubi scribunt, Ecclesias Sanctorum Viti & Stephani extra Frisingam ab Hunnis fuisse exultas, ut ad eò certum saltem sit, Ecclesiam S. Viti ante ea Hunnorum tempora extitisse, ac floruisse. Porro eidem S. Viti Ecclesiæ Monasterium fuisse adjunctum, superius sub Annone diximus, ubi de Divi Viti Monasterio disseruimus. Verum utcuque ista se habeant: non deest tamen argumentum, etiam Waldonem Successorem Ordinis Benedictini fuisse alumnum, ut suo loco videbimus.

Arnoldi Ep.
laudes.

Affirmant domestici Episcoporum Catalogi, Arnoldum nostrum doctrinæ ac virtutis laude, ac Divini cultûs, atque salutis animarum promovendæ zelò excelluisse, inter suos omnia ritè ordinasse, atque rem œconomicam egregiè administrasse, vitamque ac conversationem ejus omnibus acceptam gratamque fuisse. Gualterius Belgæ addit, eum etiam Ecclesiam Cathedralè ampliâsse, quod domestici quoque quidam Codex asseverat. De illius extra Diocèsim itineribus aut extranearum Aularum frequentatione legimus nihil. Ita demum in pace quievit XI. Kal. Octob. annò Christi 883. nondum expletò: completò tamen sui Episcopatus octenniò, Carolo Crasso Imperatore Augusto, ac Bojariæ Rege: Marino Pontifice Maximo, ac Theodemaro sive Dietmaro Salisburgensi Archiepiscopo, S. Petri Abbate: sedentibus Ratisbonæ Embricene. Patavii verò Engelmaro, Episcopo. Sepulchro illarum est Arnoldus propè Aram Sancti Matthæi, ubi plures Prædecessores Episcopi tumulum accepere. Ibi corpus illius repertum est in Sarcophago è Saxo arenario (quale Ulmæ reperiunt opifices asseverant) egregiè fabricato, cum anno Christi 1701. die 13. Aprilis Celissimus Princeps & Episcopus noster Joannes Franciscus totam Cathedralè Basilicam marmore sterneadam suscepisset. Plura de Arnolde hætenus non invenimus. Gamsius in Excerptis ex vetustissima Liturgia Frisingensi, decessum Arnoldi ad X. Kal. Octobris reponit.

Obitus.

Tumulus.

Arnoldi nostri tempore, & quidem anno Christi 877. Exercitus Bojorum ex Italia redux pestis quoddam infelicum genus in Bojariam attulit, quo ii, quos natura ad sternutandum urserat, subito corrûere mortui: unde p̄i fideles, cum aliud auxilii genus in eorum manibus non esset, sternutantibus acclamare solebant: *Helf dir G!Dt!* seu: Deus tibi sit auxiliator! quod pium precandi genus hodièque Germani nostri retinent. Ea de re Maufolzum Divi Emmerasii agit. Anno Christi 878. Sighardus primus Semptensis Comes excisâ silvâ Carnodunensi tunc temporis, nunc Eberspergensis dictâ, Divæ Tutelari Virgini facellum ponere cœpit, quod biennio post, ipsis Calendis Januarii ritè dedicatum fuit ab Arnolde nostro, non verò Annone Episcopo, qui eo tempore jam obierat, uti ex præcedentibus manifestum est. Annua consecrationis memoria in quintum diem, seu pervigilium Epiphaniæ translata, etiamnum Eberspergæ solemnè officio in gratiarum actionem sanctiæ primitiis eo loci Religiosis celebratur, ut P. Adamus Wide Societatis Jesu in suo *Dirvo Sebastiano Eberspergensis* nos edocuit.

Novum pestilentis generis in Bojaria.

Eberspergæ excitatur & consecratur templum R. M. V.



CAPUT V.

Waldo, Frisingensis Ecclesiæ Episcopus decimus.

§. I.

Patria, genus & Electio Waldonis.

IN illis, quæ hæcenus de rebus Frisingensibus in lucem produximus, Instrumentis illud discriminis rursus attendimus, quod in actis primorum quidem Episcoporum ferè semper adducta atque expressa fuerint nomina testium non extraneorum tantùm, verùm etiam eorum, qui erant de familia S. Mariz, & quidem, ut sæpe diximus, Benedictina. Successu tamen temporis ea res in desuetudinem abiit, nec nisi consensus Canonicorum seu Monachorum solebat aliquando exprimi, nominibus eorum silentio premissis, quæ consuetudo ad nostra usque tempora propagata fuit. Inde verò illud incommodi natum est, ut, cum nullius, præterquam Episcopi, nomen in posterioribus illis instrumentis reperitur expressum, sciri non ita expedite possit, num Successor Episcopos antehac membrum fuerit Frisingensis familie? quod idem nobis accidit circa Waldonem (aliis Baldonem, & Waltonem) de quo illud solum factis certò constat, eum fuisse electum, ea libertate, quâ prædecessores Episcopi omnes electi fuere: id enim iterum rectè concludimus ex diplomate Hludovici Regis, eo nomine tertii, quod ipse Waldo ab eodem retulit, ut infra plenius demonstrabimus.

An Waldo fuerit membrum gremii Frisingensis?

Videmus alicubi genus Waldonis nostri illigari illustrissimæ Prosapie Comitum de Achenloë in Franconia: Verùm ex quo argumento id legitime concludi possit, nobis hæcenus perspectum non est. Suevis verò, perquam notum fuisse Waldonem, ex eo fit manifestum, quod non solum Frisingensi, sed etiam Campidonensi Ecclesiæ præfuerit, uti suò locò ostendemus. Interim ex Abbatis Officio apud Campidonenses gesto conjecturam haud fortè inanem ducimus, eum fuisse Ordinis S. Benedicti Alumnum. Neque obstat, quod Waldo, antequam fieret Episcopus, anno 882. fuerit Caroli Crassi Imperatoris Cancellarius, dum eo nomine Diploma foundationis Collegiæ Ecclesiæ S. Bartholomæi Francofurti recognovit, ut Bernardus de Mallinkrot tradit: Nam ut idem eruditissimus Scriptor in præcedentibus demonstraverat, non Archicancellarius & Cancellarius tantum, sed & reliqui scribe seu Notarii non ex alio, quam sacro Ordine, & Ecclesiasticorum numero assuuebantur: quod notissimum esse ex antiquis diplomacibus idem Scriptor contendit, quem Lector consulat. Unde nemo mirabitur, tot passim Cancellarios in Cathedras Episcopales fuisse sublimatos, quem gradum utique nunquam consecuti fuissent, si uxores habuissent, aut vitam merè laicalem duxissent. Et quoniam hic de Cancellariis, toties in instrumentis Imperatorum Regumque occurrentibus mentio incidit, iuvat eorum munus ex laudato Bernardo à Mallinkrot strictim exponere. Sic igitur ille habet. *Cancellarius, inquit, & Magistri Epistolarum & Logotheta, (seu præfecti ratiociniorum) & quæstoris munere fungitur, interque Consiliarios principem, vel primo saltem proximum obtinet præminencia locum, adeoque plerisque in locis, ubi Proprincipem aut Præsidentem moris non est præficere, Regimini præest, ac consilia statius, Domini sui vice, moderatur, dirigitque. In eo requiruntur scientia, prudentia, innocencia, elo-*

Quis pro-

Fuit Cancellarius Caroli Crassi. De Actibus. t. 2. l. pag. 19. pag. 6.

Qualitates Cancellarij. pag. 1.

pag. 2.

142 3. *quentia, experientia, conscientia. His optimè junguntur constantia, vigilantia, moderatio, & commiseratio. Hæc boni Cancellarii idea est. - - Hujus partes sunt, operam dare, ne quid contra prudentiam peccetur, id est, contra veram & nullis fucatis fraudibus Statûs, quam vocant, Rationem: ne quid contra justitiam, sine qua, ut scribit S. Augustinus, nil aliud sunt magna Imperia, quàm magna atrocinita &c. - - Hujus est operam dare, ut consultanda rellè proponantur, ut proposita debite definiantur ut definita fideliter expediantur. - - Compensandum denique omnis ad Cancellarium pertinentis officii in duobus his consistit, primò: ut DEO magis, quàm homini placere studeat. Secundo, ne suam Principis sui autoritate postorem habeat. Hæc Mallinkrotius: è quibus Lector virtutes eorum, qui ad Cancellarii munus olim evecti fuerant, metiri potest, quas in Waldone quoque nostro fulsisse nemo negaverit, cum is à Cancellarii officio etiam ad Episcopalem Cathedram gradum fecerit.*

Quo anno
electus fuerit?

142 4. *Sanè Electionem Waldonis evenisse circa finem anni 883. credimus: de die verò nihil certi statui hætenùs à nobis potest: quod nemo mirabitur, cum etiam circa annum & diem electionis ipsorum etiam Summorum Pontificum dubia aliquando occurrant, uti eruditi nôrunt. Porrò Waldonem etiam post sui electionem aliquando Cancellarii munere fuisse functum docet tum sæpè laudatus Mallinkrotius, & constat etiam ex diplomate Caroli Crassi, quod in favorem Ecclesie Tungrensîs & Leodiensîs dedit Kal. Julii anno Incarnationis Domini 884. Indictione 2. Metis; quod instrumentum Waldo Episcopus ad vicem Luithwardi Archicancellarii recognovit. Qua de re consuli potest Baronius ad annum Christi 881. N. VIII. Et quoniam non solùm dicto anno Christi 884. verùm etiam duobus sequentibus annis nihil à Waldone Frisingæ gestum reperimus, vel eo nomine suspicamur, cum in Imperatoris aula atque itineribus fuisse distentum. Alius Waldo, Curienfis Episcopus, teste P. Gabriele Bucellino nostro, primùm anno Christi 913. Sedem Curicensem adiit.*

913. an. sic.
part. 2.

§. II.

Ecclesie, Imperii ac Bojarie status, usque ad annum Christi 889. ubi etiam de Waldone nostro.

Mazino Pon-
tifici succedit
Hadrianus.

Turbæ in
Imperio.

Waldone Mytra Frisingensi condecorato supererat adhuc Marinus Summus Pontifex, qui tamen statim anno 884. 15. Kal. Februariæ vitam posuit, & Petri Cathedram Hadriano III. Pontifici conscendendam reliquit. Sedit hic non ampliùs uno anno: quo ipso tempore crescentibus assiduò Germanorum Gallorùmque Regum Carolingorum dissidiis, bellisque tum adversus Nortmannos tum Moravos susceptis, Itali à Saracenis ex Africa identidem advolantibus dirè vexati, collatis consiliis Hadrianum adièrunt, eumque tam precibus quàm minis adegerunt, ut decretum ederet de non alio, quàm Italo ad coronam Imperatoriam admittendo, si Carolus absque hærede mæculo decederet: aliàs enim prospectum non iri Ecclesie atque Italie, quæ hætenùs tantas tum montis Cassini, tum ipsius Urbis, aliarùmque Provinciarum depopulationes esset experta, nemine Imperatorum opem ferente. Profusio hæc erat fatorum Carolo Crasso imminentium: qui non ita multò post etiam Gallorum ac demùm Germanorum quoque odia incururus erat.

Bojarie Sta-
tus.

Bojaria nostra eodem anno graves calamitates perpeffa est, cum de præfectura limitum versus Orientem exorta esset gravissima contentio, quæ demùm nonnisi post diras vicinæ illatas clades utcumque sedata fuit, quas Brunnerus latius describit.

Anno Christi 885. Hadriano Pontifici successit Stephanus VI. al. V. Caro-
 lus verò Imperator, Crassus dictus, etiam Galliaz Regnum obtinuit, ut jam
 amplitudine ditionum Regnorúmque nihil cedere videretur ipsi Carolo Magno,
 quippe qui Germaniam, Galliam Italiámque, adeóque univèrsam Romanum
 Imperium sceptro solus moderabatur. Is Galliaz quoque diademate positus,
 cum nihil ibi Regia seu Imperatoria Majestate dignum gessisset, nullo sui desi-
 derio apud Gallos relicto, Ratisbonam in Bojariam nostram hibernaturus re-
 cessit, ubi pax inter Zwentbaldum Moravorum Ducem, ac Arnulphum Ca-
 rantanorum præfectum constituta fuit. Illic Carolus Imperator Ricchardem
 Augustam adulterii postulavit, atque in concione nunquam se eam contigisse
 edixit. Posthæc Luithwardus Vercellenfis Antistes, qui summum apud Im-
 peratorem locum eousque obtinuerat, in stupri suspensionem adductus, loco
 cedere compellitur. Ricchardis, ut criminis suspensionem à se amoliretur, in-
 nocentiam suam candentis ferri tractatione demonstrare paratam sese esse con-
 testata est. Hinc innocens quidem habita, secuto nihilominus divortio, in
 Andelacensi à se excitato Parthenone meliori sponso Christo sese devovit, at-
 que usque ad obitum ita religiosè ei deservit, ut postea in Album Sanctorum
 referri meruerit. Interea repudiata uxore Crassus noster corpore languidiori
 esse cœpit: Conventum nihilominus mense Novembri ad festum S. Martini Fri-
 burias anno Christi 887. indixit, in quo de bono publico tractandum esset.
 Ibi Germani quoque nostri, nempe Franci, Saxones, Boji & Alemanni, qui
 soli hæctenus Carolo æqui persistenterant, eum tractandis rebus parùm consilii af-
 ferre experti, atque aliàs etiam ob Imperatricem turpiter dimissam offensi,
 communi consilio ab eo discesserunt, eique Arnulphum Carolomanni Regis
 ex pellice filium, Carantanorum hæctenus Ducem successerunt, qui etiam regni
 habenas exemplò suscepit. Tanta verò erat à Carolo univèrsorum ferè sta-
 tum defectio, ut intra triduum vix quispiam esset, qui ei solatium impen-
 deret, uno excepto Luiberto Moguntino Antistite, qui ei saltem vitæ neces-
 saria ministravit. Itaque desperatis rebùs inops & miserabilis Carolus ab Ar-
 nulpho novo Rege precariam stipem exorare coactus, atque anno insequen-
 ti, Christi 888. ærumnis confectus, in Monasterio Augiæ divitus ad aram B. V.
 tumulum accepit, ne funeralibus quidem exequiis supra plebejos admodum
 honoratus, ut dicant Principes, nihil malorum esse, à quo ipsi, si Deus vo-
 luerit, immunes sint. Tam dura Caroli fata ejus in regno ac postea Imperio
 successor Arnulphus potissimum tribuit periculose illi liberalitati, qua is Em-
 briconi Ratisbonensì Episcopo Abbatiam S. Emerammi concessit. Verba Ar-
 nulphi in quodam diplomate hæc ipsa sunt. *Omnium*, inquit, *Successorum*
nostrorum magnitudo cognoscat, postquam patruus meus Carolus Imperator pro-
petitione Embriconis Episcopi S. Emerammi Ecclesiam præstavit, nunquam po-
stea habuit victoriam, neque corporis & anime sanitatem usque ad finem vi-
tae suæ. Qua de re agit P. Gabriel Bucelinus in Annalibus Germaniæ ad annum
Christi 886. Ferunt nihilominus, Carolum Crassum posthac quibùsdam pro-
digiis à morte illustratum posthumà saltem glorià claruisse. Certè Regino Pru-
mientis Abbas post elapsos ab illius obitu 20. annos celebrem de eo Panegyri-
cum dixit ac scripsit. Ea de re passim tractant Historici, è quibus nos Mabil-
onium, Pagium atque Mezgerum secuti sumus. Conferri etiam possunt Otto
Frisingensis & Divi Emerammi Mausolæum. Sanè Waldonem nostrum aliquid
ad exauctorandum Carolum sub suffragiò contulisse nunquam nobis persuade-
bimus, cum Caroli benevolentiam diu expertus, Imperatorem rebus suis æ-
quiores sibi exoptare non potuisse videatur. Et fortè non absque Waldonis
consilio vitam claudere, ac sepeliri Carolus voluit in Monasterio Augiæ divi-
tis, cui si non votis religiosis, certè affectu ingenti ac societatis scedere Wal-
do addictissimus fuisse videtur, uti ex Joannis Egonis Libro de virtus illustri-
bus Augiæ divitis apud Clarif. P. Bernardum Pezium conijcimus.

Stephanus VI.
 PP.
 Caroli Crassi
 potestatis.

Ricchardis
 Augusta fit
 Monialis.
 Inducit Ca-
 roli Crassi
 festinam.

Et Arnulphus
 substituitur.

Miseri Caro-
 li Crassi con-
 dicio.

Quid potissi-
 mum pecca-
 vit?

Potè obitum
 non inglo-
 riosus
 loh. 6. cap. 9.
 cap. 6.

Tom. 2. p. 1. 4.
 med. col. 719.

Illud

Illud hic cum aliis merito animadvertimus, in Caroli exaustoratione atque Arnulphi electione Germanos primam sibi viam stravisse ad Imperatores libere posthac deligendos, cum non immerito iis tum repetitæ divisiones regnorum, tum iurgia assidua inter Nepotes magni Caroli displicuerint, quamquam ipse etiam Arnulphus Carolingici Sanguinis expertus non fuerit. Dubitant tamen aliqui, nec immerito, an iidem Germaniæ proceres deinceps in liberis Regum ac Imperatorum electionibus non domesticas potius, quam publicas rationes aliquando attenderint?

Waldonem nostrum tempore Caroli Crassi Imperatoris de rebus Ecclesiæ suæ fuisse perquam sollicitum, ac plures utiles bonorum permutaciones fecisse, ex dicendis apparebit. Quoniam verò in instrumentis ejusmodi commutationum nec Christi, nec Imperatoris annos designatos deprehendimus, de iis veluti tempore incerto actis, infra strictim agemus. Extat enim saltem unicum instrumentum, in quo narratur quædam permutatio facta per licentiam Domini Caroli piissimi Imperatoris: in qua commutatione Waldo noster nobili Viro Adalberto dedit ad *Hrotam curtiferum unum cum pomario*, & de terra arabili jugera 15, atque ab ipso Adalberto tantundem pro Ecclesia sua Frisingensi alibi recepit.

Concilio Moguntino anno Christi 888. celebrato interfuisse Waldonem nostrum, discimus ex illius decreto super libertate Monasteriorum Corbeje novæ & Herfordensis, cui inter cæteros Episcopos etiam Waldo noster subscripsit. Extat illud decretum apud Mabillonium in Annalibus tom. III. ubi videri potest. Idem confirmat Bernardus Mallinkrot in laudato de Archicancellariis S. R. L. Opere, ad quod Lectorem remittimus. Waldonem Episcopum etiam Campidonensi Monasterio præfuisse docemur ex præcepto Arnolphi Imperatoris, dato Anno Christi 989. quod in parte altera referimus.

§. III.

De rebus Ecclesiæ, Imperii, ac Frisingensibus ab anno 889. usque ad 900.

Novæ in Imperio risæ.

ARnulpho à Germaniæ proceribus in Caroli Crassi locum successore tam Romanum Imperium, quam Galliæ Regnum aliquamdiu fluctuavit. Ita li in duas partes divisi, pars Berengarium, Eberhardi Foro-Julienensis Ducis filium: pars verò Widonem Spoletanum Ducem in Regem aut Imperatorem sibi poposcere. Burgundiæ Regnum Rudolphus Comes sibi postulabat. Odo Parisiorum Comes ob immaculatam Caroli Simplicis ætatem Galliam ambiebat. Arnulphi tamen armis paulò post factum est, ut rivalet Eidem fierent supplices, eoque demùm pacto Galliæ Regnum Odo, Italiam Peringarius, Rudolphus Burgundiam meliore jam titulo obtinerent. Ast non idcirco Arnulphus sine curis fuit, Widone Perengarium bis acie victum ex Italia ejiciente, ac principibus in diversa studia abeuntibus, ut adeò congeretur Stephanus Pontifex Arnulphum ad componendas Italiæ turbas eò evocare. Verùm Arnulphus turbatis etiam in ipsa Germania rebus votis Pontificis satisfacere non potuit, atque insuper Germaniæ rebus adhuc graviora pericula imprudens sanè liberalitate conscivit, cum Zwentibaldo Moravorum Principi invitos Bohemos subjeceret, opesque ac vires illi adderet, nonnisi in rebellionem paulò post exerendas.

Sopiantur.

Sed non totæ.

Stephano VI. a. V. Pontifici Anno Christi 891. absque singulari gloria emortuo subrogatus est Papa Formosus nomine, re ipsa verò eidem parùm gloriosus, ut passim Scriptores tradunt. Interea Waldo Episcopus noster conciliatis

Formosus
Papæ.

fiatis sibi Arnulphi Regis favoribus eodem anno insignem ab eo donationem impetravit. Habebat Arnulphus (sive Arnolfus) Rex in quadam Sclavinia, hodie Carinthia parte, prope *Liburnam*, hodie *Lirmsfeld*, ad Dravum fluvium prope urbem *Spittal* dictam, Capellam quandam, prædiis, familiis, mancipiis, decimis, censibus, agris, pascuis atque aliis id genus bonis egregiè dotatam. Eam Arnulphus ad Waldonis Episcopi nostri preces Frisingensi Ecclesie propriam esse voluit, ita tamen, ut (si bene Diploma interpretamur) pars aliqua honorum illorum cederet in usus Ecclesie Wertensis, in Carinthia sitæ, & honoribus sanctorum Christi Martyrum Primi & Feliciani consecratæ. Datum fuit Diploma apud *Matabove* (fortè hodiernum *Matikoven* in Bojacia transœnana) 12. Kal. Augusti Anno Incarnationis Domini 891. Additur in quibusdam hujus præcepti recentioribus exemplaribus, Capellam illam fuisse olim à Zacharia Pontifice ob amorem *Pippini Regis* sacris ritibus iniciatam. Verùm cum Zacharias Papa eodem anno obierit, quo Pippinus inunctus fuit, nescimus, num ea Recentiorum interpolatio fidem mereatur, càmque existimamus nonnisi ex obscuro vulgi rumore in recentiora apographa irrepsisse.

Cæterùm illud hic monere visum est, in vicinia illius Capellæ hodièque passim erui vetera quædam monumenta, ut credibile sit, locum antiquis Romanorum temporibus fuisse perquam celebrem. De loco Carinthia *Werth* alibi recurrit mentio: Diploma Arnulphi in parte altera exhibemus.

Cùm interea eodem anno Arnulphus misso adversus Nortmannos exercitu magnam cladem ad Mosam fluvium accepisset, Re. reparato exercitu advolans, ad Tiliam amnem victoriam omnibus futuris sæculis memorandam retulit cæsis hostium centum prope modum millibus, post alios Bucelinus noster notavit.

Proximò hiennò Arnulphus Zwentibaldi perfidiam, imperium detrectantem, armis, ac maxime Divi Emmerammi ope ita compefcuit, ut is demùm didicerit fastidire Regnum, cucullum monasticum eligere, atque in eo usque ad vitæ exitum quietiùs delitescere. Neque verò interea cessantur turbæ in variis regnis, & regnorum partibus, quas singulas enarrare non est propositi nostri, quibus satis est hic meminisse, in iis temporum acerbitatibus Arnulpho Regi è legitimo thoro natum esse filium Ludovicum, quem sacro lavacro S. Adalbero, ex Abbate Elvacensi Episcopus Augustanus tinxit, Hatto Moguntinus Archiepiscopus, olim Augiensis Monachus, è sacro fonte levavit, suo tempore Waldonis nostri curis, (ex Brunneri sententia) educandum. Parens ipsius Arnulphus Anno 893. quandam honorum commutationem inter Waldonem Episcopum, ejusque Vasallum Jacobum ratam habuit, quam consuetiori loco cum aliis producemus.

Anno Christi 895. celeberrimus sacrorum Antistiticum Coventus Friburæ non procul Moguntia ab Arnulpho coactus fuit, in quo ad extirpandas hæresum radices, ad tollendas Schismatum occasiones, ad corrigenda Clericorum vitia, ad præcavenda populorum scandala, ad reformandos mores etiam laicorum, LVIII. Canones fuere conditi. His post Hattonem Moguntinum, Hermanum Coloniensem, & Rathorum Trevirensis Archiepiscopos, proximus, & ante omnes alios Episcopos *Waldo Frisingensis Episcopus* subscripsit.

Eodem anno Waldo Episcopus ab Arnulpho Rege Monasterii Mospurgenfis defensionem, ac fructus quosdam accepit sequentem in modum, qui in diplomate exprimitur, quod subjungimus.

IN Nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis Arnolfus divina favente Clementia Rex. Si de rebus terrenis, quibus Dei gratia largiente præ cæteris mortalibus ditati sumus, Ecclesiis in honore sanctorum Electorum constru-ctas, nostræ regalitati subactas sublimare studemus, non solum ad diuturnam

regni

Arnulphus
erig. Frising-
ensem Ecc-
lesiam h-
beralis.

X. 905.

Varia Arnulphi fortiana.

pid. Anal.
Germ. ad an-
891.

Zwentibaldus
fit Monachus.


Arnulpho na-
torum filius
Ludovicus.

X. 909.

His Con. edit.
Harden. d. col.
411. Anal. Po-
derborn. ad hanc
annum.

Waldo Epi-
scopus obit-
net Advoc-
acum Mona-
sterii Mospur-
geniæ.

regni nostri stabilitatem, verum etiam aeterna felicitatis gloriam adipiscendam id nobis optimum esse credimus. Idcirco namque cognitum esse volumus industria omnium Sancta Dei Ecclesia fidelium nostrorumque praesentium scilicet & futurorum, qualiter nos pro aeterna remunerationis incremento, nec non Karolomanni cari patris nostri anima remedio, caterorumque Regum antecessorum videlicet nostrorum diva memoria, verum etiam per interventum Waldonis venerabilis nostri Episcopi & per ejus assiduam fidelis obsequii benevolentiam ad sedem Frisingensis Ecclesia in honore sancta Dei Genitricis semper Virginis Mariae consecrata quoddam Monasterium Mosaburch nuncupatum, in veneratione Christi Martyris beati Castuli constructum, cum curtibus, edificiis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, vineis, Terris cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, cunctisque adpenditiis ad idem Monasterium juste legitimisque pertinentibus post obitum dilecta Matris nostrae Liutfringide proprietario jure concessimus. Eo nempe tenore, ut supradicto Monasterio propriis privilegiis liceat uti, Clericis etiam ibidem ad sanctum altare servientibus cum omni adminiculo stipendii in eodem loco ut vacent orationibus bene procuratis sub mundiburdio & defensione praefata sedis, id est, Frisingensis Ecclesiae Episcopi, ipso Episcopo in omni usu & utilitate sui arbitrio & dispositione fruendum aeternaliter decernimus. Fuissemus quoque hoc praesens Largitionis nostra exinde conscribi praeceptum, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut jam dictum Monasterium sine ullius Successoris nostri impedimento per omnia labentis mundi tempora proprie possidendum consistat. Et ut haec auctoritas nostra firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem, manu nostra subiectis eam roborantes, annulo nostro fuissemus sigillari. Signum Domini Regis,



pissimi Regis, Wichinch Cancellarius ad vicem Deotmari Archicappellani recognovi. Data XIII. Kal. Augusti. Anno Incarnationis Domini DCCCXCV. Indiē. XIII. Anno VIII. Domini Regni Arnolphi pissimi Regis. Actum Mosaburch feliciter in Dei nomine. Amen.

Ita ibi. Nos istud diplomae eo sensu accipimus, ut Episcopo Frisingensi perpetuam Monasterii Mospurgenis defensionem conceditam fuisse censuimus, ita tamen, ut structurae Ecclesiae illius, ejusque familiae congrua portio relinquere, ceteris, quae superessent, in usum Ecclesiae Frisingensis destinatis.

Eodem anno Bohemiam Christo fuisse adjunctam per Sanctum nostrum Methodium, S. Andreae in urbe Monachum, Borosvoio Duce cum Ludmilla Coniuge salutariter lavacro expiatis, Bucelinus noster post alios testatur.

Proximo anno, Christi 896. Arnulphus Rex variis eo tempore praelii in Italia perfunctus, & in aliis regionibus rebus utcumque compositis non inglorius, tandem velut strenuus Pontificiae dignitatis auctor in Imperatorem Occidentis à Formoso Papa coronatus est, cum eo usque Wido, Dux Spoletanus, ejusque Filius Lambertus Italiae essent potiti, & imperatoris titulis ac coronis à

Pon-

Convento
Bohemiae.

Arnulphus
coronam Im-
petii accepit.

Pontifice decorati. Deinceps Arnulpho, novo coronato Imperatore nostro non absque veneni suspicione in Boicam regresso, rursus novæ in Italia turbe succrevère: eodémque anno Formosus Pontifex vicâ excessit, & intrusus in ejus Romani foli vicissimale. locum Bonifacius vix quindecim dies superstes, locum fecit Stephano VI. al. VII. qui scelere inaudito Formosum à sepulchro extractum, Pontificiis vestibus exui, ac profanis indui jussit, atque damnatum proci in Tiberim, Bojaria, imò, teste Bucelino, etiam Germania reliqua eodem anno cum fame aded atroci confictata fuit, ut humana etiam carne homines non abstinèrent. Waldo noster, Arnulpho Rege annuente, ab Jezone Comite Ecclesiam, ac perquam multa alia in *Jezendorf* accepit, atque in vicem bona Ecclesiæ suæ in *Scrupinhusen* eidem Comiti concessit. Secuta est nova commutatio, qua Ecclesiæ Frisingensi à Kifalpertho diacono obvenère alia quædam jura ac bona in *Filifa*: alia verò ad *Puosilpah* idem Kifalperthus recepit.

N. 204.

205.

Anno Christi 897. Arnulphus Imperator Wormaciam primùm, ac postea Triburiam comitia indixit, ac novo Sacramento sibi ac filio suo Ludovico proceres adstrinxit, annis sequentibus Moravorum motus castigaturus. Hoc ipso anno, mortuo Stephano VI. in Solio Petri, teste Pagio, successit Summus Pontifex, dictus Romanus, eo nomine primus.

Existimat Brunnerus, anno Christi 898. Frisingæ Summam Ædem unâ cum tabulario arfisse. Ast nobis hætenùs ea assertio ægrè persuadetur, dum insignis donatio ab Arnulpho Imperatore huic Ecclesiæ primùm Idibus Decembris ejus anni facta, nullam proferus ejus incendiû mentionem ingerit, cujus instrumentum sequentia continet.

IN nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis Arnolfus divina favente gratiâ Imperator Augustus. Si rerum transeuntium, quibus divina pietate, ac parentum magnanimitate præ cæteris sublimati, atque coronati sumus, aliquam particulam ad suffragia Sanctorum Dei capeffenda disponamus, non solum activa, verum etiam contemplativa vita remedia à Deo Omnipotentis, & sanctis ejus inde nobis omninò pervenire liquido credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium felices, quam ut futurorum cognoscat industria, qualiter admonitionibus ac petitionibus nos Oda dilectæ Conjugis nostræ, & Engilnari Venerabilis Episcopi nostri quasdam res proprii juris nostri Sanctæ Dei Genitrici Maria, sanctoque ejus Confessori Corbiniano, ad quarum laudem & honorem Frisingensis Ecclesiæ Episcopatus constructa ac dedicata dinoscitur, cujus nunc Uuaido fidelis ac dilectus Episcopus noster pastor bonus ac rector optimus esse visus est, illuc ad Dei servitium Loco Waldonæ. sanctorumque ibi quiescentium perpetualiter retinendum atque habendum in proprium concessimus, hoc est, in salina sal, quod ab hac die deinceps à servis, vel à sartaginibus aut à locis sartaginum vel de arcis ejusdem jam dictæ Ecclesiæ redimatur, ut homines jam præfata Ecclesiæ licentiam habeant hoc sine multa Loc. muu Wald. seu navigio sive cum carris asferre, quocumque eis jubeatur, sine ulla ali-
cujus judiciaria potestatis constructione. Fuffimus quoque hanc præsentem autoritatem nostram inde scribi, per quam volumus, ut sciant omnes fideles nostri, quia hoc ad jam dictam Dei causam perdonatum habemus ob recordationem nostram & omnium antecessorum nostrorum. Et ut hoc verius ac certius ab omnibus Christianis credatur manu propria sub eam roborantes, annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domini Arnolphi invictissimi Imperatoris Augusti.



Vuibingus Cancellarius ad vicem Theotmari.
Recognovi.



Data Id. Decembris anno Domini D CCC XCI^{III}. Indictione I. Anno vero regni piissimi Regis Arnolphi XI. Imperii autem III. Actum Civitate Regina in Dei Nomine feliciter Amen.

Observationes ex laudato prelopo.

In hoc diplomate Engilmarus Episcopus alius non est, nisi Pataviensis: cujus proinde obitus olim à quibusdam perperam relatus fuit ad annos quosdam superiores. Engilmarum istum Imperatori Arnulpho fuisse perquam acceptum, nostròque Waldoni amicum, idem diploma satis luculenter demonstrat. Ipsum Waldonem Imperatori in magno pretio fuisse, innuit ipse Arnulphus, dum eum vocat *Pastorem bonum & rectorem optimum*. Porro præceptum istud Arnulphi Imp. concedere Frisingensi Ecclesie immunitatem à telooeo in adventione falsis notius est, quam ut explicatione indigeat.

Pontifex, nomine Romanus, obiit. Hinc Successores.

Cæterùm annus hic uti primus, ita etiam postremus fuit Romano I. Supremo Pontifici valde inglorio: eidemque, si cum Antonio Pagio bene sentimus, Theodorus II. & huic post 4. menses Joannes IX. successit, aliis aliter stantibus. Pagius certè in emendando circa hos Pontifices Baronio multam operam locavit, uti Lectoribus innotescet, qui Pagium consulere voluerint.

Obiit Imperator Arnulphus.

Ejus tumulus.

Sequenti anno, Christi 899. obiit Arnulphus Imperator: quo verò morbi genere è vita decesserit, mirè variant Scriptores, qui etiam circa ejus tumulum non conveniunt, Reginone nostro scribente, eum fuisse sepultum in villa *Odingis*, nempe Oetingæ veteris, ubi Carolomannum ejus Patrem tumulatum fuisse alibi diximus. Arnolfo tamen, ex Comite Vohburgensi Monacho Emmerammiano, Hermanno nostro Contracto, & Annalista Fuldenfi Racibonæ ad S. Emmerammum sepultum fuisse tradentibus. Verisimile est, quod Otto Frisingensis suspicatur, nempe eum primò ad *Odingas* humatum, postea verò fuisse translatum ad S. Emmerammum, cui is, quamdiu provixit, devotissimus fuit, meritis à Sancto illo Martyre sæpiùs adversus varia ex hostibus impenden-

Id. 6. cap. 13.

tia pericula muniti. Divi Dionysii Areopagitæ sacras Exuvias ab hoc Arnulpho eidem Emmerammianæ Ecclesiæ fuisse illatas, Monachi ejus Monasterii haud immeritò gloriantur, atque ejus rei tanta argumenta exhibent, quibus refragari arduum sanè ac difficile fit. Qua in re Lectorem ad Mausolæum S. Emmerammi remittimus. Cap. 9.

Tepidum esse in Arnulphi Imperatoris laudibus Illustrissimum Baronium aliqui advertunt. Ast id mirum non est: nam etiam in Lamberti, coævi (juxta Italos) Imperatoris laudibus parci sunt Germani. Verùm de his alii judicabunt. Antonius Pagius, qui extra Italiam & Germaniam in Gallia scripsit, in sua Critica ad hunc annum in defensionem Arnulphi pronom se demonstrat.

Antequam fati concederet Arnulphus Imperator, Monasterio S. Castuli Mospurgensi pascua quædam prope Ambronis & Isaræ confluentes donavit. Instrumentum alibi referemus, atque subjungemus aliud, quo Waldo Episcopus quædam bona Mospurgensis Ecclesiæ anno Christi 899. commutavit cum Irmenburga nobili Vidua, à qua pro eadem Ecclesia accepit bona de *Murum*, eique locum *Perkofen*, qui eousque sub dominio Ecclesiæ Mospurgensis fuerat, assignavit. Aliæ duæ commutationes à Waldone nostro eodem anno factæ nihil exhibent, quod singularem animadversionem mersatur, velur in parte altera videbimus. Et quoniam in omnibus iis tractatibus nulla de incendio Frisingensi fit memoria, illud necessariò in annos sequentes iterum rejicimus. Liberalitas erga Monasterium Mospurgense. N. 206. N. 207. N. 208. 209.

§. IV.

Continuantur acta tum publica, tum Frisingensia usque ad annum 906.

Arnulphus Imperator circa finem anni Christi 899. terris ereptis Regnorum ac Provinciarum suarum heredem dudum scripserat filium suum Ludovicum, ante septennium sibi natum. Hunc itaque Germaniæ Proceres statim sequenti anno in Comitibus Forcheimii celebratis Regem salutârunt. Adolescentuli Principis tutela, ex Brunneri judicio, Hartoni Moguntino Archiepiscopo & Ottoni Saxoniz Duci commissa est. Theodemarus Salisburgensis Archiepiscopus Epistolas regio nomine scripsit. Rei militaris imperium Luipaldus Marchio suscepit. Waldoni verò Episcopo Frisingensi Regii Adolescentuli excolendi magisterium decretum fuit; ita Brunctus. Quæ si vera sunt, nemo non intelligit, quanta inter Germaniæ Principes fuerit Waldonis nostri veneratio, qui ejus institutioni credidère illum, à quo ipsi olim regendi essent, ac tota Germaniæ salus penderet. Ubi nihilominus, veritatis studio ducti Lectorem monemus, extare in Hundii Metropoli diploma hujus, de quo agimus, Ludovici Regis, datum Ratisbonæ anno Christi 900. è quo intelligimus, eo saltem anno ipsum Ludovicum non Waldonis Episcopi nostri, sed Adalberonis Antistitis, ut videtur, Augustani curæ fuisse commissum. Unde fortassis meritò Regino, Annales Fuldenses, & Hermannus contractus de Ludovico Waldoni commissio silent. Interim eo ipso anno, Bucellino teste, fortunis Ludovici accessit Austrasie Regnum, casu in acie fratre suo Zwentibaldo, ex concubina (ut habent Annales Fuldenses) nato, inquieti ingenii Principe, postquam is omnia turbaverat, suis omnibus inuisus. Interim alium tumultum in Moravia Boji equidem compescuère; at statim longè graviorem calamitatem ab Ungaris in Bojariam (ac Italiam) irrupentibus perpassi sunt, quippe qui maximam Provinciæ nostræ partem turbinis instar pervolitantes, nulum barbaræ immanitatis exemplum non reliquère, serò demùm à Bojis in sui defen-

Ludovicus Arnulphi filius à Rege,

Ejus educationes & Vicaria.

Tom. 1. pag. 351.

Turbæ apud Bojos.

tionem expergestis è Bojariz finibus ejecti: at non ita multò post ad genium suum ac in Bojariam rediuri.

Bojariz Episcoporum querela apud Romanicem.

Sacri Bojariz Antistites hoc eodem anno conquesti fuere Joanni IX. Pontifici Maximo, quòd ex uno Episcopatu Pataviensi plures Episcopatus fuissent à Sede Apostolica erecti, Archiepiscopo Salisburgensi, cæterisque Bojariz Episcopis nec præmoniti, neque consensientibus. Literæ Episcoporum nostrorum ad Joannem IX. inter cætera hæc habebant. *Venerunt, inquirunt, ut ipsi promulgaverunt, de litere vestro tres Episcopi, videlicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Episcopi in terram Slavinarum, qui Moravi dicuntur, quæ Regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat tam in cultu Christianæ Religionis, quam in tributo (substantiæ secularis). & infra. Intrantes autem prædicti in vestro nomine, ut ipsi dixerunt, Episcopi ordinarunt in uno eodemque Episcopatu unum Archiepiscopum (si tamen in alterius Episcopatu Archiepiscopium esse potest) & tres suffraganeos ejus Episcopos absque scientia Archiepiscopi, in cuius fuerunt Diocesi &c.* Post multa alia, quæ Pagius refert, concludunt Episcopi nostri supplicando Pontifici, ut ex uno Episcopatu quinque non fiant, ac ne Pontifex etiam circa objectas quasdam criminationes fidem Moravis adhibeat. Epistolæ ad Pontificem datæ nomina sua præfixerunt *Theotmarus Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Waldo Frisingensis, Erchanpaldus Eustatenfis, Zacharias Sebomensis, Tuso Ratisbonensis, Richarius Pataviensis Ecclesiæ Episcopus, nec non & universus Clerus populusque Christianus per totam Noricam, quæ & Bavaria vocatur.* Epistolam illam in parte altera exhibemus integram in gratiam eorum, qui acta Conciliorum ad manum non habent. Sanè quem exitum ea disceptatio habuerit, unà cum Brunnero ignorare nos lubentes fatemur. Existimamus tamen novos illos Episcopatus unà cum Joanne Pontifice fuisse extinctos. Joannem verò, malè utique à Moravis inductum, obiisse eodem anno, Christi 900. Pagius eruditè contendit, qui consuli potest. Porro ex Hermanno nostro discimus, Moravos anno sequenti, Christi 901. Regi nostro Ludovico fuisse conciliatos. Huius verò deinceps tanta mala Bojariz intulere, quæ & multitudine & atrocitate ipsam etiam Bojariz Historiam obscurarunt, tamen barbarorum illorum immanitas à nostris sæpiùs fuerit validè repressa.

Id. all. Com. ed. Mariani. Tom. VI. part. I. vol. 481.

N. 910.

Turbis foperventis acerbiore.

Waldonem nostrum Anno Christi 900. apud Ludovicum Regem instituisse, ut Richario Pataviensi Episcopo gravissima damna ab Hunnis illata Rex donatione quadam refarciret, ex diplomate, quod apud Hundium loco supra allegato legitur, compertum est.

Waldo vigilans pro Richario Patav. Episc.

Pontifices Benedictus IV.

Leo V.

Christophorus innot.

Cæterùm eundem annum, nempe Christi nongentesimum, Pagius vocat Benedicti IV. primum; cujus Pontificis obitum postea recenset ad annum Christi 903. uti etiam Leonis V. ex ordine S. Benedicti successorem. Porro Leoni Christophorum Papam invasorem subjungit.

N. 911.

In libro traditionum Frisingensium secundo reperimus Instrumentum quoddam super tractatu inter Waldonem Episcopum & Wilibertum diaconum anno Christi 902. inito, ubi Wilibertus dicitur venisse *ante Altare Sanctæ Mariæ Genitricis Dei, sanctique Corbiniani Confessoris Christi, presente Domino Episcopo, & maxima turba fidelium suorum.* Ex quo loco iterum meritò concludimus, eousque Cathedralem Ecclesiam Frisingensem nondum consecrasset. Itaque incendium illud, quod Brunnerus ad annum Christi 898. consignat, censemus potiùs referendum ad annum Christi 903. quod tanto verius nobis est, quòd etiam in Ludovici Regis præcepto, eo anno exarato, dicatur *noviter* contigisse. Illud (quod ex autographo longè emendatius, quam apud Hundium exrat, producimus) sic habet.

IN nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. Hludovicus divina favente Clementia Rex. Si erga domos Dei nostra liberalitatis munificentiam piis incitati studiis ostenderitimus, & oportuna terreni commodi more paterno eis conferimus suffragia, non solum ad temporalem regni divinitus nobis collati profectum, verum etiam ad aternitatis gloriam feliciter obtinendum, hoc nobis multum prodesse liquidò credimus, simulque patrociniis Sanctiorum nos inde beari atque tueri non ambigimus. Idcirco omnibus Christianæ Religionis fidelibus præsentibus scilicet pateat & futuris, quòd Waldo Reverendus Sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Præsul nostram adit mansuetudinem, damnnum combustionis, quod Ecclesiæ suæ culpis exigentibus noviter acciderat conquerendo omnixè supplicans, ut aliquod consolationis supplementum ad restaurationem ejusdem Ecclesiæ sibi largiremur. At nos gratuita benignitate querimoniar illius pro Christi amore & sanctæ Genitricis suæ semper Virginis Mariæ veneratione compatientes, & intercessioni fidelium nostrorum Diotmari Archiepiscopi, Zachariæ Episcopi, Tittonis Episcopi, Luitboldi illustris Comitis, & cari propinqui nostri, Sigihardi etiam, Gundpoldi, Isangrimi & Meginhardi Comitum cum reliquorum conspectu nostro assistentium procerum communi omnium consilio piè annuentes curtem quandam Veringa nuncupata cum pertinentibus suis, quam venerabilis Mater nostra Ota præceptali tenore à beato Genitore nostro Arnolfo Cesare Augusto optinuisse constat, & in præsentia fidelium nostrorum in manus Regalitatæ nostræ reddiderat, jure Auctoritatæ nostræ ad præfatam Ecclesiæ nomine Sanctæ Genitricis Dei Mariæ dedicatam, ubi electus Dei Confessor Corbinianus corpore quiescit, in ævorum commemoracione Antecessorum nostrorum, Matrisq; nostræ, & pro remedio animæ nostræ, ac diuturna profectus nostri felicitate aternaliter in proprium delegavimus cum curtibus, & casis aliisque edificiis, familiis, & utriusque sexus mancipiis, Parscalchis Sindmannis, Hengistfuotris, censibus, campis, agris, pratiis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molinis, piscationibus, visis & invisis, exitibus & reditibus, quasitis & inquirendis, terris cultis vel incultis, vel quidquid moderno tempore eadem curtis rite in vestitura retinet. Hec autem omnia in omnibus ad ipsam curtem legaliter pertinentia per hoc Auctoritatæ nostræ præceptum de nostro jure in jus & potestatem Sacrosanctæ Christi Matris Ecclesiæ præfatæ donamus, tradimus atque firmamus eo rationis tenore, ut jam dictus honorabilis Episcopus ejusque successores sicut de cæteris ipsius Episcopii rebus liberam pro utilitate Ecclesiæ perenniter habeat potestatem, quidquid inde faciendi absque ullius molestia, ut eundem Episcopum cum subiecto Clero pro nobis & Antecessoribus nostris & adentius Dominum exorare deleat. Et ut hæc Auctoritas nostræ per cuncta labentis mundi curricula firmiori solidetur stabilitate, manu nostræ subter eam roborantes anulo nostro jussimus sigillari.

Donatio in
Veng.

Signum Domini Hludovici gloriosissimi Regis. Engilpero notarius ad vicem Diotmari Archiepiscopi recognovi. Data II. Kal. Decembris Anno Dominiæ Incarnacionis DCCCCIII. Indictione VII. Anno vero Regni piissimi Regis Hludovici quarto. Actum Regina Civitate in Dei Nomine feliciter Amen. Ita Ludovicus in Inlatium Waldonis Episcopi.

Ubi mænemus Lectorem, Parscalcos dictus fuisse liberos homines, qui conducto Ecclesiæ fundo tenebantur certas per annum operas præstare. Sindmanni, quasi Sindmanni nbligabantur ad nuncia aut alia perferenda. Hengistfuotri appellabantur, quibus cura equorum imposita erat.

Causa evenisse illud incendium ex paulò post subjungendo alio Ludovici Diplomate constat: ex quo etiam illud intelligimus, Ecclesiæ inflagrâsse unâ cum tabulario seu Archivo: ubi tamen advertimus, ignium furori obnoxium non fuisse pretinsum illum Traditionum librum primum, seu antiquum, à Cozrobo Presbytero & Monacho, ut sæpè diximus, sæculo nono

conscriptum, quippe qui hodiè que maximò rei antiquariæ, præsertim Frisingensis bono asservatur totus illatus, quo etiam in historia nostra concinnando constanter usi sumus, ut nemo non videt. Codici illi flammis præcepto annumerare licebit præceptum Arnolphi seu Arnulphi Regis supra laudatum, nec non pauca quædam alia posteriora instrumenta, quæ tum Conradus Sacrista in quarrum seu *Magnum* traditionum librum; Sæculo XII. retulit, tum alii Frisingenses librarii in alios codices transcripserunt.

Serenissima
Domus Bava-
rica de Caroli
Magni San-
guine partici-
pat.

Cæterùm nescimus, num certius atque evidencius argumentum hæcenus repertum fuerit, hodiernam Serenissimam Domum Bavaricam de sanguine Caroli Magni participare, ac in instrumento mox laudato? Nam Ludovicum Regem, qui dictum præceptum seu instrumentum Waldoni Episcopo concessit, fuisse Carolingum, ut vocant, id est, ex sanguine Caroli Magni progenitum, eruditorum nemo ignorat. Atqui hic Ludovicus Luitboldum illustrem Comitem (certissimum modernæ Bavaricæ Profapæ parentem) vocat *charum propinquum*: quod quid inter eruditos, attenta vocabuli primaria significatione, est aliud dicere, quàm consanguineum? Certum itaque videtur debere esse omnibus, modernos Serenissimos Bavaricæ Duces Magni Caroli sanguinis esse omnino participes. Diploma autographum Frisingæ asservatur, quod oculis conspeximus, & manibus contrectavimus, & cum apographo nostro contulimus.

Sergius III. PP.

Proximò Anno, Christi 904. Sergius III. Pontifex Christophoro subrogatus, uti sæpè laudatus accuratissimus Pagius advertit. Cæterùm Ludovici Regis diploma Anno 906. datum Waldoni super libera Episcopi electione, & à nobis toties hæcenus allegatum sequentia continet.

Privilegium
liberatum in
eligendo Epi-
scopo Frisingen-
si.

Quod dudum
S. Corbinia-
nus impetra-
verat.

IN Nominè Sanctæ & individua Trinitatis Ludovicus divina favente Clementia Rex. Oportet etiam Regiam dignitatem omnibus benivolam existere præcipue tamen his, qui divinis mancipantur obsequiis. Unde notum fieri cupimus omnibus Sanctæ DEI Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, qualiter S. Corbinianus Frisingensis Ecclesiæ Episcopus apud Antecessores nostros suo interventu impetraverat plebi & familia sua licentiam inter se eligendi Episcopos post sua evocationis tempus, & hujus electionis securitatem scripto Regalium Præceptorum firmari rogavit, suamque petitionem apud eos obtinere promeruit. Similique modo omnes pastores ejusdem sedis per ordinem penes Antecessores nostros eandem electionis securitatem usque in tempus Waldonis dilecti Episcopi nostri obtinuerunt. Tempore autem suo accidit casu, ut domus sua, inibi in honore Domini & Sanctorum ejus constructa, ignium successione combureretur, eisdem supradictis præceptis pariter combustis. His ita peractis prædictus Waldo ante libatam Sedis Pontifex per interventum fidelium nostrorum Hattonis videlicet, & Dietmari Archiepiscoporum, nec non aliorum Episcoporum Erchanboldi scilicet, Adalberonis, Zacharia & Deatolohi. Comitum verò Ottonis, Purchardi, Adalberti, Luipoldi, Purchardi, Siphardi, Compoldi, Iringi, præcatus est Clementiam nostram, ut supradicta familia & Clero juxta priorem concessionem nostram autoritate assensum præberemus inter se eligendi Episcopum, & priora præcepta per nostri præcepti renovationem roboraremus. Nos quoque eorum salubri consulti & petitioni libenter annuimus; hoc quoque Præceptum inde conscribi jussimus, per quod Regia Auctoritate sancimus atque firmiter jubemus, ut ejusdem Episcopatus plebs & familia ab hodierna die & demceps securam habeant potestatem inter se eligendi Episcopum, si talem inter se invenire queant, qui generositate natura, peritia librorum, & vite probitate idoneus sit divinum servitium regere, & regalia obsequia præbere. Si autem talis inter eos nequeat inveniri, infra regiam curiam illis aptum querant, & eligant. Et ut hoc concessionis nostræ Præceptum firmum atque stabile consistat, manu nostra illud

Quod firmavimus, & Sigillo nostro consignari iussimus. Signum Domini Ludovici Serenissimi Regis.

PO
—
L I L

Ernestus Cancellarius ad vicem Teotmari Archiepiscopi recognovi. Data IX. Kal. Maj. Anno Domini DCCCCI. Indictione VIII. Anno Regis Domini Hlodovici VII. Actum in loco Holzkircha feliciter in Dei nomine Amen.
Sigilli figura est sequens.



Ex Episcopis in hoc præcepto enumeratis certum est Hattonem fuisse Moguntinum: Dietmarum Salisburgensem: Zachariam Sabionensem; Erchanboldum suspicamur fuisse Eustatensem: Adalberonem Augustanum: Deotolohum Wormatiensem. Locum Holzkircha, ubi instrumentum confectum est, existimamus fuisse Municipium ejus nominis in hac Diocesi Frisingensi, Præfectura Wolfrathusiana situm, cæteroquin Monasterio Tegernseensi proprietatis jure subiectum. De libertate electionis, à S. Corbiniano Ecclesiæ suæ Frisingensi impetrata, egimus in ejus vita.

§. XII.

Cæterum hoc instrumentum est ultimum eorum, quæ sub Waldone certas notas chronologicas habent. Extant multa alia, ac sine ejusmodi notis; quæ paulò post strictim recensebimus una eum cæteris, quæ ad Waldonis Historiam & gloriam pertinent.

§. V.

Status Ecclesiæ & Germaniæ sub initium Sæculi X. Christiani.

Waldonis nostri gesta prosequendo delapsi sumus in sæculum Christi decimum, illud nempe, quod à scriptoribus omnibus mirè deploratur. Placet, in plurium Lectorum commodum, huc asserre verba eruditissimi Mabillonii, quæ ponit in Annalibus ordinis nostri libro quadragesimo primo, ubi Sæculum illud describere incipit hunc in modum.

„Ingredivimur, inquit, ferreum illud & infaustum sæculum, æræ Christianæ decimum, ordinis nostri quintum, quo certè nullum fœdus ac luctuosius in toto Ecclesiasticæ Historiæ decursu occurrit. Tunc invasere in Ecclesiam, insolita antehac flagitia & crimina, luxuria, ambitio, cædes, tyrannis, & quidvis audendi & agendi licentia; atque inde consuetæ ignorantia, ut errorum, sic criminum parens. Laboravit hoc morbo imprimis Romana Ecclesiæ, quæ, cum præclaros antea Pontifices, pleròsque bonos habuisset, tunc

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

U

ab

„ ab indignis successoribus conspurcata fuit. Nam præter Stephanum VIII. Leo-
 „ nem VII. & Agapitum II. paucosque alios istius sæculi haud malos Pontifices,
 „ ceteri omnes tam sancta sede omninò indigni, quædam potius monstra &
 „ bellux, quàm Episcopi existere. Id potissimum accidit (pergit Mabillonius)
 „ ex distractione occidentalis imperii, quod ubi varii Tyranni potius quàm Im-
 „ peratores occupare moliantur, faventes suis quisque partibus Pontifices per
 „ cædes & flagitia in summam Imperii arcem intruferunt. Hoc Imperato-
 „ rum, hoc Thuficæ maximè Comitum, qui summam potestatem affectabant,
 „ scelus fuit. Non tamen ita generalis fuit hæc Labes (Mabillonii verba profe-
 „ quimur) quin multi in aliis Ecclesiis effulserint Præsules, qui nutantem Ecclē-
 „ siæ statum vitæ sanctitate atque eruditione fulcirent, plerique ex nostro (absir-
 „ verbo jaçantia) Ordine: quales haud pauci in Gallia, in Germania, in An-
 „ glia, nonnulli etiam in Italia & Hispania in decursu horum Annalium nobis oc-
 „ current, qui sæculò malo, boni esse ausi sunt. Hæc Mabillonius: qui postea
 „ in prosecutione Annalium suorum quàm plures ordinis nostri viros illustrissimōs
 „ passim adducit, qui sæculum illud funestum illustrarunt, è quibus nos suis
 „ locis eos laudabimus, qui ad Operis nostri propositum propius spectare vide-
 „ buntur, primò tamen semper locò Episcoporum Frisingensium tum laudes tum
 „ acta relaturi, qui procellosa illa rempeltate admirabili virtute *in vita sua sufful-
 „ sere Domum Dei*: neque idcirco palliaturi unius & alterius vicia, qui malis mo-
 „ ribus Frisingensem sedem fœdârunt.

Nonquam ta-
 men defecere
 viti Sancti.

Monastici Or-
 dinis conditio.

Porro de Monastici etiam ordinis per ea tempora statu hæc subjungit Ma-
 „ billonius. Neque verò, inquit, ab hoc communi labe penitus immunis fuit
 „ Monastica Religio, quod maximè accidit tum ex superiorum temporum fune-
 „ stis bellis ac procellis, tum ex Abbatum secularium ac laicorum (quales eo
 „ tempore jamjam ingruere cœperant) culpa, qui, bonis Monasteriorum in-
 „ suos usus conversis, nihil pene reliqui, quo Monachi miserabilem vitam tra-
 „ herent, dimittebant. Verùm (ut idem Mabillonius subdit) brevi adfuit Dei
 „ miserantis Providentia, quæ Congregationem Cluniacensem incunte hoc sæ-
 „ culo excitavit, ex qua Monasticæ disciplinæ, ne dicam etiam Ecclesiasticæ,
 „ splendor in plerisque locis restitutus est. Hæc ille: qui postea etiam calami-
 „ rates maximas ab Hungaris Germaniæ, ac maximè Bojariæ nostræ illatas recen-
 „ set: Sed quas nos ad sua tempora distulerimus, ubi eas exponere non pigritabi-
 „ mur. Interim ista placuit hic inferere, ut famosum illud sæculum Lectori
 „ quasi eminèns conspiciendum præberemus, atque ijs nostris Episcopis, qui post
 „ tentoso illo sæculo maximis virtutibus effloruere, debitam existimationem præ-
 „ pararem, & si quod probrum denique etiam in Frisingensem Ecclesiam ea
 „ ætate irrepsit, admirandi occasionem Lectori præsecarem. In Waldone cer-
 „ tè nostro nonnisi egregiam magnorum encomiorum massam, uti hætenus, ira
 „ & imposterum reperiemus, cujus acta reliqua ac mortem modò subijcimus.

§. VI.

Waldonis cætera gesta & mors.

Scilicet res do-
 mesticæ in
 Waldone.

EX temporum iniquitate hætenus utcumque descripta evenisse credimus, ut
 rariores donationes Ecclesiis tum aliis, tum huic Frisingensi ex fidelium pietate
 accrescerent. Hinc Episcopi, cum pronoveo do suarum sedium bono fide-
 lem operam conarentur impendere, vix aliam viam reppererunt, quàm quâ bo-
 na Ecclesiæ suæ in diversis ac distitis locis ac Regionibus sita, commutari, &
 alia recipi poterant, unde ob commoditatem situs, aut alias ejusmodi oppor-
 tunitates major Ecclesiæ utilitas accederet. Certè plùs quàm quinquaginta
 ejusmodi commutationes Waldo noster tum intra, tum extra Bojariam fecit

non

non sine egregio rerum suarum Ecclesiarum auctario. Nolumus tamen singillatim eos omnes tractatus hic exprimere, ne res simillimas toties memorando Lectorem offendamus. Instrumenta tamen commutationum illarum in parte altera Operis videri poterunt. Illud hic rursus monere non piget, commutationes Waldonis non esse factas, ut olim, cum consensu Monachorum (nulla enim amplius eorum mentio occurrit) raro etiam cum consensu Canonicorum, aut etiam Regum, eum ferè omnia deinceps agerentur auctoritate Episcopi & Advocatorum, quorum circa hæc tempora, hæc nomina occurrunt: Jacobus, Heimperbus, Rihhartus, Wicronus, Rihholfus, Ruodperhus, Mohrunus, Eazo, Erpharius, Adalbertus, & Reginberius. Horum Advocatorum genus, familiam, virtutes explicatius hic exprimere nobis non est integrum, deficientibus membranis, è quibus similia excerpta possemus. Nemo tamen non intelliget, fuisse illos viros rebus arduis tractandis aptissimos.

Ad laudes ipsius Waldonis præter hæc recensita pertinet, quod Ecclesiam suam Cathedrali incendio collapsam ingenti labore ac sumptu restauraverit, & sacra Evangelia in rhythmos Francicos, nempe Theotifcos seu Germanicos, fortè ab Otrifido Monacho Benedictino Weissenburgensi translata, à Sigefrido Presbytero exscribi iusserit. Extat etiamnum pretiosus ille Codex, cujus verba initialia hæc sunt.

Incipit liber Evangeliorum Domini gratia Theotifce conscriptus. **CUR**

scriptor hunc librum Theotifce didicerit.

*Was Lúto Filo in Flíze inmanagemo agallíze
Szechaz in scrip pi cleipin thaz. Strá namon breim.
Si ethe sin io gelúcho súzuzun guallúcho. &c.*

In fine.

Waldo Episcopus istud Evangelium fieri iussit. Ego Sigehardus indignus Presbyter scripsi.

Atque hæc ex ipso Waldonis Codice extrahere, atque insuper monere vifum est, Codicem illum vel certè ei non multùm abfimilem alterius eruditissimi viri operà fortassis intra breve temporis spatium mundo plenius publicatum iri.

Circa libertatem electionis, cujus confirmationem Waldo à Ludovico III. Rege impetravit, advertit Hundius, constitutum fuisse etiam Pontificis Auctoritate, ut deinceps nullus per Capitulum eligeretur in Episcopum, nisi esset Canonicus ejusdem Ecclesiarum: idèmq; etiam habet Gualterius Belga in Chronico Chronicorum, ubi addit, quòd eam legem nec Cæsar nec Pontifex infringere possit. Nos in ejus assertionis subsidium inter Frisingensia monumenta nihil reperimus.

Notant Frisingenses Catalogi Waldonem nostrum ad superos migrasse die 18. May * anno Christi 906. à consecrata Cathedra Frisingensi 23. Pontificatu scilicet Sergii III. Ludovico III. Imperatore, Salisburgenfi Archiepiscopo & S. Petri Abbate Dietmaro: cum Ratisbonensi Ecclesiarum præfisset Turo, ex Monacho S. Emmerammi factus Episcopus sanctitate clarissimus, Pataviensi Burcardus, Sabionensi Zacharias. Waldonis de sua Ecclesia reportata merita jubent, ut eum inter primi nominis Episcopos Frisingenses recenseamus. Sepultus fuit in Cathedrali Ecclesia: cujus tumba è topho lapide fabricata, reperta est anno Christi 1701. die 13. Aprilis, cum, ut sæpè diximus, Celsissimus Princeps noster Joannes Franciscus Episcopus totam Ecclesiarum Cathedralis, Cryptæ, peristyllii, atque adjunctæ Ecclesiarum S. Benedicti aream ingentibus sumptibus redderet marmoream. De eo, veluti decimo Episcopo Frisingensi legitimus hoc distichon:

*Mistica vis decadis, qua sunt perfecta notantis,
Illustrat meritum, Waldo beate tuum.*

R. P. Caroli Meichelbeck Hfist. Frising.

U 2

CA-

à Num 911.
orque 981.

Advocati Ecclie Frising.

Waldo restaurat Ecclesiam Cathed.

Librum Evangeliorum lingua Theotifca scriptum reliquit.

Morp. part. 1.
pag. 104.

* De rione Germanice in corpore & Britannice in vestibus me Georgie.

Arms obitus Waldonis.

Tumulus.

CAPUT VI.

De Utone, undecimo Episcopo
Frisingensi.§. *Unicus.*

Undecimus
Episcopus
Frising di-
cendus est
Uto, non
Otto.

IN antiquis Frisingensis Ecclesie tabulariis præter Utonis Episcopi nomen, & duos versiculos hætenus nihil reperimus. *Outo* ibi solet appellari, quod nomen hodie aptius pronunciant, qui Episcopum hunc nostrum Utonem, quam qui Otonem dicunt; quod ex pluribus instrumentis Ottonis Episcopi, anno 1183. electi, demonstrari potest, in quibus ille sese vocare solebat Ottonem secundum, nempe post Ottonem Magnum, S. Leopoldi filium, qui eo nomine in hac Frisingensi Cathedra primus sedet. Si enim is, quem præ manibus habemus, Uto, Ottonis nomen gessisset, Otto ille non secundus, sed tertii appellationem sibi tribuisset; quod hic insinuandum videbatur.

Ejus genea-
logia incerta.

Utonem nostrum lego alicubi fuisse ex illustrissima Andecensium Comitum prosapia progenitum. Ast cum nullum idoneum ejus rei inveniam testimonium, & aliàs hætenus in Andecensium Comitum tabellis genealogicis circa sæculi decimi initia nullus sine Uto sive Oto compareat, nostrum non erit, Andecensia eidem cunabula assignare. Redibit verò paulò post alia de natalibus Utonis conjectura.

Tempora
iniqua.

•

Mort pro R.e.
ligione Chri-
stiana.

Successit Uto Waldoni Anno Christi 906. & quidem, ut dubitari vix potest, ex liberrima Canonice electione, quæ recens Frisingensi Ecclesie concessa, imò veriùs confirmata fuerat. Carterum ea electio incidit in tempus sanè tristissimum, quo scilicet inhumanissima Hungarorum barbaries Germaniæ ac potissimum Bojarie jugulo, atque ultimo exitio imminerebat; acciditque, ut cum in Bojorum collecto adversus barbaros exercitu inter alios sacros Antistites etiam Uto noster zelo divini honoris sese præsentem stitisset, nostri gravissima clade prope hodiernum, ut quidam putant, Posonium seu Presburgum profligarentur unà cum Luitboldo Marchione, supremo exercitus Duce, nec non etiam Dietmaro Salisburgensi Archiepiscopo, & Zacharia Sabionenfi Antistite etiam ipse caderet nobilis ac veneranda Christianæ fidei victima, cum priùs fortè nondum Episcopalis insignibus fuisset exornatus, uti Freibergerus notavit. Referunt domestici Catalogi mortem Utonis ad diem 30. Junii Anno Christi 907. Gamanus tamen ex Calendario vetustissimo Frisingensi ad diem 6. Junii ejus obitum commemorat. Versus antiqui de Utone sic habent.

Outo manens uno venerandus Episcopus anno

Corruit in fata, superis anima sociata.

Hæc & non plura de Utone à majoribus posteritati transcripta hætenus reperimus.

Tumba.

Porro Utonem nostrum tumulum obtinuisse in Cathedrali Ecclesia Frisingensi, tunc patuit, cum anno Christi 1701. reperta esset illius tumba ex marmore candicante confecta: cujus ei parti, quæ capiti imminerebat, insculptum erat Signum Dominicæ Crucis. In parte marmoris media apparebat Litera V. qua Utonem designari, dubitare fas non est. Infimo loco appositum cernebatur Pedum quidem pastorale, ast nullum Myrtæ indicium ullibi visebatur, quamquam cæteroquin aliarum sacrarum vestium pars mansisset incorrupta. Sandalia more illius temporis, aliàs à nobis descripto in acumen desinebant. Re-
positæ

postea postea fuere venerabiles Utonis exuvie in ea Cathedralis Ecclesie parte, in qua nostris temporibus visitur tumulus Vici Adami Frisingensis Episcopi, ordinis quinquagesimi terti, ubi etiam alia duo corpora fuere detecta, quae suspicamur esse Sighardi Semptensium Comitem primi, ac Conjugis ejus Gortinæ. Hos enim eodem cum Utone Episcopo anno mortuos, ac Frisingæ tumulo illatos fuisse tradit R. P. Adamus Widl S. I. in suo Divo Sebastiano Eberspergensis: idemque serè dudum antea testatus est Vitus Arenbekius in *Chronico Bo-*^{Cap. 1. §. 1.}
joariorum. & respondet liber, inscriptus: *Bayrischer Chronic* - - *urger*^{Cap. 77. §. 116.}
Auszug Norimbergæ Anno 1522. editus. Ex quibus fortè non immerito con-^{Lih. 3. cap. 13.}
^{14. 197.} jicimus, Utonem nostrum Semptensibus potiùs, quàm Andecensibus Comitibus quodam sanguinis nexu fuisse conjunctum. Verùm de his judicet benignus Lector. Nos de Utone nostro plura non habemus, quæ suggeramus. Interim facis multa præstitit, qui pro Ecclesia ac fide Orthodoxa animam suam posuit. Certè Utonem nostrum eadem Veneratione dignum censemus, qua Salisburgenses Dietmarum Archiepiscopum, pro fide Christi unà cum eodem Utone interemptum, Coelicolis adscribunt. Utriusque enim necis eadem fuit causa sanctissima, Christianæ scilicet Religionis, atque regni Orthodoxi protectio.

Ceterùm Hungaros, victoriis crudelissimè usos, insidias Bojarie finibus ^{Hungarum} calamitates barbaricè planè inaudita intulisse, communi calculo Scriptores ^{crudelium} memorant. At, quousque locorum eo anno signa sua protulerint, cardibus ac incendiis omnia miscuerint, definire non licet. In Frisingensem usque viciniam illos eo anno non venisse certum nobis est ex iis, quæ paulò inferiùs, ac posthac in consequentibus adducturi sumus.

CAPUT VII.

Dracholfus Episcopus Frisingensis Duodecimus.

§. I.

Initium Episcopatus Dracholfi.

Dracholfum, sive nobilem de Humblen, sive ex alia stirpe illustri progenatum, successisse Utoni Anno Christi 907. circa initium mensis Septembris, facillè conficimus ex instrumento paulò inferiùs examinando. Fuisse electum è gremio, non habemus, cur dubitare de beamus. Quod si verum est, probè in hominum saltem oculis notæ Virum tunc quidem fuisse, fatendum omninò erit; fortassis tamen jam tunc occulta quedam vitia inbrebant animo, quæ in apricum facillè eruptura erant, cum ex nova dignitate sensim libertas suavior accessura esset. Existimamus nihilominus, ipsa Episcopatus initia nulla turpitudine fuisse ab eo conspurcata. Extat in libro secundo Traditionum & Commutationum Frisingensium Instrumentum quoddam, in quo scribitur, inter Dracholfum Frisingensis Ecclesie ^{fol. 147. v.} ^{99.} Venerabilem Episcopum & Couuonem ejusdem Ecclesie humilem Chorepiscopum sequentem tractatum fuisse initum.

Couuo Chorepiscopus unà cum Advocato suo Sighardo cessit Abbatiam ^{Traditum in} suam, Mosaburg dictam, Ecclesie B. M. V. & S. Corbiniani, & quidem in ma-^{ter Episcopi} ^{& Chorepiscopum} nus Dracholfi Episcopi & Advocati illius Kepolfi. Recepit verò ab Episcopo ^{Frisingensis.}

*Phil. Part. 46.
N. 981.*

prædia quædam tum in *villa Frisingensi*, tum alibi sita, uti latius in instrumento explicatur. Factum id est in *Ecclesia Frisingensi in publica Synodo coram Cle- ro & assanti populo Anno Domini 908. Idibus Septembris, anno præfati Episco- pi secundo incipiente, Chorepiscopi vero Sexto, & incipiente Septimo. Testes Juere Arbo Comes, Sigihart Comes, Westi Comes, Wolfdregil Comes & alii quàm plures.*

Observatio-
nes ex addu-
cto Instru-
mento.

P. 2. 78.

In hoc Instrumento tria observamus. Et primò quidem ex hoc tractatu apparet, Monasterium Mospurgense post redituum divisionem multùm fuisse imminutum. Certè in vetustissimo Codice Societatum Monasterii S. Petri Salsburgensis manu sæculi oðavi post Raginbertum Abbatem recensentur nomi- na plùs quàm centum Monachorum Mospurgensium : & tamen in hoc sæculi noni instrumento *Mosaburg* non nisi *Abbatia* appellatur. Multùm ergò tra- ctu temporis Ecclesiæ illi decessit. Secundò ex hoc eodem Instrumento in- telligimus, eo adhuc tempore viros etiam nobilissimos à familiaritate Drachol- fi non abhorruisse, atque eum nondum injustè rapiendo egisse, sed justo tractu commutationem instituisse. Tertio ex eodem documento colligi posse videtur Frisingensem tum urbem tum viciniam nondum ab Hungaris fuisse ex- cisam ac depopulatam, & quod consequens est, Hungaros non fuisse grassa- tos in Baviariam Superiorem, alpihus subditam : quod tamen nonnulli Scripto- res asserunt. Verùm de his mox plura.

§. II.

Germaniæ ac Bojariæ Status.

Bojariam, Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, seu Orientalem Franck- am, item Allemanniam seu Sueviam ab Hungaris dirissima quæque hoc tempore perpeffas fuisse, Scriptores omnes tam domestici quàm exteri conclamant, licèt in annis designandis passim dissentiant. Ludovicus Rex Ju- venis in Bojaria ac vicinis Provinciis tum ob eorum Hunnorum assiduas ir- ruptiones sevissimamque tyrannidem, tum ob alios Procerum Germaniæ morus, quasi in carcere conclusus erat, acceptisque pluribus cladibus ac in- genti vastitate provinciis illata, à suis, propositis etiam ultimis suppliciis, im- petrare non poterat, ut Germanos se esse meminissent. Salomon ex Mona- cho & Abbate S. Galli eo tempore Constantiensis Episcopus, eo nomine ter- tius, dissensiones, bella, regni que Germanici orbitatem, & morum corrup- telam deplorans in sua ad Dadonem Episcopum epistola sic habet.

Fata Ludovi-
ci Regis Ju-
venis.

*Non mirere, Pater, si consiliamur acerbis
Litibus & pugnis, si motus ferveat orbis,
Sed magis mira putes, quòd non sint funditus omnes
Et tribus & populi Junesto Marte perempti.
Ah! cum non habeant, qui fac, vel desine, dicat.*

Subdit de Ludovico Rege Juvene.

*Infantilis adhuc persurgens nomine Regis
Ætas, nec pugna est habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget Regnis sceptroque potiri,
Sed tenerum corpus, seraq; ad sortia vires
Despectum propriis generant, atque hostibus aurum.*

Hæc testis ille oculatus, idemque locupletissimus apud Pagium, qui ver- sus illos ex Tomo primo *Antiqua Lædionis* Henrici Canisii exscripsit: ubi ta- men pro vocula ultima *aurum*, reperio positam voculam *aurum*. Verùm utrum

In opposit. pag.
21. 22.

utrum eorum Lector eligere maluerit, verum dixisse Salomonem intelligit: cum tenor Ludovici ætas Hungaris non solum aurum, sed & aurum pepererit.

Existimamus autem, vix aliis magis sevisse barbaræ gentis truculentiam, quam anno Christi 910. quo in campis Lycatibus prope Augustam, Viodeli-^{Notæ ab Hano pro- fringantur.} corum urbem, nostros ingenti clade profligavit, aded ut Ludovicus Rex Juvenis coactus fuerit pacem auro redimere. Sanè quanam singillatim loca per

Bavariam iis calamitatibus fuerit obruta, decernere nostrum non est. Ipsa temporum hominumque iniquitas Synchroois Scriptoribus calamum extorsisse videtur, quò minùs veram malorum seriem nobis transcribere possent. Nec minùs luctuosus fuit annus insequens, quo, testibus Hermanno Contracto, Mariano Scoto Chronographo Monasterii S. Galli, & Hepidanno ejusdem Monasterii Monacho, Ludovicus Rex Juvenis, in quo spes futuras Germania eous-^{Ludovicus moritur, & cum eo suecico Carolingorum in Italia.} que utcumque reponere poterat, fatis concessit, sanè imaturis, si ex hominum crisi factum pependisset. Super! quorsum tuoc res & spes Germaniæ recidère, cum Monarcha Juvenis, & cum eo, utpote improbi, Germanicus Caroli Magni Sanguis fermè rotus in tumulum inferretur? Verùm Germaniæ malorum cumulus Proceres nostros paulò pòst adegit, ut communibus suffragiis Conradum, Orientalis Franciæ Ducem, Regem sibi statuerent, qui & Germanorum animos erigeret, & rebus afflictis opem ferret. Id coadigit Anno Christi 912. Ludovico Rege, Carolingorum in Germania ultimo, Ratisbonæ in Ecclesia Monasterii S. Emmetammi jam anno superiori tumulato.^{Conradus I. eligitur in Imperatorem.}

Cæterùm ad annum Ludovici Regis emortualem R. P. Adamus Widl S. J. reponit primordia inchoati hujus Diocæsis Monasterii Eberspergensis, tametsi in Codice Eberspergensi, à Reverendissimo P. Josepho Preiis, Monacensis Collegii dignissimo Rectore Frisingam transmissò, manu sæculi XV. conscripto, plura Monasteriorum Boicorum Chronica exhibente, legamus, Eberspergæ *fundamentum* fuisse positum, & *Ecclesiam in Crucis modum edificatam Anno Domini DCCCCXXI^{III}*. Quam sententiam etiam Gewoldus ex *Chronographis Eberspergensibus* in *Additionibus* ad Hundii Metropolim confirmat. Addit R. P. Adamus, & ante illum Brunnerus, templo illi Eberspergensi Religiosos Mystas è Divi Augustini sodalicio fuisse adjectos. His præerat mox allegatus Codex, in quo verbis supra adductis statim subjungitur: *Quinque Clericis Regularibus de Ordine S. Augustini imbi* (Eberspergæ) *ordinatis* Hunfridum, virum prudentem multæque elegantie fuisse præpositum. Verùm quid de his Clericis Regularibus S. Augustini eruditi judicare ad illud tempus velint, eorum prudenti crisi lubentes committimus, atque id uoum exoptamus, ut ea assertio aliquo sive cœvo, sive saltem circa medium sequentis sæculi XI. conscripto instrumento stabiliaur. Certè P. Brunoerus, aur non satis sibi cohæ-^{Initia Monasterii Eberspergensis.} rere, aut potius suam de Clericis Augustiniais assertionem recantare convincitur, quando in consequentibus, & quidem *Annalium Boicorum parte tertia lib. 12.* de B. Gerhoho Reicherpergensis Præposito, sæculi tum XI. tum XII. homine, datâ operâ scribit, quòd is primus Divi Augustini Regulam Germaniæ ioulerit. Sed de his aliorum eruditorum esto iudicium, cui nostrum libenter subijcimus, atque interea Lectorem ad Criticam Pagii remittimus, qui ad annum Christi 1039. *num. 8. & sequentibus*, mentem suam exponit. Quænam sanè fuerit Eberpergesium illorum Clericorum professio ac vita, suo locò dicemus.

Eodem tempore, & quidem, ut sæpè laudatus eruditissimus Pagius demonstrat, non Anno Christi 910. sed 911. Sergius III. Papa absque laude decessit, cui post unum vacantis Sedis diem Anastasius III. melioris notæ Pontifex successit, usque ad Annum Christi 912. superfuturus, atque habiturus Successorem Landoem, Sabinum patriâ, iterum nonnisi vitis celeberrum.

Conrado I. in Germaniæ Regem electò Proceres Boji Arnolfum seu Arnulphum

phum Luitboldi in acie casi filium, jam antehac finibus Bojarie, qua Orientem spectat, præfectum, in Ducem sibi elegerunt. Hic est Arnolfus ille, qui tractatum supra recensitum, inter Dracholfum Episcopum nostrum ac Couuonem Chorepiscopum initum apposito sigillo suo confirmavit, uti in Parte altera apparebit. Cæterum idem Arnolfus unà cum Erchangelo Suevise Duce sequenti statim anno Hungaros, rursus in Bojariam irrumpentes, atque ad Oeni ripam prædas agentes internecione deleuit, vix triginta illorum è clade elapsis. Honestius illud certamen erat, quàm quod idem Dux cum Conrado Rege factiosus homo deinceps suscepit, paulò post ab eodem proscriptus, è Boia ejectus, atque ad Hungaros, quos grandi illa strage nuper affecerat, profugus, subrogato in Bojaria Ducatum Eberhardo Conradi fratre: quem tamen Arnolfus brevi iterum è Bojaria ejecit, rursus brevi & ipse à Conrado Rege ejiciendus, veluti in Mausolæo S. Emmerammi legimus. Conradus interea Rex, cum paulò ante mortem Henrico Saxonum Duci, jurato cæteroquin hosti suo, ast dignissimo alioquin Principi, Imperii insignia misisset, hortatusque Principes fuisset, ut si regno vellent consulere, nullum alium, præter Henricum, sibi deligerent, obiit, sepultus in Fuldensi nostro Monasterio. Delatum fuisse eum honorem Henrico, venationi tunc fortè intento, Bucelinus noster in Annalibus memorat, ex quo postea idem Henricus Aucupis nomen tulerit. Cæterum is càm modestià Regium honorem suscepit, ut inungi, & Diademate redimiri etiam rogatus non sustinuerit, quòd eo honore indignum sese constanter, tunc quidem, assereret.

Arnolfus perlato ad se de Conradi morte nuncio statim in Bojariam redux, magnisque studiis à Proceribus receptus, etiam ipsam Imperii Coronam præferre ausus est, cum non desicent, qui improbræ cupiditati faces subderent. Verùm postea respicere coactus, data fide de regio titulo non usurpando, ab Henrico Rege Ducatum recepit. Ferunt, Arnolfo tunc etiam concessam fuisse potestatem cooprandi Bojarie Pontifices, atque Abbates in demortuorum locum, quæ, refragantibus licet Ecclesie legibus, inter Regia jura recensebatur. Ea ille deinceps facultate pessimè usus, apud coævus & posteros *Mali* cognomen sibi peperit, quod illi etiamnum adhæret. De eo breviter sic habet Otto Frisingensis: *Hic est Arnolfus, inquit, qui Ecclesias & Monasteria Bojaria crudeliter destruxit, ac Possessiones earum militibus distribuit.* De Arnolfo plura inferiùs.

Interim Landoni, Pontificie Sedi post Sergium tertium nonnisi indignissimè, aut pauculis mensibus incubanti, Anno Christi 912. vel subsequenti, Johannes X. malis artibus subrogatus, usque ad Annum hujus decimi sæculi Christiani vigesimum septimum præfuit.

§. III.

Dracholfi Episcopi mors infelix.

Quantas calamitates Bojarie nostræ hætenus Hungari intulerint, quantasque desolationes eadem nostra Regio à Duce proprio Arnolfo perpessa sit, hætenus obiter explicuimus. Horum prædonum exempla etiam Dracholfum nostrum, egregiè scilicet, secutum fuisse, discimus ex quarto, seu Magno traditionum Frisingensium libro, ubi sic legimus: *Outoni Episcopo successit Dracholfus, qui instinctu humani generis inimici de Sede Episcopalis, & de Cenobijs tribus, videlicet Moseburch, Jfine, Schestilaren abstulit, exceptis purpuris & alijs Ecclesiarum ornamentis, in auro & argento ad CCCC. talenta, sicut in scriptis habentur.* Adjungitur statim de eodem Dracholfo: *& ut dicitur, in periculo quodam Danubii, quod vulgò vocatur Paize, vi-*

vendi

N. 983.
Arnolfus Bojarie Dux eadè Hungaros.

Opposit se Regi Conrado, & profertur.
Eberhardo Iudice, sed mox iterum fugavit.

Conrado I. successit Henrico Aucupis.

Novæ Arnolfi studia.

Id. 6. cap. 18.

Successio Summorum Pontificum.

Dracholfus Episcopus spoliat quoddam Monasterium.

Petit in Danubio.

vendi sinem fecit. Hæc ibi. Additur in tertio Episcoporum Frisingensium Catalogo, omnia, quæ Arnolfus Malus ab Ecclesia Mosputgenſi non abstulit, à Dracholfo Episcopo fuisse inde ablata. Ita Hungaris Arnolfus, Arnolfo deterior Dracholfus fuit. Tu interim, bone Lector, mirari desines, quòd decimo Christi sæculo tot Monasteria Bojariz interierint. Interim observamus, Dracholfum inter Episcopos nostros ordine duodecimum, talem ferè in Sede Frisingensi fuisse, qualis in Apostolico Collegio fuit Judas, ordine itidem duodecimus, qui, Scriptura teste, *fur erat, oculos habens*: ac demùm laqueo gulam sibi fregit. Quo ipso exemplo solari sese potest Frisingensis Ecclesia, dum inter primos 12. pastores suos unum lupum habuit, cùm nec ipse Dominus univerſorum Christi in Collegio à se instituto ejusmodi probro carere dedignatus sit, ut & nos bonorum discipulorum exemplis ad virtutem incitaret, mali verò discipuli supplicio à peccandi libidine revocaret.

Fecerat antehac Dracholfus quasdam bonorum Ecclesiz suæ commutationes fortè non inutiles, quas in Parte altera exhibebimus: Verùm quid proderat priùs rebus domesticis consulere, si in fine placuit eas dissipare?

De Dracholfo memorat R. P. Adamus Widl in suo *Drvo Sebastiano Eber-* p. 98.
ſpergenſi, quòd, cùm Eberpergæ stetit novum templum suis jam partibus absolutum, ejus tamen dedicatio justis etiam precibus impetrari nunquam potuerit. *Dracholfus*, inquit ille, *Frisingensis Episcopus, nescio qua ex causa in sententia sua firmus, immotusque consecrationem loci constanter abnuis, neque etiam potestatem exercendi actus ut alteri cuidam Prasuli faceret, unquam induci potuit.* Ita ille: qui id malignà dæmonis strophâ evenisse existimat. Verùm utut ea res se habeat: ob pessimam Ecclesiarum non tsm administrationem quàm direptionem in domesticis Codicibus passim nomen *sepidi* meritò Dracholfus reportavit, *mali* cognomine neutiquam minùs dignum quàm Arnolfus.

Diem obitus ferunt fuisse 25. Maji * Anno 926. Ubinam sanè Drachol-
fus sepulchrum nactus sit, nullibi scriptum reperio, minùs verò quo in loculo loculi ejus fuerint depositi? Cæterùm ex furto Dracholfi iterum confirmatur, non solùm Schefflariz & Mosputgi, verùm etiam Isanz cœnobium olim existi-

Scio, Lector optime, hoc II. Frisingensis Ecclesiz Sæculum fuisse terminandum non anno Dracholfi ultimo, sive Chrtisti 926. sed biennio ante, nempe An. 924. Verùm quia gesta ultimi vitæ Dracholfi biennii nullum paragraphum, ne dicam Caput, explere poterant, ea maluimus huc revocare, & initia tertii sæculi à Wolframò inchoare.



HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM III.

Ab anno Christi 924. usque ad
annum 1024.

SVV

LIBER TERTIUS,
De Episcopis ac rebus Frisingensibus tertii
Sæculi.

CAPUT PRIMUM.

De Wolframo, Frisingensi Epi-
scopo XIII.

§. I.

Electio Wolframi.

Tempus elec-
tionis.



Uo tempore (nempe anno Christi 926.) contigit Wolframi elec-
tio, Romanæ Ecclesiæ adhuc præerat Joannes X. Summus
Pontifex. Regnum Germaniæ Henricus Auceps moderabatur.
Udalbertus Salisburgensium erat Archiepiscopus & Monasterii
S. Petri Abbas. Ratisbonensem Sedem obtinebat B. Tuto, ex
Monacho S. Emerami factus Episcopus. Paraviensem Cathedram
occupabat Gumpoldus nullis meritis illustris. Wifun-
dum sive Bisunbertum, doctrina ac pietate insignem Virum, Sabionensis seu
Brixineosis Ecclesia Pastorem venerabatur: Augustanam verò Ecclesiam S. U-
dalricus religiosissimè juxta ac felicissimè gubernabat: ac demùm Arnolfus Dux
Bavariæ dominabatur. Frisingensi Sede post infelicitis Dracholfi obitu vacante
Caonicorum animi atque suffragia ita erant dispersa, ut, cum ad Electionem
Episcopi ventum esset, tres ex urna prodierint vororum numero pares, nemo
verò legitimus Episcopus. Resumpta semel iterùmque, ast diu incassum, ele-
ctione, demùm in Wolframum concessere suffragia, ex Aula, ut quidem con-
jiciunt, regia avitum. Eum fuisse nobilem de Perghausen, quorundam con-
jectura est; sed quam ad trutinam revocare in re tam obscura non vacat. Qui-
dam Domestici Episcoporum Catalogi notant, electionem fuisse anno sequenti,
nempe

Discordia
eigentium.

Tandem in
Wolframum
conspiran-
tium.

nempe Christi 927. confirmatam à Joanne X. cujus Pontificis miseram è sede Romana ejectionem, à foemina factam Pagius ad proximum annum, Christi 928. differt: quo eidem Leo VI. substitutus fuit: qui tamen ex Pagii calculo statim post menses septem & dies 5. rebus terrenis in carcere, in quem à feditiosis compactus fuerat, valedixit anno sequenti Christi 929. Mense Junio: succedente Stephano VII. al. VIII. ex Ordine S. Benedicti assumpto, uti roties laudatus P. Kolbius testatur. Quo rebùs, ut per temporis iniquitatem lieuit, non malè gestis, post biennium defuncto, solum D. Petri anno Christi 931. invasit Joannes XI. Sergii III. ex Marozia scorpò filius infelix, adeò, ut bene advertit mox laudatus scriptor; *Cumulata sunt tunc temporis Roma scelera enormia per unam feminam scelerum Matrem.* Nos ad Wolframum nostrum convertimur, meliorem Præfulera.

Summorum Pontificum successione.

§. II.

Acta Wolframi de quorum tempore constat.

IN ea, quam hætenus pro instituti nostri ratione breviter exposuimus, temporum barbarie, cum tot aliæ Ecclesiæ rebus prædiisque suis pro libidine malignorum Principum Procerumque spoliarentur, etiam Frisingensis nostra Ecclesia ejusmodi malorum non erat experta. Indoluit maxime Wolframus noster, illa ipsa prima Prædia, quæ Sanctissimus olim hujus Dicecefeos fundator Corbinianus tum suis, tum Grimoldi Ducis pecuniis huic Ecclesiæ prope Majas, & in Valle venusta comparaverat, nescio cujus avaritiâ atque Sacrilegò ausu eidem Ecclesiæ fuisse detracta, & in usus profanos conversa. Quare Wolframus, ut primum fieri potuit, Regem Henricum convenit, rogavitque, ut auctoritate regia prædicta bona, Ecclesiæ suæ iniquè crepta, eidem restituerentur. Annuit justæ petitioni Rex optimus, & Wolframq. Præceptum dedit sequentis tenoris.

Prædia à S. Corbiniano comparata subtrahuntur Ecclesiæ Frisingens.

IN nomine Sanctæ & individua Trinitatis. *Hainricus divina favente Clementia Rex. Divina igitur auctoritatis innumerabilibus provocatur exemplis inutile terrenum spernere negotium & perpetua felicitatis adunare substantias, quas erugo & tinea demoliri nequeunt, nec fures effodere & furari. Idcirco noverint omnes fideles nostri tam præsto manentes, quam etiam futuro tempore succedentes, qualiter nos rogatu fidelis nostri scilicet Wolframi Frisingensis Ecclesiæ Episcopi prædium à S. Corbiniano quondam emptum, & à Monasterio in ipsius honore constructo, hætenus injustè ablatum in jus proprietatèque præfati Monasterii per hoc nostræ auctoritatis præceptum remittimus perpetualiter possidendum, hoc est, Majas, & Chozes, & Chames, & quidquid, ad hæc jure, legitimèque pertinere videtur, tam terris, quam domibus, mancipiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus, & immobilibus, vel quidquid dicitur, aut nominari potest, quæ sita esse noscuntur in pago Venusta in Comitatu Bertholti. Et ut hoc firmius credatur, diligentiusque inconstaminatum observetur, hanc nostri corroborationem præcepti inde conscribi iussimus, manusque confirmatione indita annuli nostri impressione sigillari præcepimus. Signum Henrici Serenissimi Regis*

Henricus Rex jubet ea restitu.

Signum.



Hauria Srenissimi Regis.



Poppo Cancellarius ad vicem Hildiberti Archicapellani recognovi anno Incarnationis Dominica DCCCXXXI. Indiæ. IV. XVIII. Kal. May. anno Imperii Heinrichi Regis XIII. actum in Quitlingiburg feliciter Amen. Ita Wolframus prima Ecclesie Frisingensis prædia præcepto Regis feliciter fuere adjudicata. Ubi obiter advertimus, Ecclesiam Frisingensem adhuc tempore Wolframus ex veteri consuetudine aliquando *Monasterium* fuisse nominatam. Et fortassis reapse nondum omnem Monasterii formam Ecclesia illa deposuerat, cum non constet, Canonicos jam hoc tempore seorsim proprias mansiones inhabitasse. Cæterum præceptum Regis effectu caruisse, mox videbimus.

At fructu.

Synodus Dingolfingam.

Patroni Arnoldi Ducis.

Proximo anno nempe Christi 932. cum Arnolfus Malus, Bojarie Dux irrito conatu Italie coronam prensasset, meliori consilio Dingolfingam sese contulit, ubi sacri Bojarie Præsules Hildebertus Salisburgensis Archiepiscopus, Eusebinus Episcopus Ratisbonensis, Gerardus Patavienfis, Wolframus noster Frisingensis, Nichardus Sabionensis, unâ cum quibusdam Legatis Udalfridi Eistextensis Episcopi, de restauranda Cleri Disciplina, & recuperandis Ecclesiarum bonis seria consilia tractabant. Scribit non nemo, sacra hæc Cornicia ab ipso Arnolfo fuisse convocata, & mutata in melius Arnolfi mentis documentum superesse in membranis Frisingensibus, in quibus Bertholdus Arnolfi frater, & in Ducatu post quinque annos successor, publicis tabellis testetur, ex sua fratris sententia Divo Corbiniano avitas possessiones redditas fuisse, quæ fraude vel vi fuerant interceptæ. Addit idem scriptor, benignam divinationem esse, Arnolfum, quod erga Frisingensem Ecclesiam animo fuerit, eodem cæteras esse complexum, quocunque tandem duce ad bonam mentem dicatur rediisse. Hæc ille: qui in suæ sententiæ confirmationem literas Bertholdi Ducis è veteribus membranis Frisingensibus producit sequentis tenoris.

Ejus defensio.

Bertholdus divina favente Clementia Dux Rudperto & Merolto nostris fidelibus. Cognoscere vos volumus, quod dilectissimus frater noster Arnolfus unâ nobiscum, rogatu Wolframus Venerabilis Episcopi in Frisingan, prædicti Episcopi Parochiam, ubi S. Corbinianus requiescit, cum nostris fidelibus convenimus, ibique invictissimus frater noster pro remedio anime sue quasdam res ejusdem Ecclesie quondam injuste abstractas, cum consilio suorum fidelium relaxavit. Nos verò vite nostra felicitatem, omniumque nostrorum prosperitatem prospicientes, & consulti jam dicti fratris nostri, cæterorumque fidelium nostrorum precibus, præfati Episcopi, omnisque ejus familia petitionibus ammentes, proprietatem beatissimi Christi Confessoris Corbiniani ad Mayes & Chorzes, quam liber ejus, illius esse jure testatur, & præfatis temporibus injuste ab Ecclesia ejusdem Sancti ablatam esse constat, in Requiem B. Dei Genitricis Mariae, & ante dicti Confessoris Christi Corbiniani, in manus præscripti Episcopi, potestativè remisimus. Hucusque Historiographus ille verba instrumenti recitat, ut probet, avitas possessiones divo Corbiniano fuisse ab Arnolfo

Valde studiose quærit.

reddi-

redditas. Crederemus sanè narrationi hujus scriptoris, nisi oculis cerneremus, in instrumento illo immediatè subjungi verba sequentia: *quapropter precipiendo vobis jubemus, ut sicut gratiam nostram habere velitis, prædictis proprietates ad Majes & Chorges & omnes res jure ad easdem pertinentes sine ulla mora absque ullo impedimento Nunciis prædicti Episcopi repræsentare & ejus servituti subjungere, potestatisque illius restituere non tardetis. Ut autem hæc auctoritas nostri præcepti & legationis firmior & stabilior habeatur & à vobis credatur, & diligentius perficiatur annuli nostri impressione sigillari jussimus, quia hoc præceptum nostrum firmum & inviolabile esse volumus.*

Ita habet Instrumentum, quod in libris traditionum quarto, quinto & sexto exhibetur. Circa quod nos observamus sequentia.

Henricus Rex anno Christi 931. præcepit, ut Wolframo Episcopo bona in *Majes Chorges &c.* restituerentur. Sequenti anno, ex mente scriptoris nostri Dingolsingæ conventus fuit celebratus, ubi de restituendis in integrum sacris domiciliis consultabatur. Mortuus est primùm post quinquennium nempe anno Christi 937. Arnolfus Malus, ut infra videbimus, ei que successit frater Berchtoldus: & tamen eo tempore bona illa, quæ tum urgente Regis mandato, tum synodi Decretò Frisingensi Ecclesiæ restituenda fuerant, adhuc nondum erant restituta, ut apertè habeatur in parte instrumenti à nostro scriptore ommissa. Quomodo ergò credemus, ab Arnolfo fuisse *Divo Corbiniano avitis possessiones* cum effectu *redditas*? Reducti ad meliora consilia animi laudem Arnolfo minimè invidemus: convincimur tamen, laudem illam ferè intra simulata proposita constituisse, quippe quæ seria executione integro lustro caruere, neque effectum habuere, donec Arnolfo mortuò Berchtoldus frater Ducatum adeptus est. Quòd si non aliò erga cæteras Ecclesias, atque Frisingensem, animò Arnolfus fuit, certè, aut parùm aut nihil iis restituit. Diploma Henrici VI. Imperatoris quod in Metropoli Hundii *Tom. III.* recitatur, tradit, Ecclesiam Tegernseensem à *Arnoldo* (qui est ipse Arnolfus noster) *Duce Noricorum, affectante Romanum Imperium, & discordante cum Rege Henrico, fuisse primo redditibus despoliatum, & penè universa, quibus ditata & dotata fuerat, per beneficium transisse in usus Laycorum in hac discordia sibi famulantium.* Additur verò paulò infra, primùm tempore Ottonis II. cultum divinum eò loci fuisse restauratum. Similia habentur in aliis monumentis Tegernseensibus, Benedictoburanis, Nideraltaichensibus, Münchs-Monasteriensibus, Schyrensis, Schlierseensibus, Schefflariensibus, Andecensibus. Neque his absimilia scribunt Andreas Ratisbonensis, Arenbeckius, Mabilionius, Raderus, & dudùm ante hos Berio Augiensis, Metellus Poëta Tegernseensis, Otto Episcopus Frisingensis, Radevicus Canonicus Frisingensis, & alii: ut mihi quidem benigna scriptoris, cum quo agimus, de Arnolfo divinatio hætenùs probari neutiquam possit, mirari que debeam, cur spongia quærat Arnolfo, tot verò scriptores imposturæ damnentur? Verùm de his judicent alii. Illud hic monemus, Arnolfi Ducis ex Italia sive fugam sive reditum ab Antonio Pagio usque ad annum Christi 934. differri.

Eodem Christi anno scilicet 934. reponitur à Bucelino, aliisque memorabilibus Victoria, qua Henricus Rex Hungarorum maximum numerum profligavit, exercitu ejus in soleam erumpente tesseram: *Kyrie eleison.* Quam Victoriæ Henrici modestia cælo adscripsit, prædàmque omnem in Ecclesiis & pauperes erogavit. Porro ipsemet Henricus reddita adversùs Hungaros Germaniæ pace, cum de itinere Romano, ac suscipienda Imperii corona tandem cogita. Henrico hæc cupi succedit Otto Magnus ret, morte interceptus est anno Christi 936. postquam à rebus gestis *Magni* nomen consecutus fuerat, relictà coronà Ottoni filio, cui deinceps icidem *Magni* nomen præclara facta pepererunt.

Ad eundem annum Pagius refert obitum Joannis XI. Pontificis in vinculis mortui : cui fuffectus est Leo VII. à Scriptoribus passim commoedatus ; quem

Tom. III. Annot. ex nostro Divi Benedicti Ordine assumptum fuisse Mabillonius scribit, & probat.

PG. 424.

§. III.

Reliqui duo anni Wolframi Episcopi.

Erasm. Annot. Sacr. part. 8. lib. 7. pag. 413. & citat. ibid.

ANnus Christi oongentesimus tricesimus septimus Arnolfo Malo Bojariæ Duci ultimus fuit. *Malus* nomeo promericum fuisse, quam plura antiqua tabularia, atque scriptores ut supra vidimus, uno ferè ore testantur : qui tamen ab uno & altero recentiori dire vulpant. Bernonem, Augiensis Abbatem, de Arnolfo *insatè* scripsisse, Metellum, Poëtam Tegero-fensem, & alios, Sæculi XI. homines geoio suo in laceraoda Arnolli famâ iodulsiisse Scriptores hi oovi contendunt : sed, amabò, quare ? quia, ioquiunt, Berno, Metellus, & alii scripserunt sine teste : & quia alii Scriptores non afferunt, quæ Beroo & Metellus scribunt. Verùm O boni ! vos truncatò, ac laceratò ad vestrum genium instrumentò scribitis, Arnolfum læsis ac spoliatis à se Ecclesiis restituisse prædia ablata. At quo id vos teste, qua membrana, quo instrumento synchrone firmatis ? quo veterum boc, aut ubi suggestit ? nunquid Bertholdus Dux ista vos docuit ? adeone benignè vobis pro Aroolfo divinare & hariolari licuit, ut etiã convitiatorum plaustra in Scriptores veteres celeberrimòsque & rebus gestis vicinos (quorum aliqui totius acerbæ Catastrophes seriem ab Avo quisquesuo commodè haurire poterat) exonerare non pigeat, eò quòd contra Arnolfum scripserint, quæ ad Panegyres vestras nihil conferunt ? Er demus sanè, conficta fuisse à nonnullis quædam supplicia, in quæ Numinis vindicta Arnolfum præcipitaverit : quid tum ? ergò idcirco Arnolfus fuit *Princeps optimus, & Modestia Magister* ? Verùm de his ad defensionem Bernonis, Metelli, uti & Ottoois ac Radevici Frisingensium : aliorumque Scriptorum facis. Optamus, ut Aroolfus optimè io æternitate habeat : & oulli palpones in orbe reperiantur.

Defendantur Scriptores Sæculi XI.

Succesio in Ducatu Bojariæ.

Reliquit post se Arnolfus filios tres, Eberhardum, Arooldum, & Hermanum ; filiam unam Juditham. Ex his Eberhardus statim à morte Patris Ducatum sibi vindicare studuit, ast oulla Regis venia aut concessione. Eberhardo frater uterque sese opposuit. Rex verò omnibus tribus fratribus Bertholdum patruum deioceps prætulit, atque Bojariæ præfecit. Prævaluisse tamen aliquo tempore Eberhardum, suo locò in actis S. Lantperti Episcopi nostri referemus.

Otto I. accipit Coronam Regiam.

Ad hunc ipsum annum Baronius refert coronationem Ottonis I. Imperatoris, Aquisgrani factam. Lis erat inter Archiepiscopos Moguntinum, Trevirensis, atque Coloniensem, quis eorum novo Regi coronam noo quidem Imperii, sed Regioi impoeret ? Trevirensis allegabat antiquitatem sui Episcopatus, jam ab ipso S. Petro, Apostolorum Principe instituti. Colonienfis contendebat, oon alii, quam sibi coronandi Regis honorem competere, quippe ejus sacræ Jurisdictioni Aquisgraoum esset subiectum. Cessit tamen uterque Moguntino, qui ex Monasterio Fuldensi in eam sedem maximis meritis exigentibus, assumptus fuerat, natus, ut Bucelious scribit, ex Francoiæ Ducibus. Sacros ritus in ea coronatione adhibitos, populorumque applausum tum Baronius, tum Pagius fufius recensent, cum eo tamen discrimine, quòd Pagius eam coronatioem ad annum præcedentem, Christi scilicet 936. reponat.

Christus Wolf. 446.

Anous Christi 938. ultimus fuit Wolframi nostri, uti tum Frisingenses caralogi, tum codex pervetustus Weichenstephaoensis affirmant. Dies obitus ali-

cubi

cubi signatur oona Julii : atin libro Anniversariorum Frisingensium ponitur dies nona Junii , SS. Primo & Feliciano sacra. Gamanus diem 16. Julii designat. Conditus fuit in tumba ex continuo lapide topho , eoque perquam candido excavata , & inveota die 13. April. anno 1701. cùm , ut sæpius diximus , Ecclesie Cathedrales area marmore esset obducenda. Tradidit Wolframus ad altare S. Pancratii in crypta prædium quoddam suum in *Perchosun* , tum ut ad aram illam sacrificia pro se ab aliquo Fratrum fierent , tum ut recurrenre aniverfaria ejus memoria congruum fratribus exhiberetur *servitium* , id est , solatium. Literas illas in parte altera producimur , ubi eos Lector benignus inveniet.

N 990.

d. N. 991. 1099
1019.

Fecit Wolframus complures bonorum Ecclesie sue permutationes , in quibus tamen nihil occurrit singulari meotione dignum , nisi quod inter testes ter occurat *Lantperche* , quem in Episcopatu successorem Wolframum fuisse arbitramur , noo tameo asseveramus. Cæterum Wolframus noster io catalogis quibusdam Episcoporum Frisingensium dicitur supplevisse ea , quæ Deceffor ipsius Dracholfus infeliciter dilapidaverat , Pastor sæculò æræ Christianæ iniquissimò sanè Optimus ; qui juxta calculum nostrum annosferè duodecim in Frisingensi sede exegit , translatus ad superos anno , ut diximus Christi 938. Leone VII. summo Pontifice , Ottone Magno Romanorum electo Imperatore , Egilolfo Salisburgensium Archiepiscopo , & Gerardo seu Gebhardo Pataviensi , Isingrino Ratisbonensi , Wifundo Sabionensi Episcopis : Bertholdo Arnolphi defuncti fratre Bojarie Duce legitimo ; quamvis alii Eberhardum Arnolphi filium agnoverint Bojarie Ducem , ut mox infra videbimus.

Compendio
Ep. Wolframii

CAPUT II.

S. Lantpertus Episcopus Frisingensis XIV.

§. I.

Genus , conditio & electio S. Lantperti Episcopi.

NOn hic de Lamberto Lugdunensi , neque de Lamberto Tungrensi Episcopo nobis sermo est , benigne Lector , quorum nomina Romano Martyrologio illata cerotimus ; sed de alio S. Lantperto , Frisingensi Episcopo , quem sola Frisingensis Ecclesia atque Dioecesis annuò publicò officio XIV. Kal. Octobris , nempe die 19. Mensis Septembris colit. Sunt , qui conjiciant , eum Sighardi Comitum de Sempt & Ebersperg , ac Matris Gotinæ (quos in cathedrali Frisingensi Basilica humatos fuisse in actis Utonis Episcopi diximus) fuisse filium. Verùm cùm R. P. Adamus Widl , qui seriem ac genealogiam Comitum Semptensium satis operosè discussit , nullum alium hinc Parentibus filium , præter Ratholdum , assignet , de Sancto verò Laoperto in scriptio- ne illa genealogica nullam mentionem faciat , meritò dubitabimus , an conjectura illa fidem eruditis parere possit , maxime cùm etiam Hieronymus Megiserus , qui in annalibus Carinthiæ tabellam genealogicam Semptensium Comitum texuit , de S. Lantperto nihil commemoret. Utcunque res habeat : illud io vetustis liturgiis ac Breviariis Frisingensibus legimus , Lantpertum nostrum in ipsa infantia exemplo Divi Nicolai certis per septimanaom diebù lacte Matris abstinuisse : eo verò lacte , quod infantulus sibi subtraxerat , tribus cæcis oculorum usum restitutum fuisse , quod in Lantperti pusionis gratiam divinitus factum esse , meritò creditum fuit.

Diversitas inter
Sanctos
Lambertum, &
Lantpertum
Frisingensem
Episcopum.Lantperti pro-
lapia.Sanctitas
Lantperti in
infantia.

Fuisse

Electo.

Fuisse Lantpertum unum de Frisingenorum Canonicorum Collegio, ex eo etiam fit credible, quod Lantperti nomen ter occurat in Instrumentis Frisingensibus sub Wolframo scriptis, ut supra monuimus. Neque dubitari potest, quin unanimi omnium voto Cathedram conscendere iussus sit, cum pii Electores merito sperare potuerint, se in Lantperto factum quendam Nicolaum sedi Frisingensi imposicuros esse.

Porro Lantperti Electio secundum codices quidem domesticos refertur ad annum Christi 938. diem verò 28. Augusti: nihilominus tamen verius esse videtur, Lantpertum nostrum aliquantò priùs fuisse electum Frisingensem Episcopum, idque colligitur ex epistola Leois VII. Pontificis, scripta *Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbasibus, Comitibus: pari etiam modo Epilopho Juvavensis, Isingrum Ratisbonensis, Lantperto Frisingensis, Wisundo Sebonensis Ecclesia Venerabilibus Episcopis, & ceteris per Galliam, Bavariam, Alemanniam commorantibus.* Ubi postquam Pontifex ad Gerardi (Laureacensis Antistitis) consultiões singillatim respondit, subdit in fine: *præter hæc Eberhardo Ducis Bavariarum nostra auctoritate injungimus, ut præfato Gerardo Archiepiscopo in omnibus auxilium præstet.* Quibus ex verbis (subjungit Pagius) apparet, hanc epistolam currenti anno (nempe 937.) fuisse datam, cum Eberhardus, qui Ducis titulum, noménque sibi attribuebat, annò proximo ab Ottone Rege in exiliu mactus fuerit. Ita ille. Tota Pontificis Epistola exhibetur io actis Coönciliorum, & Epistolarum Decretalium editionis Harduiniana: eandemque P. Josephus Mezger in Historia Salisburgenſi operose lætis exponit. Quòd si igitur hæc Epistola ad annum Christi 937. pertinet, Lantperti electio ad annum Christi 938. differri noo potest.

Tom. VI part.
I. col. 177.
Pag. 283.

§. II.

Ecclesiæ, Imperii ac Bojariæ status sub S. Lantperto Episcopo.

Conventio
Bohemorum.

S. Wences-
laus.

Martyr.

Bella varia.

Bohemia circa annum Christi 895. per S. Methodium Episcopum, antehac S. Andreæ in urbe Mooachum Christo adjuncta fuerat, Borosivoio Duce ac Ludmilla Conjuge salutarì lavacro expiatis, velut sub Waldoee Episcopo jamjam monuimus. Uratialis Borosivoji & Ludmillæ filius, Princeps Religiosissimus, ex Drachomira, gentili femina, liberos duos suscepit, Wenceslaum nempe & Boleslaum. Horum Wenceslaus à Ludmilla avia sua sanctissimè educabatur. Verùm Drachomira, femina in Christiano immanissima, Uratislao Maritò mortuò, Regimen invasit, & tam Ludmillæ, quàm Wenceslao per alterum filium Boleslaum necem conscivit. Impia Wenceslai, Castissimi Juvenis carles, à fratre illata, referri solet ad annum Christi 938. qui ceu verus Christi Athleta deinceps ingentibus claruit prodigijs, neque in Catalogum Sanctorum duntaxat, verùm etiam in eorum numerum relatus est, qui in Dei Ecclesia coluntur annuò officio, in quo legimus, Matrem inhumanam terrâ fuisse absorptam. Otto Imperator tantum scelus vindicaodum ratus, exercitum in fratricidam movit, ac bellum Bohemiæ intulit, variâ deinceps fortuna in plures sonos protractum. Intervenere alia adversùs Lotharingos, ac Palatios, Gallos, & Saxones bella. Bertholdi Bojariæ Ducis insignem adversùs Hungaros Victoriàm Bucelinus ad annum Christi 943. mortem verò illius ad annum 945. refert. Bertholdo nostro Imperator Otto fratrem suum Henricum in Bojariæ Ducatu suffecit, ac multis deinceps annis Boji Saxonibus parvè, uti olim Francis. Henricus hic noster, primus eo nomine Bojariæ Dux, anno Christi 948. duplici prælio Hungaros prostravit, beato Rattone, seu Raffone, Ande-

Andecensî & Dieffensî Comite exercitum ducente, qui deinceps Monasticen in condito à se pro 13. personis Ordinis S. Benedicti juxta Ambram, seu Ambronem fluvium Cœnobio Werdenſi amplexus, meliora apud Regem Regum stipendia fecit, uti Arenbeckius, Brunerus, Bucelinus, Andecenses nostri, aliique scribunt.

R. Ruffo

Inter hæc anno Christi 939. Leo VII. de reformato Clero utroque, regu-
lari nimirum arque seculari, optimè meritis diem suum obiit. Leoni succes-
sit Stephanus VIII. a. IX. primus ex Germanis Pontifex Maximus, qui ab Italis
Germanorum Oforibus dira perpeſſus, ex mente Antonii Pagii è Petri folio ac
vita migravit anno Christi 942. Stephanum excepit Marinus II. Romanus, Pa-
cifici Papæ nomen adeptus; qui anno Christi 946. Petri sedem cum tumba, vi-
tam cum morte mutavit, Agapito II. in ejus locum ſuffecto. Legimus in Mau-
ſolæo Divi Emmerammi, eo ferè tempore nempe anno Christi 942. Conrado
primo Ratisbonenſi Episcopo ſucceſſiſſe Guntherum, Monasterii S. Emmeram-
mi Monachum, de quo tum ipſe libri ſcripror Reverendiſſimus, tum Bucelinus,
Mabillonius, aliique hæc ferè habent. Ratisbonenſi Eccleſiæ præficitur B.
Guntharius S. Emmerammi Monachus, monito per noctem Cæſare eum eligere,
qui primus templum adeunti occurreret. Occurrente autem Gunthario cum
Cæſar rogaret, quidnam ſibi rependere vellet, ſi ipſum Pontificem renuncia-
ret? calcem arripens ac exhibens vir Sanctus, iſtum, inquit, & quo ſcilicet
honores pridem omnes proſtritos voluerat, & designabat. Coactus nihilomi-
nùs præſſe, qui ſubeſſe elegerat, inſigne ejus Cathedræ & Germaniæ ornamen-
tum fuit. Ita illi. Obiit tamen non ita multò poſt Vir Sanctus, qui Mytram &
calcem eodem loco habuerat, & præ utroque mortem unice ſuſpiraverat,
Numine ſancta ejus vota exaudiente. Vacanti poſtea Sedi Michaël eſt impoſitus.

Succellio Vo-
manorum
Pontificum.

B. Guntharius
ſeu Guntherus
Episcopus Ra-
tisbonenſis.

In Salisburgenſi Cathedra Egilolpho Heroldus ſucceſſit, qui multam Hiſto-
ricis de ſe ſcribendi occasionem præbuit, ob infandos auſus exoculari promerit-
tus. Gerardum Patavienſem excepit Adalbertus, quem Bucelinus quidem Arch-
epiſcopum Laureacenſem appellat, Mezgerus verò noſter non niſi Episcopum
Patavienſem agnoſcit, tum quòd ab Ottone II. Imperatore in Diplomate quo-
dam ſolo Episcopi titulo ſalutatus fuerit, tum quòd ipſe in Concilio Ingelhei-
menſi, ac Synodo Auguſtana, (de qua infra) non niſi Episcopum ſeſe ſubſcri-
perit. Porrò quousque Sabionæ Wiſundus præfuerit, hætenùs nobis incogni-
tum manet.

Altiſſimi Epi-
ſcopi.

§. III.

Hungarorum barbaries atque internecio.

Illata ex tot Hungarorum immaniſſimis incurſionibus univerſe propemodum
Germaniæ damna, cædes, incendia atque excidia tum ab externis tum à
domesticis ſcriproribus ad annos adeò diverſos, ut diximus, referuntur,
ut manifeſtum ſit, Sæculi bujus infeliciffimi cbaos etiam in calamos, pennasque
Hiſtoricorum redundâſſe, adeò, ut neſciamus bodie, quæ, & quanta, &
quoties diverſe Germaniæ partes à barbaris illis fuerint perpeſſæ? id unum
certum eſt, gentem illam, in Germaniæ exitium natam, nullibi tantas clades,
ac in Bojaria, utpote provincia viciniori, ſparſiſſe. Cadibus, incendiis, rap-
pinis vaſtata fuère loca ferè omnia, quæ mœnibus deſtituta erant, maximè cum
malus Arnolſus, qui ſuorum Protector & Pater eſſe debeuerat, barbariem ſuam
Hungaris, Parentis ſui quondam acerbiffimis hoſtibus, atque interfecto-
ribus, ſociâſſet. Procubuère ex tantis calamitatibus præcipua ordinis noſtri per Bo-
jariam Monasteria, Altacha utraque, inferior ſcilicet ac Superior, Chiemenſe,
Cobelenſe, Cremifanenſe, Illmonaſterienſe, Monacho-Monaſterienſe, Oſter-
R. P. Caroli Meichelbeck Hiſt. Friſing.

Excidia Mo-
naſteriorum.

Y

bovi-

hovicenſe, Pollinganum, Sandaviſſe, Schefflarienſe, Schlechdorffenſe, Schlierſeenſe, Staffelſeenſe, Tegernſeenſe, S. Viti * Friſingenſe, Thierbauphanum, Weltenburgenſe, Weſſofontanum, ac plura alia, inter quæ procul dubio etiam Iſanenſe atque Tegernbacenſe numeranda ſunt. Monachorum alii gladiò, alii ſuſpendiò, alii igne perire: pars ingens velut pecorum grex in diram captivitate abacti ſunt: pauculi fugâ ſalutem impetrârunt. Theſauri omnes aut ablati aut direpti fuere. Latifundia, quæ Hungari auferre non poterant, aut tributa aut conſeſſa erant militum atque aliorum avariciæ, ut adeò ſtatus rei monaſticæ eo quidem tempore planè fuerit deplorandus, cum vix eſſet, qui manum porrigeret novis ædificiis excitandis, maximè cum ipſi Monaſteriorum fundi in alienam poteſtatem tranſiſſent. Superi! quanta detrimenta tunc temporis etiam illata fuere literariæ rei, cum nobiliſſima tabularia ac Bibliothecæ præcipuorum Monaſteriorum maximam ſui partem lacronibus, furibus & ignibus in prædam ceſſete.

Inter tot loca atque oppida aſcere etiam Civitates Oetingana, atque Friſingenſis: ubi tamen vetuſtiſſimum Sacellum Oetinganum manifeſto Deiparæ præſidio prodigioſè ſervatum fuit: & Cathedralis quoque Eccleſia Friſingæ excidium effugit, ut modò dicemus.

Hungari anno Chriſti 955, tantò numerò in Bojariam inſuſi, quantò aliàs nunquam conſpecti fuerant, palàm jaſticabant, ſe, ni cœlum rueret, aut terra dehiſceret, vinci aut domari non poſſe. Et ea erat graſſantium Barbarorum ferocia, ut ſacra & profana ſurſum deorſum verterentur, oppida excinderentur, omnia denique cædibus ac incendiis opplerentur, relictis ubique triſtiſſimis barbaræ immanitateſtis veſtigiiſ. Et jam, Friſingâ etiam direptâ, Sacræ Divorum Stephani ac Viti ædes arſerant. Sola Cathedralis Eccleſia adhuc excidium opperiebatur, ſed quam Lantpertus noſter divinæ Numinis proteccioni impenſiſſimè commendabat, Cœlùmque in adiutorium vocabat. Valuere ſanè piſſimæ Viti ſancti lacrymæ. Tameſi enim integro ſex dierum ſpatio Hungarorum truculentus furor Friſingæ debaccharetur, mons tamen Friſingenſis nebula indefinente obductus, oculos barbarorum eluſit, atque cum Baſilica Cathedrali, contiguisque ædibus ab excidio liber fuit. Sunt, qui teſerant, principi quidem templo faces fuiſſe ſubditas, aſt ſacram illam ædem flammas minimè concepſiſſe, ignemque ſequiorem fuiſſe, quam ardorem Epilcopi, Sponſam ſuam Deo, diviſque Tuclariibus commendantiſ. Ita Lantpertus piis lacrymis incendium & reſtinxit & propulſavit, in tenebris ſuis verè Clariffimus. Porrò Hungari paulò poſt Auguſtam, Urbium ampliſſimam, & illatis eò ex omni latè vicinia theſauris opulentiſſimam, obſidione jamjam cinſturi, tum armatis Divi Udalrici precibus, tum Caſaris Ottonis virtute incredibili eam denique cladem retulere, quam Hiſtoriograpbi penè innumeri meritò ad Cœlum uſque extollunt. Paucis damus omnia: Barbatorum infinitus penè numerus in campis lycatibus à modico Chriſtianorum exercitu interneccione deletus eſt, tribus eorum Regulis Reginoburgi, vultibus in patriam ſuam verſis, in furcam poſtea actis: Quo factò deinceps reliqui barbari jam non timeri, ſed timere dicerunt. Actæ fuere per cuncta Divorum teſtidua templa Deo gratiæ: & Otto Impetator Pater Patriæ audiit. Ferunt, jejunium, quod feſto Divi Laurentii hodièque præmittitur, originem trahere ab eo jejunio, quod idem Otto Imperator pridie ante conſictum, in feſto Divi Laurentii ineundum, milicibus ſuis indixerat. Ita Victoriæ illam in hodiernum uſque diem meritò omnes celebramus.

Interea ex ſuprà enumeratis Monaſteriis quædam equidem poſteris temporibus, piorum fidelium, Principum ſcilicet atque aliorum Operâ Inſtituto noſtro Monaſtico fuere reſtituta, quædam verò in aliorum uſus converſa; aliqua è ruinis ſuis nondum emere. Deceſere Ordini noſtro ex ea Clade in hodiernum uſque diem Monaſteria Chiemenſe, Illmonaſterienſe, Pollinganum, Scheff-

* *vid. præcipuè
Friſing. admo-
n. 10.*

*Friſinga in-
cendit perit,
ſervata tamen
Cathedrali
Eccleſia.*

*Clades Hun-
garum.*

*Monaſteria
illa ab ordi-
ne S. Bene-
dicti aruſta.*

Scheffliariense, Schlechdorffense, Schlierseeense, Hanense &c. Extincta manent Cochelense, Sandavienſe, Staffeſeeſe, ac Tegernbacenſe, quæ tamen converſe fuere in Eccleſias parochiales, quarum Cochelſenſis & Sandavienſis Monasterio Benedicteoburano, Staffeſeeſis Monasterio Etalenſi ſubjectæ manent. Tegernbacenſis verò patronum habet Ceſſiſſimum Ordinarium ſuum, Frisingenſem Episcopum. Cætera, quæ ſuperiùs recenſuimus Monasteria intra annos centum & ampliùs revixere quidem, verùm pleraque ad fortunam priſtina nuncquam rediere: ut planè ſatis obſtupeſcere non poſſimus, potuiſſe reperiri Virum, in membranarum Boicis verſarum, qui prætereſſe voluerit, Arnolſium malum reſtituiſſe Monasteriis, quæ abſtulerat, & militibus ſuis diſtribuerat. Graviſſimam tamen jaſturam Optimum Numen ſuis temporibus aliis Monasteriis non paucioribus, Ordini noſtro erigendis, ſuppleturum abunde erat, uti congruis occaſionibus memorabimus.

Alia penitus
extincta.

§. IV.

*Gesta reliqua, & Mors S. Lantperti Episcopi
Frisingensis.*

Scitis equidem encomiorum erat, quæ Lantperto noſtro ob conſervatam atrociffimo tempore Cathedralē Eccleſiam Frisingenſem tribui à nobis debebant: verùm oportet etiam alia, utut comparatione minora, poſteriorum memoriæ commendare. Ac primò quidem quantum Frisinga ulterius debeat Lantperto, ex ſequenti Ottonis Imperatoris Præcepto Lectori expendendum relinquimus. Illud ſic habet: *In Nomine Sanctæ & individua Trinitatis Otto Dei gratia Rex. Notum eſſe volumus omnibus Sanctæ Dei Eccleſie fidelibus noſtrique, qualiter Venerabilis Frisingenſis Eccleſie Præſul, Lantpertus nomine, noſtram adiiſſe Ceſſitudinem, deprecans, ut traditionem cujuſdam Abbatiola Moſepurug dilectæ ab Antecęſſore noſtro ſelicis memoria Arnolſio Rege cum omnibus jure, legitimeque ad eam pertinentibus ad præſatam Eccleſiam condonata, nec non & cujuſdam Curtis Regia Veringa à filio ejus Hludovrico ſimili modo illuc delegatæ iterum auctoritatis noſtræ ſcripto roborare dignaremur, cujuſ petitioni per interveniendum dilecti Ducis noſtri Pertholdi aliorumque fidelium noſtrorum Bavaricenſis Regionis Principum Episcoporum & Comitum libenter aſſenſum præbentes hæc eaſdem traditiones, nec non & mancipia his nominibus Otperht, Kerlind, Fuſa, Adelmos cum filiis eorum pridem à Regibus illuc tradita, ſed per quandam machinationem noviter ad Cameram regiam exquiſita, præſatæ Eccleſie Præſuli, poteſtatique ſubiicimus, & per noſtra largitionis ſcriptum iterum renovamus. Juſſimus quoque hoc præceptum inde conſcribi, per quod volumus, firmiſſerque jubemus, quatenus prædicta Abbatiola & Curtis Regia Veringa nominata, ad Frisingenſium Episcopium jure pertineant, perpetuo, & à Miniſterialibus ejusdem Episcopi teneantur, & poſſideantur, ut auctem hæc conſeſſio noſtra a firmam ſempiterno tempore ſtabilitatem obtineat, manu noſtra roboravimus; annuloque noſtro inſigniri præcepimus.*

S. Lantpertus
obſeſt con-
firmationem
plurimam do-
nationum.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis. Poppo Cancellarius ad vicem Frederici Archi-Capellani recognovi.



Data III. K. Jun. anno ab Incarnatione Domini D CCCC XL. indictione XIII. fer. II. anno autem Ottonis piissimi Regis III. aeternum Salve, in Dei nomine feliciter, Amen. Hæc ibi.

A Num 1030.
usque ad N.
1039.

Signum ac sigillum hic non piguit exhibere Lectori, qui perpensis, quas produximus, literis facillè intelliget, Frisingam Lantperto manere gravissimè obligatam.

Plura etiam Ecclesie sue Bona Lantpertus utiliter commutavit, prout intelligimus ex instrumentis, in Parte altera adducendis: in quibus illud obiter advertimus, Lantpertum quoque nostrum adhuc curam habuisse bonorum Schlehdorffensium, quippe qui quaedam ejusmodi prædia permutavit dandò Irminhero nobili locum in Liuppincheim, accipiendò verò alia bona in Pasing. Cæterùm in instrumentis quibusdam mox laudatis videmus advocatum seu defensorem Frisingensis Ecclesie nominari Ratoldum: quem diu suspicabamur fuisse Semptensem Comitem. Verùm, si P. Adamus Widl vitam Ratoldi Semptensis Comitis non nisi ad annum Christi 919. benè protendit, is cum nostro Ratoldo confundi non potest, ut nemo non videt. Quòd si tamen malimus in hæcere sententia Megiseri, qui Ratoldi obitum ad annum usque 939. differt, quo anno Lantpertus noster in Sede Frisingensi jam claruit, tunc eo saltem tempore Ratoldus ille Frisingensis Ecclesie Advocatus esse potuit.

Synodus Augustana.

Fig. 1014

ed. 615.

Lantpertus non fuit primus inter Episcopos Frisingenses Princeps.

Annus obitus S. Lantperti, id. 139.

Interfuit Lantpertus noster anno Christi 952. Augustanæ Synodo, ab Ottonne convocata, ubi in amplissimo Episcoporum, nec non Principum Francorum, Saxonum, Bojariorum, Alemannorum & Langobardorum Berengarius Italiae invasor, sese Ottoni Imperatori subiciens, ab eo ut subditus easdem Provincias regendas recepit. Cæterùm, ut videre est apud Henricum Canisium *Antiq. Lecl. Tom. 5.* in eadem Synodo pro Cleri reformatione conscripta fuere Capitula undecim, inter quæ illud, quod secundò loco de Clericorum venationibus ponitur, hodiernis moribus penitus exolevit. Ea Augustanæ Synodi Capitula etiam in *Aetis Conciliorum Tom. VI. part. I.* Lector reperiet.

Existimant nonnulli, S. Lantpertum fuisse ex Episcopis Frisingensibus primum S. R. I. Principem: at malè; si enim ex eo Lantpertus dicitur fuisse S. R. I. Princeps, quòd publico Regni Conventui Augustano interfuerit, cur non dicemus idem de Antecessoribus Episcopis Frisingensibus, qui & ipsi tractandis summis tum Ecclesie tum Imperii negotiis inter primos fuere adhibiti?

Cæterùm Lantperti obitus ponitur equidem à nonnullis anno Christi 955. At cum Lantperti mentio in libro II. Traditionum adhuc anno Christi 956. recurat, saltem in eum annum sanctam illius mortem differre oportebit; nisi cum antiquo Weichenstephanensi Codice potius annum 957. assignare velimus, quod sanè vero non est absimile; & ab ipso etiam Proprio Frisingensi Breviarii comprobatur. Cæterùm conveniunt Codices, Lantpertum obiisse XIV. Kal. Octobris, nimirùm, die 18. Septembris. Gamanthus verò statuit diem ejus Mensis sequentem, quo ejus festivitas Frisingæ, ac per universam Diocè-

sin,

sim, hodiè que recolitur. Dolendum sanè est, quòd aut nemo Vitam beatissimi Viri conscripserit; aut, si quis fortasse scripsit, opus illud perièrit. Olim in Liturgia ac Breviario Frisingensi ad festum S. Lanpertus hæc ponebatur Oratio:

Deus qui ad comprobandum salutaris abstinentie testimonium, Sanctum Confessorem tuum & Episcopum Lanpertum mammis non ablactatum lacte Matris tres cæcos illuminare fecisti: da nobis quasumus, ut, cujus probabilem vitam meritis felicibus in hoc saculo & in futuro bene provecltam excolimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Claruisse S. Lanpertum etiam post mortem beneficiis in supplices profusis, colligi potest ex verbis Hymni, in fæpe dicta ejus festivitate dici olim soliti, quæ sic habent apud Raderum in Bavaria Sancta:

*Unde profuit agris virtus, mæstis consolatio, lapsis venia,
Sanctitatis Vita, doctrina, signorum Trophea, quibus claruit:
Pastorali Sede canit Noricorum Provincia.*

Hæc Raderus: Nos in quarto Traditionum Frisingensium libro de S. Lanper-
to legimus sequens Distichon:

*Hac super Orchestra residens sibi non placet extra,
Felix Lanpertus, quem probat ipse Deus.*

Existimamus, Poëtam hunc Veterem voluisse indicare humilem de se ipso sensum Lanperti, quippe qui Deo magis quàm sibi fuerit probatus. Et bene: Character enim Sanctorum humilicas est. Divi Lanperti Sacras Exuvias, in Ara ejus honoribus dicata, atque in Crypta è regione aræ Divi Corbiniani erecta, hodiè que colimus, prodigiis illustres. Quòd si Divi Lanperti obitum ad annum Christi 957. proferamus, eo tempore Ecclesie Romanæ præfuit Joannes XII. Imperio Otto Magnus, Cathedræ Salisburgensi Fredericus I. Ratisbonensi Michaël & Pataviensi Adelbertus. Quis Sabionæ licium tenuerit, definire nobis non licet. Anni verò statuendi sunt novendecim, quibus beatus ille Pontifex Lanpertus vitæ Sanctitate Frisingensem Cathedram illustravit.

Tumulus &
beneficia S.
Lanpertum.

CAPUT III.

Abraham Frisingensis Episcopus XV.

§. I.

Genus & Electio Abrahami.

Sunt, qui apud Hundium in Metropoli existiment, Abrahamum nostrum fuisse ortum ex Palatinis Carinthiæ postea factis Comitibus Goritiæ. His fuisse ortum ex Palatinis Carinthiæ postea factis Comitibus Goritiæ. His Scriptoribus è cœvis membranarum suffragari videtur, quòd Abrahamus in vicinis Carinthiæ partibus, & quidem in hodierna Carnioliæ bona quædam propria habuerit, & quidem in hodierna Carnioliæ bona quædam propria in vicinis Carinthiæ partibus, & quidem in hodierna Carnioliæ bona quædam propria uti ex dicendis abundè constabit. Nos in re incerta nihil certi statuere solemus. Fuisse Abrahamum jam ante consecratam Cathedram Frisingensem Ecclesie illi quocunque demùm modò sive addictum sive adstrictum, conjecturam ex eo ducimus, quòd ejus nomen in permutatione quadam bonorum, sub S. Lanper-
to Frisingæ facta aperte exprimitur; imò cæteris primis Canonicis eam permutationem confirmantibus præponatur, & (quod singularem ejus prerogativam more illius temporis denotat) *Domnus* appelletur. Contigit electionem Abrahami paulò post obitum S. Lanperti, nempe 957. non est, cur dubitemus. Neque obstat, in lapide sepulchrali Abrahami haberi, cum obiisse anno

Tom. 1. pag.
101.

Abrahami
profapia.

1462 §. 7.

Lit. 3. orali.
fil. 122. 4. 6.

87. 4.
Tempus elec-
tionum.

992. & præfuisse annis 37. ut adeò Abrahamus dicendus videatur electus esse anno Christi 955. non, inquam, id obstat. Neque enim tanti momenti est testimonium illud, cùm neſtquam sit cœvum, ac ſæculi decimi, ſed longè poſterioris, maximè cùm annus Christi 992. ibi non exprimat̃ numeris Romanis, ſeu literis numeros indicantibus, ſed numeris Arabicis, ſeu Cifris, quas Arabes ſæculò decimò ab Indis, Hiſpanos ab Arabibus ſæculo primùm XIII. accepiffe cum aliis cenſet Athanaſius Kircherus, ut habet Mabillonius in ſuo *de Re Diplomatica* eruditiffimo opere; ubi etiã docet, rarum illarum cifrarum apud Latinos uſum fuiſſe ante ſæculum quartum decimum: quod ſanè eruditi atque in evolvendis antiquis membranis diu verſati Viri libenter affirmant: ut adeò in ſculptoris recentioris numeros facilè potuerit ſphalma irrepere. Verùm hæc omnia Lectoris iudicio permiſſa ſunt.

Pag. 254.
num. 10.

§. II.

Eccleſiæ, Imperii, & Bojariæ ſtatus ab anno Christi 957. uſque ad 972.

Joannes
XII. PP.

Agapito II. Romano Pontifici non anno 955. ſed 956. ſucceſſiſſe Joannem XII. contra Baronium Pagium ſcribit. Ferunt hunc Joannem vix duodecim annorum Juvenem armis occupãſſe Divi Petri Cathedram, & illius intruſioni conſenſiſſe tandem Electores legitimos, ne ſchiſma oriretur, majus ſcilicet ipſa intruſione malum. Eadem ſerè tempeſtate Bojaria noſtra amiſit Ducem Henricum, eo nomine primum, ſummi animi Virum, dignumque, qui Cæſaris frater appellaretur, niſi ejus Majeſtati impotentius inhiãſſet. Non nemo inſuper magnæ impietatis eum coarguit, quòd ſcilicet Viros ſacros, etiã præcipuarum dignitarum fulgore conſpicuos violare auſus, Patriarcham Aquilejenſem virilitate, Salisburgenſem verò Archiepiſcopum Heroldum oculis multãrit, uti Brunerus memorat, & addit, facti poſterioris nunquam, prioris verò pœnitudinem Henricum ſubiſſe. Cauſa utique non alia erat, quàm quod Heroldus Hungaros in Patriæ perniciem accerſerit: qua in re Lectorem ad alios Bojariz Scriptores remittimus, aſt nihil factorum illorum defendendum ſuſcipimus. Cæterùm Henrico I. in Bojariz adminiſtratione ſucceſſit filius Henricus II. dictus Rixofus: Heroldo verò Salisburgenſi Archiepiſcopo exoculato *electione atque poſtulatione omnium pænè nobilium Bojariorum Clericorum & Laicorum* ſucceſſus eſt Fridericus, ex Comitibus de Kiemgau ortus, non tam Nobilitatis quàm Virtutis ac doct̃rinæ claritate illuſtris, Heroldò deinceps penitus exauſtoratò.

Henricus Ri-
xofus Boja-
riae Dux.

Ottonis Impe-
ratoris geſta.

Ottoni Imperatori annis ſequentibus Sclavi ingentia faceſſivè negotia; cùmque etiã in Italia Berengarius Rex tumultuaretur, Imperator ſemel iterùmque à Pontifice rogatus, & ad Imperii coronam in eandem Italiam evocatus, rebùs in Germania diſpoſitis, filiòque ſeptenni Ottone in Regem Germaniæ deſignato, & Aquisgrani coronato, demùm exercitum eò movit, & vel ſolo nominis terrore pacem Regioni feliciffimè intulit, ſummo júbilo & applauſu Romæ exceptus, & Diademate Imperii à Pontifice anno 962. coronatus. Aſt non diu ſtetit Italiæ felicitas. Dum enim Imperator Berengarium perſequitur, Joannes Pontifex cum Berengarii filio Adalberto colludere deprehenſus, & aliorum quoque criminum accuſatus, indigno nihilominus facinore ab Imperatore è Petri Sede ejicitur, Leone VIII. ſubſtituto. Berengarius deinceps in exilium eſectus, & in Bojariam miſus eſt, in captivitate demùm moriturus. Porrò Ottone Romã digreſſò, Joannes XII. in Urbem à Berengarianis revocatus rediit, collectòque concilio Leonem Sacris Veſtibus exiit, Laicorum nu-
mero

Coronatio.

mero eos restituens, quos Leo non legitimus Pontifex consecrare visus fuerat. Tum verò Joannes tamquam re bene gesta in locum extra urbem peramœnium se conferens, mortem invenit; ab ignota enim manu de nocte percussus paulò post extinctus est, uti P. Kolbius scribit. Sanè Leonem non fuisse legitimum Pontificem, Baronius multis demonstrat, laudatque Ottonem Frisingensem Episcopum, sæculi duodecimi Scriptorem, qui de ea causâ optimè scripserit. Verùm nos Lectorem ad Ottonem ipsum remittimus, ejusque testimonium sincerè discutiendum relinquimus. Ed. 6. cap. 23.

Joanni Papæ Romanus Clerus suffecit Benedictum V. cum Otto Berengarii reliquias in Umbria persequeretur. Is novo de ea electione nuncio vehementer commotus, Romam, quàmprimùm rediit, Benedictum dignitate movit, ac postea in Saxoniam duxit, Hamburgi custodiendum: qui brevi post ibi in exilio sanctè obiit, multa sane passus, ac inter Martyres à Saxonibus habitus. Scribunt nonnulli, Benedictum V. & Pseudo-Papam Leonem VIII. eodem anno, Christi 965. è vivis excessisse. Porro post hos Joannes XIII. justa electione Pontificatum adiit, paulò post tamen à Romanis rejectus. Quod indignissimè ferens Imperator rursus in Italiam advolat, rigidè in Romanos animadvertit, & Joannem in Sedem restituit: cum quo annò sequenti, Christi 967. Ravennam profectus, coacto ibi plurimorum Episcoporum Concilio interfuit, ubi plurima summo Ecclesiæ bono fuere constituta. Ipse Imperator jam anno Christi 961. de jurisdictione Ecclesiarum Imperii sequentia constituerat, quæ ex Goldasto Joannes Palatius recenset in hunc modum. Benedictus V. PP. & Successores.

*Otto divina propitiante clementia Rex. Præcipientes jubemus, ut nullus iudex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias sub nostro, & antecessorum nostrorum Regum receptas mundeburdo, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones dictionum Ecclesiarum, quas nunc intra ditionem Regni nostri legibus possideant, vel qua deinceps in jura earum divina pietas voluerit augeri, ad causas, judiciario more audendas, vel freda * exigenda, mansiones *, vel paradas * faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsarum Ecclesiarum contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel inustitatas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, que supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, hominibus quoque famulatum earundem Ecclesiarum facientibus, qui Saxonice Malman dicuntur, Mundeburdum, & Tuitionem nostra potestatis Imperialis constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Præsulibus ipsarum Ecclesiarum, aut advocatis, quos eorundem locorum Præsules elegerint, aut à nobis acceperint. Et ipsi Præsules cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareant Imperio, & sub nostra consistant defensione. Fratres autem, quibus à nostra aut Antecessorum nostrorum liberalitate concessum est, habeant licentiam eligendi Pastorem inter se qualemcunque voluerint, ita tamen, si talis inter eos inveniat, qui vita & moribus probatus habeatur, salva in omnibus dispositione nostra Imperiali.* Lb. 13. cap. 2. et. 171. Otto Imperator inter Eccl. dicitur.

Lindulfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archiepiscopi recognovit. Datum Burchem VII. Idus anno Dominica incarnationis 961. Indiil. 4. anno Regni nostri 22.

Cæterùm, Baronio teste, Imperator Concilio Ravennæ celebrato, Ottonem filium suum è Germania in Italiam evocavit, & ut Imperiali ibi corona redimiretur, obtinuit: quem deinceps ab Eckhardo Religiosissimo doctissimoque Monacho Monasterii S. Galli ad Imperium educari acque institui voluit, uti Bucelinus noster scribit. Otto junior coronatus.

Legimus in *Actis Conciliorum Tomi VI. parte prima*, uti etiam in *continuatione prima partis Archivi Germanici*, statuto Synodi Ravennæ celebratæ super Ecclesia Magdeburgensi in Metropolitanam erecta, subscriptis etiam Abrahamum nostrum iis verbis: *Abraham S. Frisingensis Ecclesia Episcopus interfuit.* et. 613. Abrahamus Episcopus intererat Ravennæ Synodo.

fui. Primum Archiepiscopum Magdeburgensem ex nostro Divi Maximini Trevirensi Monasterio fuisse assumptum, Sanctum scilicet Adalbertum, Buccelinus rectè memorat.

Annis Christi 968. & 969. Otto novus contra Italos ac Nicephorum Orientis Imperatore victoriam retulit: ac postea Nicephori filiam Theophaniam Ottoni filio suo desponsavit.

Mors quorundam Comitum Sempronii. eorumque Sepultura.

Scribit P. Adamus Widl S. J. in suo *S. Sebastiano Ebersbergensi*, annum à Christo nato 969. quibusdam Sempronensium Comitum fuisse funestum atque fatalem. Obiisse Adalberonem I. familiae caput, 3. Idus Septembris: Leuckardem ejus Conjugem 3. Kal. Novembris. Præcessisse paulò antè Wilibirgem Adalberonis Sororem. Et horum omnium corpora fuisse Frisingæ deposita, & ab Udalrico Successore justis parentalibus honorata: Sicque ibi supremam cubam expectare. Ita ille: qui à libro *Bayrischer Chronic.... furzter Auszug* / nihil dissonum offert.

Romæ anno Christi 971. Joannes XIII. Synodum generalem convocavit, ubi diris devoti fuere rerum Ecclesiæ invasores. Eodem anno S. Udalricus salutatis jam tertio Sacris Divi Petri liminibus Romæ rediens, Ravennæ Imperatorem salutavit, cujus tantum erat super adventu S. Viri gaudium, ut, cum Udalricus opinione citius in conspectum Imperatoris veniret, ille altero calceo nondum pedi induto occurreret, atque in amplexu Episcopi rueret.

Petri passio.

S. Udalrici Episc. Augustani varum.

Sequenti anno, Christi 971. autumnali tempore Otto Imperator Ingelheimii celebrem Synodum convocavit, in qua idem S. Udalricus comparuit, habitu Ordinis S. Benedicti, quem jam in juventute tenera in S. Galli Monasterio unice amaverat, indutus, & Episcopis præsentem sui ab Episcopatu dimissionem, ac Adalberonis Nepotis sui subrogationem commendans. Negarunt verò Patres, fas esse, ut Udalricus dignitatem poneret. Cæterùm in Adalberonis promotionem consensum denique præbuere. At aliter visum Superis. Adalbero enim non ita multò post, ante Udalrici obitum, morte subitanea defunctus est. Votum Udalrici divino Numini displicuisse, ipse in visu quodam intellexit. Auctor vitæ illius apud Baronium sic habet: *Quadam die quasi de quodam gravi somno expergescens, ei assidentibus & hac audientibus ait: heu! heu! quod illum nepotem meum Adalberonem unquam vidi, qui pro eo, quod ei secunam suam desiderium consentiebam, noluit me impunitum in suum recipere consortium. Et his dictis statim tacuit.* Subdit Baronius: *Eccetibi: Sanctissimus Udalricus annos natus Octoginta & unum, & proxime moriturus, ablegare cupiens secularia à se negotia, quibus semper carere debere rebus divinis mancipatum monet Apostolus dicens: nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: tantumque sibi & Ecclesiæ vacaturus, querens, cui illa refundat, & nepos in mentem venit: nec putat absque instinctu divino factum, quod post laboriosam illam peregrinationem assiduis precibus ad confessiones Apostolorum Romæ faciendum petisset. De eo namque auctor (vitæ) hac testatur, fuisse doctum, in servicio Dei studiosum, in bonis operibus strenuum, in dicendo eloquentem, compatiens aliorum molestiis, ad miseros sublevandos festinus, atque multis virtutibus cumulatum. An non tot tantisque polentem virtutibus etiam si fuisset extraneus, erat ab eo successor optandus, & dum viveret, cooperandus? eoque magis, quod, cum Reges manus injecissent in Episcopatum, sepe comingeret e militia seculari, militantes, inquam, in palatina militia sese obrudentes, in Episcopos eligi. At laudaverit ista homo, atque justa probarit: à Deo autem improbata imò & punita admodum fuisse scimus, imprimis, Adalberone morte repentina ex hac vita subducto, ipso verò Episcopo, non nisi expiato peccato, digno Sanctorum consortio judicato. At, ubi culpa, dices, quam necesse est precedere penam? Novit tam ipse, cum ante divinum illud terrificumque tribunal vocatus audiret eam, quam & ipse in se reverfus astantibus patefecit, di-*

cent,

ens, quia secundum desiderium suum consentiebam eidem, nolens me impunitum in suum recipere consortium. Quibus indicatum est, non spiritus, sed fuisse carnis illum impulsus, ut nepotem diligeret successorem, illo suadente, obnixique petente, & a Viro Sanctissimo tandem assiduis precibus extorquente: quem vel ex hoc estimare debuisset indignum, dum illud peteres, quod refugis omnis dignus. Potentissimum diaboli telum est amor affinitum, quo etiam sanctos appetit &c.

Cur à Deo non admittatur?

Hæc Baronius: Quid verò ad ista hodiernus Orbis?

Eodem anno Christi 972. Joannes XIII. Pontifex rebus caducis valedixit, Donus verò Papa creatus est. Donò post trimestre mortuò, Benedictus VI. electorum suffragiis Cathedram Petri conscendit. Eodem rursus anno Michaëli Ratisbonensi Episcopo Otzone Imperatore auctore S. Wolfgangus Einsidensis Monachus in Episcopatu successit, à Friderico Archiepiscopo Salisburgensi consecratus. Ipse Otto verè Magnus ex communiore saltem calculo anno 973. in pace quievit, mundi amor rectè ab Urspergensis dictus. Porrò Adelhaidis Augusta ab obitu Imperatoris cucullo Benedictino sese involvit, Sanctorum factis post mortem adscripta: ad quos denique eodem anno S. Udalricus Augustanus Episcopus feliciter migravit, maximis à morte prodigijs illustratus.

Pontificum successio.

Com. 20. ad. ad. pag. 179. Carol. Patris. Carol. in Christi. et pag. 22. 23.

§. III.

Ottonis I. Imperatoris in Inticensem & alias quasdam Ecclesias Munificentia.

UT Ottonis I. Imperatoris memoria apud Frisingenses foret in æterna benedictione, inter alias tum erectas, tum dotatas Ecclesias etiam Inticensem, Frisingensium tunc subjectam, anno mortem præcedente, sequenti donatione ampliavit.

IN nomine Sanctæ & individua Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri, presentes scilicet & futuri, qualiter nos per interventum dilectæ Conjugis nostræ Adelheida, nec non aquiroci nostri quasdam res nostri juris sitas in Comitatu Tarvisiano haud longè a fluvio Vallat, & in loco, qui dicitur Chunio, qui situs est prope litus Brenta, qui fuit Isaac Judæo traditus à Wichberto, & in loco, qui dicitur Piscatorius, & Vincentino comitatu in circuitu Gudago ultra tria miliaria, & in utraque ripa Prenta jus macelli, & in ejus finibus, qui inter istos designatos fines jacent, qua appellantur annario, deinde terminante in aqua, qua dicitur Musone, deinde terminante in flumine Diso, & dein terminante in Litrano, unde Siles refurgit, & de ipsa curte supra nominata Gudago terminante in Aurillia, & dein terminante in Rescio, inter istos designatos fines, cum pratis, pascuis, vis & inuis, exitibus & redditibus, fontibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, sylvis & Paludibus, omnibusque rebus justè legitimèque ad eandem Curtem respicientibus, quesitis & inquirendis ad Servitium Sancti Candidi ad Inticam in manus nobis sacri chari Episcopi, Abraham appellati, ob remedium anime nostræ tradidimus, eo scilicet tenore, ut idem jam dictus Episcopus usque ad obitum sui absque contradictione omnium totam atque integrum teneat, atque possideat, postea verò servitio Sancti Candidi redintegratum perpetim inibi permanensurum ad Inticam redeat, atque respiciat. Et ut hæc nostri juris donatio firma, stabilisque permaneat, hæc cartam conscribi, ac sigilli nostri impressione subsignari iussimus. Dat. V. Kal. Junii anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXII. Indiæ. XV. anno Regni Domini Ottonis XXX. Imperii autem VIII. actum in Proilo Papia.

et. 20. Junii.

et. 20. Junii.

et. 20. Junii.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Z

In

Io hoc instrumento advertet eruditus Lector, anoum equidem Christi cum Indictione rectè coherere; numerum autem annorum Regni atque Imperii iis neutiquam respondere. Suspiciamus librarii incuria errorem irreplisse.

Part. 1. Ab. 14.
n. 31.

Monet nos hic Adalriciterus, *Otonis beneficentia Benedictoburanum Monasterium è busto & ruderibus, in qua Ungarorum injuriis erat collapsum, emerisse auctore Divo Udalrico, ut Donatiro juraret Wolfoldum archipresbyterum, parietes instaurantem.* Ita laudatus scriptor. Nos, unde Adalriciterus ista deprompserit, haud equidem scimus. Certè io nostris Benedictoburanis tabulariis, ac seculi decimi atque undecimi membranis aliud nil reperimus, quàm, Wolfoldum, seu Woalfdeonem presbyterum interventu S. Udalrici ab Ottone Augusto impetrasse facultatem reparandi destructam illam Ecclesiam, & quidem potissimum ex bonis suis hæreditariis, quæ in soleno instrumento coram legatis Ottoois ac plurimis nobilibus S. Benedicto tradiderat. Extat apogtaphum ejus doationis, manu cœva, oimirum seculi decimi, conscriptum. Sanè an Otto Imperator sive de suis aliquid addiderit, sive aliquam partem eorum bonorum, quæ Mooasterio abrepta fuerant, restituerit, nullibi apud nos memoratur. Interea certum nihilominùs manet, tum S. Udalricum, tum Otonem Imperatorem de Mooasterio nostro optimè fuisse meritos, quippe dum Udalricus pio interventu, Otto factâ restaurationis gratiâ, ruinis nostris succurrit.

S. Udalricus
Ep. & Otto
Imp. Mooas-
terii Benedi-
ctoburanæ re-
stitutionem
promoverunt.

Porro Wolfoldus noster cum & locum nostrum dotasset, ejusque reparacionem suscepisset, deinceps plures sibi sociavit, & scholam Clericorum erexit, quos literis & moribus imbuere impensè studuit, factus demùm ipse Mooachus septimo ante mortem suam anno, cum ex nostris non nisi duo Monachi superessent, Berthricus scilicet & Simpertus Presbyteri. Qua de re, ac de introducta nova à Wolfoldo familia fortassis suo loco plura dicenda occurrent, ad eliminandas quasdam fabellas, quæ ea de re passim in Scriptorum posteriores codices irrepsere. Cæterùm quanta Otto præstiterit aliis remotioribus Ecclesiis, passim Historici tradunt, ad quos, brevitatis studio, Lectorem remittere cogimur.

§. IV.

Res Ecclesie ac Imperii de anno Christi 973. & 974. ubi de Otonis II. Imperatoris erga Frisingensem Ecclesiam Munificentia.

Otto II. Imp.

Otoni Imperatori, parenti suo, anno Christi 973. successit filius Otto II. jam antehac in conforcium Imperii ascitus: cujus proinde, ut Pagius advertit, duz sunt epochæ, altera à die Natali Christi anno 967. quo socius Imperii institutus est, altera à die 7. Maji præsentis anni, quo Patri successit, deducta. Supererat tum adhuc ad Ecclesie Romaoz clavum Benedictus VI. qui circa ea tempora, teste Mezgero, pro Friderico Saliburgensi Archiepiscopo decretum fecit, eique ac ejus successoribus amplissimam Archipresulis & Legati potestatem in tota Norica Provincia, nominatim in Pannonia tam superiori quàm inferiori, qualem ejus Antecessores habuissent, abrogato cuivis alteri in his provinciis Pallii usu, confirmavit. Bullam Dükerus affert. Ipsemet Benedictus Pontifex anno Christi 974. à sceleratis custodiæ mancipatus atque jugulatus fuit. Interim cum Otto comprimentis quibusdam Germaniz turbis in-teotus esset, reoovata est quorundam Romanorum de Pontificum creatione vetus ambitio, quos, ut libido tulit, siue Imperatoris auctoritate creârunt, ut Mabillonius loquitur. Itaque (pergit eruditissimus scriptor) mortuo Benedicto Doos II. & mox post Donum Bonifacius VII. Ferrucii Civis Romani filius, corruptis comitiis est illatus: quod cum factio Tusculaoorum Comitum æquò animò

Archiepiscopus Saliburgensis sit Legatus Sedis Apostolicæ.

Chron. Eubek. pag. 89.

Fata Pontificum.

animò ferre non posset, ipsum omnibus afflictere modis ceperunt. Quorum conatibus cum par ad resistendum non esset, ex urbe, spoliata rebus pretiosis Vaticanâ Basilicâ, profugit. Quo factò Tusculani Comites Benedictum VII. Alberti quondam Consulis nepotem in ejus locum intruserunt. Hæc Mabillonius, & ex Mabillonio Pagius. Porrò in vicinia nostra S. Udalrico Episcopo Augustano successit Henricus, eo nomine primus, de cujus progenie, electione & actis Hierarchia Augustana nostri R. P. Corbiniani Khamm consuli potest.

Quanta Abrahamo Episcopo, atque Frisingensi Ecclesiæ anno Christi 974. contulerit Otto II. Imperator, ex tribus instrumentis sequentibus patebit, quæ eruditorum curiositati hic exponimus, ut appareat, num vera sint, quæ de rebus Abrahami nostri ad dictum & superiorem annum scriptores quidam Neotericî venditant. Primum itaque instrumentum, Majo mense exaratum, sic habet.


Ingenus Otto-
nis II. Imp.
erga Abra-
ham Episco-
pum liberali-
tas.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverit omnium industria fidelium nostrorum tam presentium quam & futurorum, qualiter venerabilis Frisingensis Ecclesia Abraham Episcopus nostram aditæ Celsitudinem proclamans, se quadam loca in medio horum comitatuum constituta, qui vulgò vocantur Pustrussa, Lurno, Catubria injustè & intepitumè à præfata Frisingense Ecclesia subtracta. Nos verò per interventum dilectæ Matris nostræ Adalhaida, & nostri Nepotis videlicet Ducis Heinrici suis petitionibus consentientes, & quicquid inter hos tres supra titulos Comitatus proprietatis habuimus, hoc est, ubi ingreditur fluvius Pudio Rionhum, ex eo loco sursum, quacumque adjacent utrisque ripis ejusdem fluminis cum Comitatu Catubria inde usque ad flumen Affulurbach alpes sic appellatas videlicet Nemes, Anaganto, Walcum, Munaga, Fiscalina, Cunifello, Plezres, serula, Pragas, sexta, sive omnia, quocumque vocabulo sint, si inter hos fluminum meatus Pudio & Rionhum montes, valles, planities præfata Ecclesia Præsulis potestatisque subposuimus, & per nostram traditionis scriptum iterum renovavimus, sicut ab antecessoribus nostris Regibus illuc tradita comperimus. Insuper etiam sub Panno Imperiali nostro jubemus, quidquid deinceps in his locis nascatur, in venationibus, piscationibus, ut nullus audeat se absque licentia Episcopi intramittere. Si quis hoc prævaricaverit, Regium Pannum Episcopo sive advocato illius persolvat. Jussimus hoc præceptum conscribi per quod jubemus, ut omnia præfata ad Ecclesiam Frisingensem perpetuo jure pertineant. Ut autem hæc concessio nostra firmam habeat stabilitatem, manu nostra roboravimus, annuloque nostro sigillari præcepimus.

Restitutio bona
Frisingensi
Ecclesiæ eve-
pta.

Et insuper alia
adjicit.

Signum Domini Ottonis imperatoris Augusti.



Willigisus Cancellarius vice Ruodberti Archiepelli subfcripti. *Data 1a V. Kal. Junii Anno Incarnationis Domini DCCCCLXXIII. Indict. I. anno Regni Domini Ottonis XIII. Imperii autem quinto. Acta Aleflet.*

Alterum præceptum mense Junio ejusdem anni datum exhibet insignem donationem ab Ortone factam Abrahamo Episcopo hunc in modum.

IN nomine Sanctæ & individua Trinitatis Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverit omnium industria fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, qualiter nos per interventum dilectæ Matris nostræ Adalhaiæ & fidelis nostri videlicet Heinrici Ducis quasdam partes nostræ proprietatis sitas in Ducatu præfati Ducis, & in Comitatu Paponis*, quod carnio-la vocatur, & qui vulgò Chrainmarcha* vocatur.* Est enim in ipso Comitatu rivulus parvus, qui vocabulo sclavorum Sabniza nuncupatur, ab exitu illius ubi oritur, statim cacumina vel summitatesque montium occidentalem partem versus usque ad Zelsach, & hoc ipsum Territorium cum omnibus ad ipsum peti-mentibus, nec non & Alpam Bosangam, deinde trans Zovrizam usque ad montem Lubinic, ipsamque montem usque ad majorem amnem, qui Zorra vocatur, utramque ripam illius amnis deorsum usque ad ostium prædiculati rivuli Sabniza inque sursum usque ad caput vel exitum ipsius rivuli, quicquid intra ipsa consuetudine habuisse videamur loca nominata. Sabniza, Lonka, Susana, verumque Zelsach, vel qualicumque vocabulo vocantur, hoc totum in proprium cui-dam nostro fideli, nobisque satis caro Episcopo Abraham vocitato donavimus, cum omnibus rebus jure legitimèque ad prædiculata loca aspicientibus, cum curti-libus & ædificiis, mancipiis utriusque sexus, si inibi nostri juris inveniantur, agris cultis & incultis, pratiis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumve decursi-bus, molendinis, piscationibus, venationibus, vineis, & vinetis, vis & in-viis, exitibus & reduibus, questis & inquirendis, mobilibus & immobili-bus, hac omnia, ut præscripsimus, volumus, ut præfatus Episcopus firmiter teneat, sine obstaculo vel contradictione ulla. Insuper ubicunque in regione in foresto nostro seu in qualicumque loco pascua porcorum inventa erunt, suis porcis inibi nutritis portionem* habeat. Et ut nullus Comes vel Judex seu ulla persona in aliquo se intromittat absque licentia vel jussione præfati Episcopi*, aut illius hominis, cui Episcopus hoc ad regendum commiserit. Et ut hac nostra donatio-nis auctoritas firmiter stabiliorque perseveret*, jussimus quoque hoc præceptum præsens inde conscribi, annulique nostri impressione sigillari, per quod volumus, firmiterque jubemus, quatenus præfatus Episcopus liberum sibi habeat arbitrium tenendi, commutandi, tradendi, vel quicquid sibi placuerit exinde faciendi. Et ut verius à posteris nostris in futurum credatur, * nostrâ id ipsum subus roborantes. *Dat. II. Kal. Julii anno Dominica Incarnationis DCCCCLXXIII. Indict. II. anno Domini Ottonis Regni XIII. Imperii VI. Actum Driburæ.*

Tertium Ottonis II. præceptum, mense Novembri scriptum, sic habet:

IN nomine Sanctæ & individua Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverit igitur omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos dignis & admodum honestis petiti-onibus dilectissimæ Conjugis nostræ Theophaniæ, nec non cari Nepotis nostri Bajo-riorum Ducis Heinrici suppliciter obsequendo rogati, Venerabilis & totius Religio-nis Viro Abrahæ Sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Præsuli, nostra familiaritatis dignè adjuvato, quandam nostræ proprietatis partem in Regione vulgari vocabulo Chreime & in Marcha, & in Comitatu Paponis Comitatus sitam, id est, ubi Rivu-lus Sabniza Originem producere incipit, deinde statim occidentem versus cacu-mina Montium, sitasque interjacentes usque ad Bocfanam ipsasque alpes Bocfanam, & sic ad fines earundem aliorum, deinde ubi rivulus Costabla ori-ginem sumit usque ad hunc locum, ubi hostinam Zorra fluvium mittit, sicque

* *Abi aditer*
Comitis.

* *Ab. Chreina*
Marcha.

* *Ab. appella-*
tot.

Bona in Car-
nialia super
adda.

* *Ab. inde.*

* *Ab. Sagina-*
tionem.

* *Ab. Abtate*

* *Permanet.*

* *Ab. adl.*
manu.

* *Resus alia*
bona istem
Abrahamo
confist.

trans Zorram usque ad summitatem ipsius montis Zorra adjacentis qui extenditur Orientem versus, & ita per eundem montem perque convalles usque ad castrum, quod vulgo Bofisen vocatur, & sic deorsum de ripa, quantum extenditur unus jugeris longitudo usque ad vadum, quem vulgo Serefontrod vocant, ibique ultra eundem fluvium Occidentem versus usque in viam, qua vocatur via Obrenariorum, & sursum per eandem viam, quicquid campi in australi ejusdem via parte jacet, ita ut Primet territorium & silvula, qua Szorvika Dubrava sub eadem comprehensione teneatur, & spatium, quod jacet inter Primet, & Vuzilimsteti per medium dividatur, & sic usque in presatum rivulum Sabniza nostra imperiali potentia in proprium & perpetuum usum concessimus, firmiterque donavimus cum terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, adificiis, aquis aquarumve decursibus, ipsoque jam dicto foresto, venationibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, vis, & introit, exitibus, & redditibus, quasitis & inquirendis, & cum omnibus jure legaliterque ad hac pertinentibus. Praecipimus etiam & noviter constituimus eidem incolis Pannum nostrum à rivulo Sabniza versus Occidentem usque ad finem Bosanga, & inde usque jam dictum rivulum Chotabla, indeque usque in Zorra fluvium & quicquid intra hac eadem presata undique secus comprehensum videtur, loca & regio. Imperatoriæque more jubemus, eo tenore, ut si quis quarumlibet personarum in quibuslibet jam dictis Silvarum vel Forestorum locis cujuslibet generis seras canibus vel qualicunque modo comprehenderit, Bannum hujusmodi culpa nostro debitum fisco ipsi Episcopo omni dubietate postposita, si hoc absque ejus seceris licentia Dominica estimatione persolvat. Hac verò & cetera jam dicta tali constant ratione, ut ipse jam dictus Episcopus libero deinceps persolvatur arbitrio hac omnia tenendi, dandi, vendendi, commutandi, seu quicquid inde voluerit faciendi, & ut hac nostra largitionis auctoritas firmior stabiliorque cunctis sancta Dei Ecclesia sibi perpetim credatur, hanc cartam inscribi iussimus, annuloque nostro signatam manu propria subtus eam firmavimus. Praecipimus etiam, ut nullus Comes, nec Judex, sive Decanus, neque aliqua persona jus habeat se intromittendi absque licentia Episcopi, aut ejus, cuiusque ipse commendaverit.

Signum Domni Ottonis Imperatoris Augusti. Willigisus Cancellarius vice Ruodberti Archicappellani subscripsi.

Data Vlll. Kal. Decembris anno Incarnationis Dominice D CCCC LXXIIII. Indictione II. anno Regni Domni Ottonis XIII. Imperii Vll. actum Heiligenstat. Amen.

Advertet eruditus Lector, omnia hæc tria instrumenta designate annum Christi 974. & Regni Ottonis decimum tertium: qui anni satis bene coherent; aut ut in primo designaretur Indictio prima, & annus Imperii, Ottonis secundus quintus, certè non nisi per errorem librarii contigit. In secundo etiam instrumento annus Imperii ejusdem Ottonis sextus malè assignatur. Longè castigatiores temporis notas habet tertium instrumentum, cujus Autographum supetest, ubi annus Christi 974. cum Indictione 2. anno Regni Ottonis 13. Imperii 7. re-ctè concordat; si enim, ut constat, Otto cotonam Imperialem accepit anno Christi 967. & quidem Nataliis Christi feris, tunc annus 974. eidem usque ad eandem ferias septimus fuit: uti expendentibus patebit.

Verùm, quid ad hæc Diplomata dicent illi, qui scribunt Abrahami Frisingensis Episcopi *vaniloquentia* hoc eodem anno Christi 974. ambitionem Henrici Bojaræ Principis Imperio inhiasse, & Principes etiam remotissimos sibi asselas conciliasse? Audi Lector! Otto II. Imperator Mensè Majo, Junio & Novembri illius anni erga Abrahamum munificentissimus fuit, eumque in instrumento ultimo *Præsulem nostræ familiaritati dignè adjunctum ac Virum totius Religionis* pronuntiavit. Quomodo verò Otto grandes illas pessimasque, (quas A-

Emendatione
quidam Scri-
ptoris Boici.

bramo Scriptores isti novi turpiter affingunt) rethnas nescire potuit, & Abrahamum Episcopum non ceu *totius Religionis Virum*, sed hostem pessimum mortaliumque omnium ingratisimum tantis donis prosequi voluit? utinam adversarii hi Scriptores non essent manifestè vaniloqui, sed ab impacta Abrahamo Episcopo calumnia immunes! utinam suspicari non cogamur, eos, ut placentia nunciarent, & Henricum, obfuscatò adversus omnem antiquitatem *Rixosi* titulo, non oisi *Pium* dicere possent, totius mali molem in Abrahamum Episcopum rejicere maluisse! Certè Scriptores illi qui fortè credere, Arenbeckii opus (quod quidem primarium & autographum vidimus) nunquam prodicuum esse in publicum, eundem Arenbeckium vanissimè pro se allegat. Non enim Arenbeckius turbarum initium Abrahamo affingit, sed primùm ad annos subsequentes ejus consensionem consignat. Longè veteriora habet Reverendissimus Scriptor Maufołai S. Emmerammi, dum asserit, Henricum Bojariz Ducem consilio & impulsu proximorum Agnatorum atque Asinium, (noo verò Abrahami Episcopi) anno 976. turbas excitasse, & fœdus cum Augustano Episcopo, Bertholdo Palatino, & Henrico Carintiz Marchiooe pepigisse: Regem sese scripsisse & in Ecclesia S. Emmerammi ab Abrahamo Episcopo Frisingensi coronam accepisse. Hæc & non plura de Abrahamo scribit ex scriniis Ecclesiz suæ (in qua Henricus Diademate coronatus fuit) Abbas eruditissimus, idemque mericissimo jure extraneis præferendus. Schönlebius in sua *Carniolia* sic habet: *in Germania Henricus Bavarus Imperii fasces prensans induxit Abrahamum Episcopum Frisingensem, ut sibi augurali caeremonia coronam imponeret.* Sic ille, seductionem Abrahami Henrico, non Henrici Abrahamo tribuens, Et sanè quis credat, Abrahamum nostrum Otonis, summi Benefactoris sui, odio imbutum (ut oon nemo alius scribit) & non potiùs Henrici Bojariz Ducis, (in cujus provincia universa Diocesis Frisingensis includebatur) sive metu sive potentiâ, ac persuasionibus inductum fuisse, ut eundem coronaret, maxime cum tot aliorum etiam Principum, nempe Haraldi Dani, Mifeconis Poloni, Boleslai Bohemi, Henrici Carinthi: Antistitum Magdeburgii, Moguncini, & Augustani consensus accederet? Vides, Lector, nos neutiquam omnem culpam ab Abrahamo removere, quippe quem noxæ demùm participem fuisse omninò fatemur: sed solum illud optime negare, Abrahamum gravissimarum illarum rixarum fuisse vaniloquum primipilum & incertorem.

At cur (dicit non oemo) Abrahamus potiùs, quàm alius Bojariz Episcopus coronam Henrico, & quidem Ratisbooz, & extra Ecclesiam suam imposuit? Respondemus, vero simile esse, id cootigisse ideò, quia cæteri remotiores Bojariz Episcopi Henrico faciliùs sese opposuere, & S. Wolfgangus, Ratisbonensis tunc Episcopus, in alpstream prope Abernum lacum solitudinem sese eo ipso tempore ad declinandas Henrici rixas receperat, veluti Reverendissimus Maufołai Scriptor testatur. Hinc pronum est suspicari, quòd, cum è Bojis Episcopis solus Abrahamus suprà recensitis Principibus demùm consensisset, ac è consencientium Episcoporum oumero urbi Ratisbooenfi, Bojariz in rebus profanis tuoc Metropoli, viciniore esset, Henricum ab eo inunctionem postulasse, & Abrahamum, vellet, nollit, demùm manus dedisse. Verùm hæc in justam Abrahami defensionem, noo verò plenam excusationem dicta sunt.

Cæterum Ludovicus Schönlebius loco suprà allegato existimat, dooationem Domini Lak io Carniolia retrahendam esse ad annum Christi 973. At Schönlebius documenta nostra oon vidit: porrò idem Scriptor urbem Lak (vulgò *Bischoffe Lath*) ditionis peramplæ caput, *Lacopolim*, & io indice *Lacopolim* vocat. Est illa ditio ioter tot alias Frisingensis Ecclesiz Præfecturas hodie facillè præcipua: ex quo agnoscas, quantum Frisinga sit obligata Abrahamo Episcopo suo?

§. V.

Abrahami Episcopi Exilium.

DE Henrico Rixoso, & Abrahamo Episcopo nostro in exilium ab Ottone II. Casare deinceps actis quàm plura Scriptores afferunt, ast circa annum rei gestæ & loca exilii plurimum dissentiunt. Schönlebius rem jam refert ad annum 974. Sic enim habet: *Eodem anno Abrahamus Frisingensis Episcopus in exilium pulsus ab Ottone Imperatore in Carinthiam fugis, ubi ad lacum Wersee fundavit Collegiatam Ecclesiam cum Decano & quinque Canonicis, sacram ad eam SS. Primo & Feliciano Martyribus dedicavit illatis eorum Lipsanis, qua nunc Lithopoli apud PP. Franciscanos sub altari summo asservantur.* Hæc ille. Nos uti factam aliquando illam ab Abrahamo fundationem atque Ecclesiæ Dedicationem nequam negamus, quippe quam Abrahamo etiam merito gratulamur; ita de tempore ac anno fugæ longè aliud sentire cogimur ex Præceptis Imperatoris, eo ipso anno Abrahamo nostro concessis, quæ supra retulimus. Alii Scriptores locum exilii Abrahamo assignant Corbejam, alii Trevirum. Henricus Rixosus à quibusdam Scriptoribus Ingelhemium, ab aliis Trevirum, ab aliis Trajectum mittitur. Fugâ elapsus fuisse Henricum alii scribunt, sed alii fugam in Bohemiam, alii in Carinthiam arripuisse contendunt; certum tamen est utrumque ad tempus exulasse.

Varie Scri-
ptorum opi-
niones.
Abrahamus
Ep. fundat
Ecclesiam
Collegiatam
in Wersee.

P. Adamus Widl in suo *S. Sebastiano Eberspergensis* cum ex Brunnero retulisset, Henricum Reipublicæ hostem declaratum, è provincia egestum, & sive Passavii sive Frisingæ obsessum, cum Abrahamo Episcopo in potestatem Ottonis venisse, & procul à Bavaria exilium subisse, hæc subdit: *Subinde ad totam posteritatem memorabilis omnino res accidit. Erat Duci Henrico inter Tutelares sanctos D. Maternus, quem præcipua devotione colebat, & carceris sui Patronum multis precibus advocabat, ut ejus auxilio charam libertatem, turbis nuper amissam, recuperaret. Neque preces suæ irritæ: nam haud multo post S. Maternus secundum quietem Henrico assistere visus est, expressis verbis monens, ut, si ipse & Praesul Abrahamus caterique vinculis liberi esse cuperent, sequentia puncta sanctè jurarent, & adpromitterent: primo Eberspergam supplices accederent, & ad Divi Stephani Protomartyris Aram suas (Divi Materni) reliquias Ara illi inditas venerarentur: secundò fractam cum Udalrico Comite (Semptensi) amicitiam sarcirent, & pacem componerent; tertio negatam tanto tempore templi Eberspergensis Consecrationem Abrahamus Antistes aclusionem promoveret; hæc, non aliis conditionibus ipsos libertate potituros. Hæc Maternus, neque in vanum. Dicta Sancti coronavit eventus. Ambo quippe custodia præter spem soluti rectè Eberspergam concessere, ibidemque ad Aram provoluti fidem D. Materno liberarunt, licet postliminiò crudelitatis, ut sit, male obductis cicatricibus, & odio in speciem duntaxat emendato, rursus Ottonem veriti ambo ad Carinthios profugerint. Abrahamus nihilominus, loci Ordinarius, ut vocant, ex templo Udalrico Comiti copiam fecit advocandi, unde vellet, Episcopum, qui sacris ritibus Eberspergensis Ecclesiam dedicaret; hæc ille qui subdit, Ecclesiam illam postea à Friderico Salisburgensi Archiepiscopo fuisse dedicatam. Annum rei gestæ P. Widl non exponit: neque nos exponimus, sed solum contendimus, ista (utrumque demùm contigerint) ad annum Christi 974. minimè pertinere, sed ad annos aliquantò posteriores differenda esse. Sanè Abrahamo nostro ubicunque demùm in exilio degente silent ad aliquot annos documenta domestica.*

cap. 2. §. 3.

S. Maternus,
Abrahamus
Episcopus Eber-
gensis.

Dedicavit
Ecclesia Eber-
pergensis.

Hinc ad alia acta Synchrona stilus noster tantisper est convertendus.

§. VI.

Alia acta illius temporis, Abrahamo exulante.

Vicissitudines
vniuz.
Gronov. Salub.
pg. 70.

Reſtitutio
Monasterii
Tegernſenſis.

Benedictus VII. Apostolicam Sedem adeptus, anno Christi 975. Synodum celebravit, & Franconem, Bonifacii VII. nomen usurpantem, excommunicationis sententiâ perculit, uti latè probat Pagius. Eodem anno Pilgrinus Pataviensis Episcopus restituitur in dignitatem Archiepiscopalem. Literas Dükerus recitat: quas tamen Mezgerus in *Historia Salisburgensi* doctissimè examinât, & reprobât. Henrico Bojariz Duci exauctorato & in exilium propulso subrogatur in ejusdem Provincie Ducatu Otto Sueviz Dux, qui anno Christi 978. miseratus ingentes tuinas Amplissimi quondam Monasterii Tegernſenſis Ottoni Imperatori supplicavit, ut eodem in loco, rebus bonisque omnibus tum spoliato, divini Nominis cultum resuscitaret. Audiit Ducem Imperator & evocatum è Trevirensi S. Maximini Monasterio Hartwicum Monachum reducendæ novæ Coloniz Benedictinæ Abbatem constituit, amplissimam bonorum restitutionem adjecit, privilegiis singularibus Monasterium cumulavit, illudque in protectionem ac defensionem Imperialem suscepit. Legimus in Chronico Tegernſenſi apud Clariss. P. Bernardum Pezium, restauratioem Monasterii illius initium sumpsisse anno Christi 978. & Hartvicum Abbatem ab Abrahamo Episcopo Frisingensi confirmatum atque benedictum, anno Christi 981. debitum carnis exsolvisse. Verùm cum in illud ipsum quinquenium adbec durasse videatur Abrahami exilium, nescimus, an à vero admodum aberremus, si coojiciamus, confirmationem atque benedictionem illam Hartwico Abbati potius fuisse factam ab alio Episcopo, cui Abrahamus negotium commiserit, veluti etiam in consecratione Ecclesie Eberspergenſis contigisse, sibi diximus: quod tamen si admittatur, nihilominus benedictionis gratia Abrahamo omninò in acceptis manet referenda.

Amplissimus hic locus foret excurrendi in expeditiones Ottonis II. Imperatoris ea tempestate factas adversus Bohemos, Gallos, Græcos, & Saracenos, nec oon (ut quidam scribuor) adversus Henricum Ducem exauctoratum, etiam in exilio inquietum: item enarraodi acta admiranda S. Wolfgangi Ratisbonensis Episcopi; at quia ea à nostro instituto sunt remotiora, dissimulari debent. Ottonem, quem Bojariz Ducem datum diximus, aut in prælio infelici ab Imperatore cum Græcis iniro, aut in reditu ex Italia obiisse Scriptores Boici tradunt, Henrico minore sive Carinthio filio ab eodem Imperatore Ducatu Bojariz donato. Ipse Imperator Otto II. cum anno Christi 983. Ottonem filium suum, posthac eo nomine tertium, Imperii Collegam renunciasset, mortem obiit, Romæ sepultus, postquam fortunæ & Martis variantis exemplum sese aliquot anois orbi exhibuerat.

Ottone II. à vivis sublato libertati restitutus Henricus Dux, ultrò cedente Henrico minore seu Carinthiz Duce, rursus novas rixas mover, & Ottone III. in suam potestatem redacto, Imperium ambit, Bojariz Episcopis sibi adherentibus, in quorum numero Abrahamum fuisse facillè coojicimus, quem eodem tempore ab exilio rediisse existimamus. Verùm Otto III. Procerum Germaniz favore è periculo & captivitate creptus palmam rivali præripuit, *mirabilia mundi* deinceps ob sapientiam appellatus, & anno Christi 984. Aquisgrani coronatus.

Inter hæc eodem anno Benedictus VII. felicioribus hujus sæculi Pontificibus adnumerandus, Ecclesiam regere desiit, succedente Petro Episcopo Papiensi, Ottonis II. Archicancellario, qui deinceps in Pontificatu Joannis XIV. nomen assumpsit, aut non nisi ad aliquot meofes retinuit. Vix enim Franco, fe

seu Bonifacius VII. sæpius à nobis memoratus, mortem Benedicti VII. intellexerat, cum statim Constantinopoli accurrens, collecta perverforum faciorum manu Joannem in captivitatem redactum fame fecit, & Petri solum vi inuavit: in quo tamen non nisi pauculis mensibus sedit, Divinâ vindictâ & vita & throno Apostolico exturbatus, & vix tandem sepulchro donatus. Succesit anno Christi 985. Joannes XV. de quo Pagius nonnulla ad eum annum disputat.

§. VII.

Reliqua Abrahami Episcopi Acta.

Abrahamum Episcopum unâ cum Henrico Rixoso Bojariz Duce statim à morte Ottonis II. Imperatoris ad sedem suam revertisse, supra coniecimus, & etiamnum opinamur. Eum ante annum Christi 980. in gratiam tum Imperatoris Ottonis III. tum Imperatricis rediisse, certum est, & demonstrari potest ex instrumento insignis donationis eo anno Abrahamo factæ, quod sic habet.

IN Nomine Sanctæ & individua Trinitatis. Otto divina favente Clementia Rex. Noverit igitur omnium fidelium nostrorum presentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos dignis & admodum honestis petitionibus dilectæ Matris nostræ Theophanii nec non cari Nepotis nostri Karenthinorum Ducis Heinrichi suppliciter rogati Venerabili Viro Abrahæ Sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Præsuli, nostra familiaritati digne adjuncto quandam nostræ proprietatis partem in Regione vulgari vocabulo Chreine & in Marcha Ducis Heinrichi & in Comitatu Waltilonis Comitæ sitam, idem, ubi Rivulus Sabniza Originem producere incipit, deinde statim occidentem versus cacumina montium sylvasque interjacentes usque ad Bosanam, & sic ad fines earundem Alpium; Deinde ubi rivulus Chotabla originem sumit, usque ad hunc locum, ubi hostium in Zoura fluvium mittit, sicque trans Zouram usque ad summitatem ipsius montis Zoura adjacens, qui extenditur Orientem versus, & ita per eundem montem, perque valles usque ad Castrum, quod vulgò Bosisan vocatur, statimque de eodem castro, usque in rivulum, qui vocatur Gotsche, & cacumina montium ad Zouram respicientia proindeque ubi præfatus rivulus Australi parte decurrens hostium vadit in Zouram, ac sic tractum, dum Zoura hostium facit in Zarvam, ac quicquid inde locorum inter illas proprietates duas situm est, Abrahæ videlicet Episcopi, ac Werhardi Comitæ excepta proprietate Pribitzlavi nostra traditione regali sibi donata, hoc totum nobis pertinetis Abrahæ Episcopo in proprietatem donare curavimus, ac Zoura junctâ ripa, quantum extenditur unius juxeri longitudo usque ad vadum, quod vulgò Strefoubrot vocant, ibique ultra eundem fluvium occidentem versus usque in viam, qua vocatur via Ortinariorum, & sursum per eandem viam, quidquid campi in Australi ejusdem via parte jacet, ita ut Primet territorium, & sylva qua Zouruska Dobrava sub eadem comprehensione teneatur, & spatium, quod jacet inter Primet & Witzlinesteti per medium dividatur, & sic usque in præfatum rivulum Sabniza nostra regali potentia in proprium usum concessimus, firmiterque donavimus, cum terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, adificiis, aquis, aquarumque decursibus, ipsaque jam dicto foresto, venationibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, vis & inuis, exitibus & redditibus, quasitis & inquirendis & cum omnibus jure legaliterque ad hæc pertinentibus. Præcipimus etiam & noviter constituimus eisdem locis Pannum nostrum a rivulo Sabniza versus occidentem usque ad finem Bosanga, & inde usque ad jam dictum rivulum Chotabla, indeque usque in Zoura fluvium, & quicquid intra hæc eadem

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Aa

pra-

prefata undique secus comprehensum videtur loca, & regio, Imperatorioque more jubemus, eo tenere, ut si quis quarumlibet personarum in quibuslibet jam dictis sylvarum, vel forestarum locis cujuslibet generis feras canibus vel qualicumque modo insequitur, Pannum hujusmodi culpa nostro debito fisco ipsi Episcopo omni dubitate postposita, si hoc absque ejus fecerit licentia, dominica aestimatione persolvat; hac vero & caetera jam dicta tali constant ratione, ut ipse jam dictus Episcopus libero deinceps perfruatur arbitrio hac omnia tenendi, dandi, vendendi, commutandi, seu quicquid inde voluerit faciendi. Et ut haec nostrae largitionis Auctoritas firmior stabiliorque permaneat, cunctis sanctae Dei Ecclesiae sitis, hanc cartam inde scribi iussimus annuloque nostro signatam manu propria subtus eam firmavimus, praecipimus etiam, ut nullus Comes, nec Judex, sive Decanus, nec aliqua persona jus habeat se introumittendi absque licentia Episcopi, aut ejus, cuiuscumque se commendaaverit. Signum Domini Ottonis Gloriosissimi Regis, Hilibaldius Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Dat. Kal. Octobr. Anno Dominicae Incarnationis DCCCC LXXXVIIII. Indict. II. anno autem tertii Ottonis Regnantis VI. Actum Franchensurt feliciter. Amen.

Ex hoc praecario regiae Munificentiae instrumento certum atque manifestum est, Abrahamum Episcopum Ottoni III. deinceps fuisse planè acceptissimum, nec solum eam, quam adversus Imperatoris Parentem contraxerat, maculam eluisse, sed insuper etiam regis favoribus dignum sese reddidisse. Praeterea ex eadem membrana probatur illud, quod in superioribus diximus, nempe Abrahamum Episcopum proprias quasdam possessiones in Carniola habuisse, dum Rex testatur, se donare Abrahamo fundos proprietati ejusdem adjacentes.

Caeterum eodem anno obiisse Henricum minorem Carinthiae Ducem; ipsam verò Carinthiam Henrico Bojo fuisse adjectam, Brunerus scribit; ad annum sequentem, Christi 990 P. Mezgerus mortem Friderici Archiepiscopi Salisburgensis, & Electionem Hartwici à Comitibus de Sponheim recenset.

In hac Frisingensi Dicecesi cum Canonici Eberspergeses (quos P. Adamus Widl S. Augustini appellat) saepius jam antehac ultrò missionem à Comite (Udalrico) petiissent, eò quòd numerus peregrinantium indes cresceret, ipsi verò contemplationi suae ac quieti, cujus erant amantiissimi, oborto strepitu hominum minus consultum crederent, rati, meliorem esse partem Magdalena suaviter ad pedes Christi sessantis ac contemplantis, quam Martha circa multa sollicita & negotiosa, impetrarunt tandem abeundi veniam, quam toties urgebant. Abierunt ergo relicto sui apud Udalricum desiderio: uti latè prosequitur laudatus scriptor: qui postea subdit: His ita se habentibus ne Ebersperga Religione jam & prodigiis celebris sacris destituta auxiliis, ac deserta remaneret, placuit Udalrico novam continuo praestantissimorum Virorum Coloniam aliunde advocare. Fuere illi Venerabiles Patres S. Benedicti, passim virtute, scientia, bono vita odore tota Germania nominatissimi. Hi speciosis Evangelizationum pedibus instructi, cum jam alba Regiones ad messum apparerent, venire Eberspergam anno post Christum Servatorem 990. Abbate primo Reginboldo, Augusta Vindelitorum ex inclyto Monasterio, ut modo vocant, SS. Udalrici & Afræ huc accersito & delecto &c. Hac & plura alia P. Widl, cujus libellum saepè haftenus allegatum, Lectori expendendum relinquimus, id unum momentes, Reginboldum seu Reginbaldum non potuisse anno Christi 990. evocari ex inclyto Monasterio Augustano SS. Udalrici & Afræ, quippe quod primum anno 1012. fuit institutum, Reginbaldo primò Abbate primum post triennium deinceps Eberspergam translato, uti ex Hierarchia Augustana P. Corbiniani Khamm discimus.

Anno 992. Otto Imperator confirmavit Abrahamo Episcopo nostro eam donationem, quam Avus ejus Otto magnus dudum tum Frisingensi tum Incensæ Ecclesiae fecerat. Tenor litterarum hic est.

IN Nomine sanctæ & individua Trinitatis. Otto divina favente Clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri presentes atque futuri, qualiter fidelis noster Abraham Episcopus obtutibus nostris presentari fecit præceptum beata memoria Domni Avi nostri Ottonis videlicet Imperatoris Augusti, in quo continebatur, quomodo ipse per interventum dilectæ suæ consuetudinis Adalheidis Imperatricis Augusta caræ Avie nostræ nec non & ejus equivoci Genitoris nostri quædam res Imperialis juris sitas in Comitatu Tarvisiano hant longè à fuvio Vallætus, & in loco, qui dicitur Chumio, qui situs est prope litus Prente, qui sive Isaac traditus Judeo à Wicherto, & in loco, qui dicitur piscatoris & Vicentino Comitatu in circuito Gudage ultra tria milliaria, & in utrique ripa Prente jus macelli & in ejus finibus, quæ inter istos designatos fines iacent, quæ appellantur amario. Deinde terminante in aqua quæ dicitur Musone, deinde terminante in flumine Diso, & deinde terminante in litano, unde filius resurgit, & de ipsa curie supra nominato Gudago terminante Aurilla, & deinde terminante in Rescio, inter istos designatos fines cum pratis, pascuis, viis & invuis, exitibus & redditibus, fontibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus molendinis, silvis & paludibus omnibus rebus justè legitimeque ad eandem Curtem respicientibus, quæ sitis & inquirendis ad servitium sancti Candidi ad Inticam in manus sibi satis chari Episcopi jam superius Abraham appellati ob remedium anime suæ tradidit, eo scilicet tenore, ut idem jam dictus Episcopus usque ad obitum sui absque contradictione omnium totum atque integrum teneat atque possideat. Postea verò servitio Sancti Candidi reintegratum perpetim inibi permansurum, ad Inticam redeat atque respiciat, pro rei tanen firmitate petiti celsitudinem nostram idem jam dictus Abraham Frisingensis Ecclesie Episcopus venerabilis, ut nos denuo id ipsum nostræ donationis Auctoritate confirmaremus. Nos verò ob dilectionem prælibatæ Avie nostræ Adalheidis Imperatricis Augustæ, & frequens servitium, quo ipse devoto animo sæpius nobis exhibuit, pia petitionis illius benignum assensum præbentes eandem Curtem Gudago supra nominatam cum omnibus rebus illuc rite aspicientibus eodem tenore sicut superius scriptum habetur, & videtur, ad Ecclesiam S. Candidi ad Inticam nostræ Celsitudinis præceptione à novo donavimus, tradimus atque confirmamus: ea scilicet ratione, ut idem jam dictus Episcopus usque ad obitum sui absque contradictione omnium omnia hæc teneat, atque possideat, & post ejus excessum servitio Sancti Candidi ad Inticam perpetualiter ibi mansura cum omni integritate redeant atque respiciant. Et ut hæc nostri juris donatio atque confirmatio firma, stabilisque perseveret, hanc cartam conscribi ac sigilli nostri impressione justissimus consignari. Et qui violator hujus præcepti exstiterit, invitus persolvat mille libras, auri obrizi medietatem camera nostræ & medietatem præfato Episcopo suisque Successoribus & Ecclesie Inticæ.

Signum Domni Ottonis gloriosissimi Regis. Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi notavi; data Non. Novembris anno dominicæ incarnationis DCCCCXCII. Indiçt. VI. anno autem III. Ottonis Regnantis VIII. Actum Dornbure feliciter. Amen.

Hoc Ottonis III. præceptum cum in quarto seu magno Traditionum libro recitasset Conradus Sacrista, hæc de Abrahamo subjungit. *Hisque ab Imperatoribus Ecclesie sue impetratis, turre quadam Monasterium adauxit, & diversis Ornamentis Ecclesiarum in plenariis (nempe libris Missalibus) & Tæpetibus diligenter ac devotus adornavit, rexitque hanc Sedem Episcopalem annis 37. & mortuus est, & sepultus est in Basilica (potius capella) quam in honorem sancti Thomæ Apostoli erexerat feliciter. Amen.* Ita Conradus: ex quo discimus, mortem Abrahami, quem anno Christi 957. Episcopatum aditisse diximus, reponendam esse ad annum Christi 994. quod etiam pleraque Chronica Frisingensia asseverant. Sanè ii, qui mortem Abrahami ad annum Christi 992. ac diem

Junii septimum reponunt, ex recitato Ottonis III. diplomate erroris perspicuè convincuntur; Cùm illud diploma fuerit coecessum Abrahamo primùm Nonis Octobris dicti anni. Meliùs itaque annus obitùs Abrahami alibi ponitur ad annum Christi 994. ac diem Julii decimum quintum. Gamanisius tamen ex veltustissimo Frisingensi Calendario diem Julii septimam exprimit. Codex Weichenstephanensis annua Christi 993. designat: cui etiam quidam domestici consentiunt.

Porro Conradus in fine actorum Abrahami Episcopi in margine hęc apposuit: *Commemoratio rerum Ecclesiasticarum & amicitium, cum quibus Abraham hanc Ecclesiam decoravit & ditavit; imprimis cappa (Pluvialia hodie vocamus) cum aureis fibulis parata 6. alia cappa de probatissimis pallis 16. Planeta (casulas aliàs dicimus) auro parata 6 sola cum auro parata 5. cum totidem sanonibus (nempe manipulis) & cingulis. Calix unus magnus aureus & argenteus & fistula (pro sanguine Christi è calice traheodo) argentea. Alter vero aureus cum patenis. Humerale cum solido auro unum. Alia auro parata 4. item planeta sine auro 5. Dabnatica auro parata 3. alia due sine auro. Pallium sacrum 1.* fortè ad exemplum illius quod S. Corbiniano primo Frisingensi Episcopo Gregorius II. contulit, & cum quali depictum cernimus ipsum Abrahamum Episcopum in libro Traditionum, à Conrado Sacrista conscripto, uti etiam alios aecessores & plures successores Episcopos. *Cortinam (velum) de pallio uno. Galeta (res oobis haftenus incognita) argentea 1. Pixis argentea 1. Albam auro paratam unam.* Ex quibus nemo non intelligit, Abrahamum nostrum omninò dilexisse decorem Domùs Dei.

Abrahami ætate etiam Henricum Rixosum, Bojariz Ducem, fuisse pium in S. Corbinianum, discimus ex Arenbeckio, qui lib. 4. Chrooici Bojariorum hæc habet: *Ex hujus inquit, Hainrici Ducis Donatione caput argenteum deauratum S. Corbiniani, quod haftenus habetur in Ecclesia Frisingensi, factum est de hoc sunt metra:*

*Dum jubet Hainricus, quam sanctus Corbinianus
Splendet in argento, quod dedit ille Deo!
Præfuls Abrahami fulgebat imago benigni,
Omnipotens animam salvet in arce suam.*

Ejusdem Abrahami tempore Ratoldus quidam, nobilis Presbiter, Frisingensis Ecclesie Custos & Aedituus omnem suam proprietatem in *Puofinga* (fortè Pasing) in usum Sacrarum Frisingensis obtulit coram nobilibus testibus, Frisingæ 6. Id. Sept. in *Nativitate Sanctæ Mariæ, in Dedicatione Ecclesie Frisingensis*, ac, ut suspicamur, in ipso festo S. Corbioiani, quod eo tempore adhuc ab eo die oon fuit translatum in diem subsequenter. Instrumentum damus in parte altera N. 1090. Idem Ratoldus eadem die aliam donationem fecit totius proprietatis suæ in loco *Rumna, ad providendam, nempe præbandam, fratrum.* Illud sequitur sub Num. 1091. De hoc Ratoldo infra redibit amplior mentio.

*P. d. 4 N. 1090.
97m 1112.*

Fecit Abrahamus noster quamplures Ecclesie suæ permutationes, quarum instrumenta extant, aut sine notis Chrooologicis. Multi ibi nobiles notantur, sed sine cognomine: de quorum proiude Genealogia Lectori conjecturas obtrudere non vacat. Satis nobis fuerit testatum relinquere posteris, Abrahamum fuisse, ex Apostoli scito, *Domui suæ benè præpositum.*

Quæret fortassis nonnemo, an Abrahamus etiam conformiter subjunctis Apostoli verbis, *filios habuerit subditos cum omni castitate?* Ad quod respondendum est, Abrahamum & habuisse subditos spirituales filios, & vixisse *cum omni castitate.* Nam quod quidam maledici de familiaritate Abrahami cum Juditba, Henrici Rixosi Matre habitâ, comminiscuntur, in huoc modum post Brunnerum Adelzreiterus expungit. *Juditba, inquit, post Mariti excessum,*

con-

continentiam coluit, nec evitavit tamen *sinistros vulgi rumores.* Cum enim Abraham Frisingensem Episcopum impense veneraretur, & in rebus dubiis familiariter consuleret, incurrit in male seriatim criminaciones. Verum, cum illa è vivis excessisset, idem Antistes inter sacra solemnia, qua ritu funebri defunctæ faciebat, ejus sanam hac ratione defendit: antequam sumeret hostiam sacrosanctam Corporis & sanguinis Divini, ad populum conversus demortuam laudavit. Flagitium verò, inquit, quod impostores ejus pudicitia affinxerunt, si unquam perpetravit, saxit Omnipotens Pater, ut filii sui corpus & sanguis, quod salutare est aliis remedium, mihi sit exitio, & Judithæ saluti. Sic locutus, corpore animoque purus, sumpsit pretiosissimam Convivii Christiani refectiorem. Dicenti credidit populus. Relictum tamen Viduis Virginibusque documentum, quanta cautio in castimonie & integre famæ tutela sit adhibenda. Sic ille; Gewoldus turpe Judithæ factum Aventini fabulis accenset.

Abrahamum nostrum Examini Clericorum quatuor anni temporibus institui solito: item horis canonicis, ad alios in exemplum trahendos, semper interfuisse, maximam Parochialium Ecclesiarum curam habuisse, nec nisi exercitatos Clericos inter fratres suos admisisse, Chronica domestica testantur. Additur in margine quarti Chronici, Abrahamum fuisse amicissimum, & olim condiscipulum Alexandri Abbatis Campidonensis; cujus etiam omnia negotia expedierit. Alexander ille à S. Udalrico Episcopo Augustano fuit præfectus Abbatie Campidonensis, Abbas ordine decimus tertius, vel ab ipsa promotoris Sanctitate commendandus, laude utique in Abrahamum quoque nostrum, eadem familiarissimum, redundante.

Extant in Bibliotheca Cathedralis Collegii Frisingensis plures Codices, sub Abrahamo Episcopo conscripti, quos ante nos vidit Vir Clarissimus P. Bernardus Pezius Mellicensis, uti datis ad nos literis testatus est. Unde colligimus, barbaro etiam illo sæculo, Christi decimo, Frisingæ literarum amorem nequam interpuisse.

Obitu Abrahami Episcopi ad annum Christi 994. protracto intelligimus, cum terris valedixisset anno Joannis XV. Pontificis decimo, Ottonis III. electi Imperatoris duodecimo: Beato Hartwico Salisburgensi Archiepiscopo, & Christiano Episcopo Patavienfi. Ratisbonensis Episcopus S. Wolfgangus mense Julio illius anni adhuc inter vivos erat, brevi tamen ad Superos migraturus, uti paulò infra videbimus.

CAPUT IV.

Gotescalcus Episcopus Frisingensis XVI.

§. I.

Natales, & electio Gotescalci: item acta vicina usque ad annum Christi 995.

Gotescalcus, aliàs Gottscalcus, & ut est apud Mabillonium *Veterum Gotescald Analektorum Tom. 4.* à S. Gotthardo, Tegernseensi tum Abbate, ac Froumundo Monacho Tegernseensi latinè *Theodulus*, id est, Minister Dei, sive *Gottsfnecht* in suis epistolis rectè appellatus, in omnibus membranis Frisingensibus sextum decimum inter Frisingenses Episcopos locum obtinet. Silenti antiqui Codices de ejus profapia. Hodiè tamen non-

nullis videtur fuisse prognatus ex stirpe nobilium de Hagenau , quæ fuerit eadem cum familia Baronum de Weilheim. An è gremio Ecclesie electus, vel aliunde ascitus, aut (ut eo tempore alibi sæpe factum fuisse constat) ab Imperatore fuerit impositus, non proditur. Existimamus tamen, cum suffragiis Frisingensis familie eam dignitatem fuisse adeptum, cum ad illud usque tempus non constet, privilegium libertatis eligendi à quoquam sive Pontificum sive Cæsarem fuisse Ecclesie Frisingensi ademptum aut impeditum. Annum electionis existimamus fuisse Christi 994. uti ex supra dictis constat. De die electionis non extat mentio.

Eodem anno, quo Frisingensem Cathedralam ex nostro calculo conscendit Gotescalcus noster, Ratisbonensem deseruit beatus Wolfgangus, vita sanctissime functus, merito *omnium ordinum Magister* à nonneminè appellatus. Innumera sunt, quæ de hujus viri admirabili sanctitate, virtutibus, zelo animarum, curis pastoralibus, effusissima in pauperes liberalitate, prophetiis, ac prodigiis maximis: item de consiliis prudentissimis, quibus Cæsares juvit & instruxit, passim apud Historiographos maxime Bojarios, reperire est. Famam ejus etiam post mortem prodigia ferè infinita deprædicant, & in hanc usque diem multiplicantur, in eo maxime ad lacum Abernum loco, ubi is olim sacram solitudinem elegerat. Testes veteres si nihil valerent, sufficerent vivi, nempe vicini Boji, Austriaci, Styri, quibus usitissimum est sacrum illum locum venerari, ac beneficia reportare. Cæterum S. Wolfgango in Ratisbonensi Cathedra subrogatus est Gebhardus, ex familia Comitum de Hohenwart procreatus.

Sequenti anno Henricus Bojarix Dux, toties à nobis memoratus, è vivis excessit. Rixosum ultimis vitæ annis minimè fuisse, patet ex postremis filio Henrico, futuro Duci, postea Imperatori, datis cautissimis monicis, inter quæ ex Ditmaro nostro, scriptore Synchrono, apud Adelzreiterum sequentia legitur. *Obfisti quidem aliquando (inquirebat, rixas suas contra Ottonem suscitatas deplorans) cum magno meo damno & dedecore; si, quam promptum mihi fuit id dare effectum, ita nunc liceret reddere infectum, crede mihi, sacerem hodie, cur me mei facti non puniret. Tu vero discere meo exemplo nihil admittere, cujus te postea pigeat. Male veriti duobus Henricis, Avo, patrique tuo, cum totidem Ottonibus de regno certasse: vide, ne tertius sis, qui simili errore cum tertio collidaris. Regna, qua Deus condidit, à Deo sunt accipienda, non rapienda, cælo, fasque adversante. Regna cuiusvis merito debent esse suspecta, quia plerumque insida, servilia, angusta, & insatiabilia. Hæc meditare, hæc alta mente reponere, & vive memor mei, quem in hac mortali vita non es deinceps visurus; ista moriturus Henrico filio: post quæ ad mortem optime comparatus in pace quievit.*

Annicentibus postea Bojis nostris Henricus filius, quem deinceps ut sanctum venerabimur, Ducatum impetravit. Supererat enim eo tempore illud antiquæ libertatis vestigium, & consuetudo, ut, qui ad ducatum promovendi essent, Optimum suffragia prentarent, nec prius clientelare sacramentum dicerent, quàm gentis proceres regis voluntati fuissent assensu, imò eligerent, quem à Regibus Principem erant accepturi, ut pulchrè iterum Adelzreiterus cum nostro Ditmaro scribit. Optime in idem argumentum consonat Brunnerus, ex quo non piget sequentia excerptere. *Generari, inquit, & nasci à Principibus, quod hodie ferè solum æstimatur, prerogativa sine dubio fuit indispensandi aviti honoris: prentabatur tamen etiam populus, & numerabantur suffragia eligentium: qua magna pars libertatis fuit nondum extinctæ, cum neque omnino irvitiis domini potius quàm Principes imponerentur, cogerenturque ij tam Cæsaris quam civium beneficium in fastigio suo agnoscere: proinde neque servitutem illorum sibi traditam, sed tutelam; neque tam Rempublicam suam esse, quam ipsos Reipublicæ: qua quidem Henrici cura præter vitam omnem pri-*

S. Wolfgangi mors.

Et merita.

Henricus Dux Bojarix obit.

Monita datæ filio.

Succedit Henricus filius Sanctus.

Part. 1. lib. 11. c. 1.

Lib. 2. c. 5.

prima suere. Hæc Brunnerus: qui postea illius educationem sanctam Magistro Sancti Wolfgangi, veluti fonti totius illius felicitatis debitam eleganti stilo profequitur, ipsiusque Divi Wolfgangi curas, quas etiam à morte sua pro Henrico gessit, bellissimè describit. Nos rem compendiò damus. Henrico dormienti aliquando Wolfgangus adstiterat, & parieti geminas has vuculas: *post sex.* inscripserat. Exspectatus ille mortem primùm in sextum diem: postea in sextam hebdomadem: demùm in sextum annum expectavit, curis interea maximis adhibitis, ut vitam quàm sanctissimè poneret. Sextò verò annò, cùm dies vaticiniù illuxisset, Henricus vitam non amisit, sed Regnum Germaniæ, à Proceribus delatum, accepit, quo certè nemo sese digniorem reddiderat, inde natum illud: *da tales Magistros, & habebis tales Imperatores.* Verùm ista incidenter. Nunc ad Ottonem III. & Gotescalcum Episcopum nostrum revertimur, inter quos hoc ipso anno Christi DCCCC XCV. sequens commutatio bonorum accidit.

A. D. Wolf-
gangi edo-
catus.

Cui etiam
post mortem
cura fuit.

IN nomine Sanctæ & indivisibæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum tam presentium quam & futurorum novèri industria, qualiter Gotescalcus Frisingensis Episcopus quoddam prædialium sua Ecclesia jacens in confinio nostra proprietatis Orientalis urbis, qua dicitur Chremisa, cum omnibus utensilibus ad eam pertinentibus consiliante Duce Henrico in jus nostra proprietatis manu sua, suisque Advocatis Antonis perpetuò consistendum tradidit. Nos autem e contra in eadem Marcha, & in comitatu Heimrici Comitæ nostra proprietatis Pl. regales hobas, in loco, qui dicitur Zudameresfelt juxta flumen quod dicitur Ipsa cum curtiferis, arvis, pratis, piscuis, silvis, saginationibus, venationibus, piscationibus, * Zidalveida, molendinis, exitibus & redditibus, viis & invias questis & inquirendis ea omnia qua nos habentes detinuimus utilitate ac justè legitimè ad easdem hobas pertinentia sub presentia fidelium nostrorum in manus præscripti Episcopi tradidimus. Ea lege, & eo tenore ut prasata ecclesia sanctæ Mariæ sanctique Corbiniani, & Gotescalcus episcopus & successores ejus sine contradictione omnium hominum eas in perpetuum potestative possideant. Et ut hæc proprietatis nostra traditionis nunc & in futuro stabilis & inconvulsa consistat, Hanc cartam inde conscriptam impressionis nostre sigillo confirmari atque corroborari præcepimus manue nostra propria, ut infra videtur, secundum consuetudinem Regum vel Imperatorum eam firmavimus.

* Zidalveida.
nomen fluminis
& quorundam, quibus
predecessor noster
duxit Trecheld
sive Zidwelo
vobis.

Signum Domni Ottonis gloriosissimi Regis.



Hiltsbaldus episcopus & cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data XV. K. Sept. anno dominica Incarnationis D CCCC XCV. Indict. VIII. anno autem tertii Ottonis regnantis XII. actum Magadaburg feliciter. Amen.

Hoc instrumentum, cùm alicubi expendisset vir el. P. Hieronymus Pezius, Dilucidave rectè animadvertit, sub vocabulo Chremisa intelligi urbem Cremisiam: sub Zudameresveld hodiernam Ulmarveldam, sub Ipsa fluvium Ipr. à quo adjacens oppidum nomen habet, & Ipsum dicitur. Cæterùm ex prædicto Instrumento ad oculum apparet, Ottonem, cum pro prædiolo daret sex hobas seu Hubas regales, suum erga Frisingensem Ecclesiam, ejusque Episcopum Gotescalcum

Dilucidave
Instrumentum
cum.

stu.

studium luculentissimè explicuissè. Ulmervelda in hodiernum usque diem ad eandem Frisingensem Ecclesiam pertinet.

§. II.

Acta Ecclesie, Imperii, & Frisingensia de anno Christi 996.

Hoc anno ex communi calculo obiit Joannes XV. Pontifex Maximus: diem tamen emortualem manere incertam Pagius asserit; quod addo, non miretur Lector, si quandoque etiam Frisingensium Episcoporum dies obitus assignare non possumus. Successit Bruno, Ottonis Suevorum ac Saxonum Ducis filius, ipsi Ottoni III. Imperatori sanguinis vinculo proximus, è Divi Benedicti religioso ordine Romam vocatus ac Pontifex electus assumpto Gregorii V. nomine, ut ferè habet R. P. Gregorius Kolb S. J. Paulò aliter Bucelinus noster sentit, ac Brunonem Ottonis potiùs Suevorum ac Bojorum quondam Ducis filium dicit: ast Monachum Ordinis nostri fuisse, omninò consentit, etiam Mabillonio nostro in Aunalibus suffragante, ubi cum primo Monachum Corbejæ novæ, postea Werdensem Episcopum fuisse ostendit; unde is etiam Corbejam nominare solebat *pupillam suam*, prout Corbejenies Annales testantur. Subdit Bucelinus sequentia; Imperator à Gregorio cognato solemniter coronatus, auctor eidem fuit Concilii convocandi, quo ipso Gregorius & Ecclesie & Imperio mitificè consulit, eligendique Cæsaris modum præscripsit, eoque & Germanis Romanum Imperium stabilivit, & æternùm tam de Cæsariibus quàm Electoribus meruit. Hæc ille ex Scriptoribus nominatissimis, quos allegat. Cæterùm Electorum numerus eo anno nondum adhuc videtur ad septenarium cum effectu fuisse restrictus: Nam etiam Frisingenses Episcopos, Gotescalcum, scilicet, Egilbertum & alios annis sequentibus inter electores locum adhuc habuisse, alibi demonstrabimus. Ea de re videatur Pagius ad hunc annum. Sanè Gotescalcum nostrum etiam gravissimis illis actis, quæ mox recensuimus, Romæ interfuisse, docemus ex diplomate sequenti, Romæ dato, quo Gotescalcus jus eudendæ monetæ, mercatum quotidianum, & proveniens inde telonium, quod eousque Regibus debebatur, sibi, Ecclesie, urbiq; suæ impetravit. Præceptum Imperatoris sic habet.

Gregorius V. PP.

In sine Rom. P. 107.

In Annalibus Germanicis ad Ann. 996. Præsentibus modum eligendi Imperatorum.

Gotescalcus præcipuus dona ac privilegia ab Imperatore obtinet.

Mercatum quondanum, jus moecæ: telonium.

In nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. Otto Divina favente Clementia Imperator. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum industria, qualiter nos consensu & consilio Episcoporum, atque Laicorum assantium, ipsius quoque Summi Apostolici Gregorii Romanorum, Francorum, Bojorum, Saxonum, Alatiensium, Suevorum, Lotharingorum ob remedium animæ nostræ, nostrorumque parentum, nec non & interventum ac petitionem Gotescalci Frisingensis Ecclesie Episcopi talem utilitatem ac tantum honorem, id est, mercatum omnino die legitimum, monetam Radaspensensem in loco Frisinga dicto Imperiali potentia construi, & adprime incaptari concessimus. Ithelonem autem nos exinde respicientem super premium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Corbiniani pro salute corporis nostri & animæ perpetuè inibi consistendum potestative tradidimus. Et omnibus quidem eundem mercatum inquirentibus pacificum aditum, ac reditum nostri Imperialis Banni districtione firmiter sancimus, sed ea lege atque tenore, ut præfata Ecclesia, ac idem Episcopus prætulatus omnesque ejus successores hanc & hunc utilitatem honorem in finem usque seculi feliciter optineant. Et ut hæc nostra potestatis traditio nunc & in futuro stabilis & incorrupta perseveret, hanc cartam inde conscriptam impressionis nostræ sigil-

lo confirmari atque corroborari statuimus nostræque manu propria, ut infra videtur, secundum consuetudinem Regum vel Imperatorum hoc signo eam signavimus.

Signum Domni Ottonis gloriosissimi Imperatoris.



Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi.

Data XI. Kal. Jun. anno Domini Incarnationis D CCCC XCVI. Indictione VIII. Anno autem tertii Ottonis Regnantis XIII. die Imperialis consecrationis ejus tertio. Actum Roma feliciter. Amen.

Ex hoc instrumento, ut diximus, satis perspicuum est, Gotescalcum inter tot alios Episcopos Romæ in comitatu Imperatoris fuisse, cum tertia statim post coronationem die, tempore utique usus, tanta privilegia ibi obtinuerit; nec minus certum arbitramur, Gotescalcum nostrum postea cum Imperatore aliud iter instituisse: id enim apparet ex nova eaque perampla donatione, Kal. Nov. Bruchfella *, Diocesis Spirensis oppido facta, cujus Diploma sequentia continet.

IN nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. Otto divina præordinante clementia Imperator Augustus. Noverint omnium industrie fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum, qualiter nos dignis petitionibus dilectissimi Nepotis nostri Bojoviorum Ducis Heinrici annuentes, quasdam nostri juris res in regione vulgari vocabulo Ostarrichi in Marcha, & in comitatu Heimrici Comitis filii Luitpaldi Marchionis in loco, Niuwanborva dicto, id est, cum eadem curte, & in proximo confinio adjacentes triginta regales hobas, cum terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, edificiis, aquis aquarumve decursibus, venationibus, Zidalvveidum, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, visis & invisis, exitibus & redditibus, quasitis, & inquirendis, omnibusque jure legaliterque ad easdem hobas pertinentibus, super premium Frisingensis Ecclesie ad servitium sanctæ Mariæ, sanctique Christi Confessoris atque Pontificis Corbintani, cui nunc fidelis noster Kotascabus venerabilis præsidet Episcopus, in proprium atque perpetuum usum concessimus, firmiterque tradidimus nostra Imperiali potentia, eo modo, eoque tenore, ut eadem præfata Frisingensis Ecclesie idemque prælibatus Anistes Kotascabus, atque omnes sui successores libero deinceps persruantur arbitrio hæc omnia tenendi, commutandi, & quidquid voluerint inde faciendi. Et ut nostra Largitionis auctoritas firmior, stabiliorque cunctis sanctæ Dei Ecclesie filiis perpetim credatur, hanc cartam inscribi iussimus, anuloque nostro signatam manu propria subtus eam firmavimus.

Signum Domni Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

O
L M R S



Hildebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi.

Data Kal. Nov. Anno Dominica incarnationis DCCCCXCVI. Indiçione X. anno autem tertio Ottonis regnantis XIII. Imperii vero I. Actum Brouchfelle feliciter.

Quid sit Niuvanhova?

Monendus hic est Lector, nomine Niuvanhovæ intelligi à quibusdam hodiernam urbem Waidhofen, vulgò Bayriçh Waidhofen/ sitam intra alpes inferioris Austriz versus Scyriam; quæ urbs unacum territorio adjacente hodiè que dominio Frisingensis Ecclesiæ subjacet.

Otto Imperator à S. Paulo jubetur non egeret à Monachis Monachos, sed emendaret.

Cæterùm cum hoc, ut diximus, anno Otto Imperator diadema Imperii à Gregorio nostro suscepisset, & inter cæteras curas etiam reformationi quorundam Monasteriorum intentus esset, cogitanti è Basilica S. Pauli viâ Ostiensi egeret Monachos, & introducere Canonicos, hoc, quod è Glabro Rodulpho Baronius recenset, accidit. Glabri verba sunt sequentia: *Contigit igitur ipso in tempore, ut idem Imperator suggerente tam ipso Pontifice quam aliis quibuscunque zelum profectus religionis domus Dei gerentibus, quosque in beati Pauli Ecclesia nomine tenus Monachos, cæterum prave dependentes, inde expellere deberet, ac alterius instituti (quos videlicet Canonicos dicimus) in eodem loco servituros, ut ei suggestum fuerat, substituturus esset. Cùmque hoc appeteres implere decretum, apparuit ei noctu per visum beatissimus Apostolus Paulus, atque eundem Imperatorem hujusmodi monere curavit: si verè, inquit, zelus divinae servitutis optimi Operis te adurit, vide, ne hujus propositi institutum præsumas in Monachis immutare expellendus; non enim omnino expedit cuiusque Ecclesiastici Ordinis, quantumvis ex parte depravati, propositum unquam abjici seu mutari; in eo namque unusquisque judicandus est ordine, in quo se frimtus vocat DEO servire; recommendari tantum licet corrupto cuique in eadem propria vocationis sorte. Taliter quippe monitus Imperator retulit suis, quæ audierat ab Apostolo, curamque agens, qualiter eorum institutum curvisset in melius reformare, non expellere à loco, licet immutare. Ita apud Baronium Glaber; verùm utinam istud Divi Pauli monitum etiam aliquando alii Principes sibi dictum putassent!*

Gosbertus Tegernseensis Abbas familiaris Gotescalci Episcopi. N. 1117. S. 1. 3. 3. Tit. 1. 4.

In inclyto Tegernseensi Monasterio eo tempore floruit Gosbertus Abbas, genere nobilis, è Ratisbonensi Divi Emmerami Monasterio illuc accitus, cujus tres epistolæ ad Gotescalcum Episcopum nostrum datas in Parte altera exhibemus, è quibus intelligimus, præcipuam inter Episcopum & Abbatem familiaritatem coaluisse. Annedimus aliam Tegernseensium epistolam ad Cathedrale Col-

Col-

Collegium Frisingense datam, quibus ii mortem ejusdem Gosberti Abbatis Frisingensibus nunciavere.

§. III.

Status Ecclesie, Imperii, & Frisingæ usque ad annum Christi MII.

Anno Christi 997. vitam & merita Apostolica glorioso fine clausit magnus ille & Sanctus Hungarorum, Bohemorum, & Polonorum Apostolus Adalbertus, ex Ordinis nostri Monacho Magdeburgensi Pragensium Pontifex. Obitus Sancti Polonorum Apostoli Adalberti. Is cum S. Stephanum, primum postea Hungarorum Regem, sacris baptismi undis expiasset, innumeras per illud, aliisque regna Basilicas construxisset, ac inter sudores Apostolicos in Prussiam usque excurrisset, à paganis interceptus, hastisque confossus est Duce cohortis Sigone idolorum Sacerdote, qui velut ex officio primos ictus in virum sanctum vibravit, quem alii subsecuti sunt. Passus est ipsa die, qua Christus olim pro hominibus cruci immori voluit. Ejus Martyrio comperito Dux Poloniæ Boleslaus corpus ejus dato pretio à barbaris mercatus, in patriam suam transtulit, & Gnesnæ honorificè condidit multis prodigiis illustratum. Ibi Otto III. ejus sepulchrum nudis pedibus adivit, & in ejus honorem Ecclesiam illam in consulto Metropolitanò, crexit in Archiepiscopalem, cui Gaudentium Monachum, Martyris fratrem, imposuit patrio nomine Kadinum à Ditmaro appellatum. Hæc apud Mabillonium, Bucelinum, & alios legimus. Porro in Pragensi Ecclesia S. Adalberto ab Ortone III. suffectus est Thietdagus Monachus Corbejæ novæ, à Willigiso Moguntino Archiepiscopo consecratus, uti toties laudatus Mabillonius habet.

Sequenti anno, Christi 998. sanctus Odilo noster, Cluniacensis Abbas, Confirmatio fidelium defunctorum institutio. annuam Commemorationem omnium fidelium defunctorum secundo die Novembris in suis Monasteriis celebrandum instituit, id quod postea à Romano Pontifice ubique locorum ea ipsa die servandum sacra lege sancitum est, uti Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum observat. Postero anno, Christi 999. beatus Gregorius noster, eo nomine Quintus Summus Pontifex, de Romano Imperio, patria Germania, Hungaria irem, Polonia & Ecclesia universa longè meritisissimus, è vivis discessit: cui ad votum Ottonis III. Imperatoris in Romana Sede successit Gerbertus, ex Monacho Benedictino Floriacensi primum Remensis, postea Ravennas, demùm Romanus Pontifex factus; unde hoc Hexametron, quamvis ex ævi sui more parùm castigatum, reliquit:

Scandit ab R. Gerbertus ab R. pōst Papa viget R.

Quo tres illas, quibus præfuit, sacras Sedes denotavit, nempe Remensem, Ravennatem, ac demùm Romanam. Porro Gerbertus noster in Romano suo Pontificatu Sylvester II. appellari voluit. Eidem in Sede Ravennate Otto III. succedit Leonem, Abbatem Ordinis nostri Nonantulanum.

Ad subsequenter annum, Christi millesimum, notat Batonius, aliisque Hungaricis Scriptores, Sylvestrum nostrum, Romanum Pontificem, quam Poloniæ Duci coronam pataverat, S. Stephano, Geisæ, Hungarorum Ducis, filio, jussu Numinis misisse, primùmque gentis suæ Regem renunciâsse. Mabillonius rem diffusius narrando, refert, Stephanum misisse legationem ad Romanum Pontificem, ut Episcopatus illius gentis, ab ipso recens erecti, confirmarentur, & regium nomen ipsi tribueretur. Functum esse eo legati munere Astricum, Sancti Martini Breunoviensem (in Bobemia) Abbatem, tunc creatum Colocensem Episcopum, mutato nomine Anastasium dictum, qui piissimi Ducis res gerens S. Stephano coronam missus.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

B b 2

sta

itas ex ordine referens, à Sede Apostolica coronam Regni petierit, dignum esse Ducem eo honore probans, quippe qui Divina fretus ope non modo populos illos subjugasset, sed etiam multos infideles ad Christum converteret. His mirè ex hilaratum Pootificem postulatis libenter annuissè, Regémque Sceplianum dixisse cum ea prærogativa, ut ante eum Crux, ceu Apostolatus insigne, gestaretur. Reverso Anastasio Scephanum Regem coronatum fuisse, móxque edictum cum Episcopis & Regni primoribus promulgasse, quo & singulis vitiis congrua remedia parata fuerint, & Ecclesiastica disciplina Ordo sancitus. Hæc iterum Mabillonius, qui addit, ea ipsa tempestate Sebastianum, ex Monacho S. Marini Strigooieosum Archiepiscopum creatum fuisse.

Alii vicinarum gentium Apostoli.

Eodem anno Bonifacius Monasterii S. Alexii Romæ Monachus in Archiepiscopum à Sylvestro Pootifice consecratus novus ad Prussos Apostolus venit, qui admirabili sacritate, prædicatione & miraculis provinciam mirè excoluit, ac demùm sanguine suo rigavit. Eodem itidem anno duo è S. Romualdi nostri Sodalibus, Joannes scilicet ac Benedictus ad Polonos missi Evangelii præcones, deinceps à parricidis oecati, miraculis claruere: uti rursus in Ansalibus habet Mabillonius noster.

Obit Otto III. Imp.

Sequenti anno, Christi 1001. Sanctus Romualdus Octoii Imperatori consilium suggestit, ut depositâ purpurâ Monachum indueret; quod Imperator spopoodit; sed dilatioe Monachatum vicamque perdidit, proximò anodè 3. Kal. Febr. morte sublatu; verùm nunc in Bojariam redeundum est.

S. Gotthardus Abbas Tegerns. accusatur Gotescalco Episcopo. Et ab eo reprehenditur.

Effulsit eo ipso anno in hac Frisingensi Diocesi è nostris iostigni sanctitatis fama S. Gotthardus, Monasterii inferioris Altabæ primùm Monachus & Abbas, nec non, jussu Principum, Monasteriorum Hersfeldensis, Tegernseensis, & Cremifanensis Reformatore egregius. Hic cum ad Tegerseenses venisset, & ab iis ceu Abbas equidem acceptatus fuisset, paulò post Gotescalco Episcopo variè accusatus est. Objiciebat itaque datis literis Gotescalco Gotthardo, quòd is alienorū iocubaret provinciarū, & in ovile Domini non per liberæ electionis ostium, sed aliunde irrupisset, ac contra decreta canonum plures Abbacias sibi usurparet. Gotescalci animum utique incenderant ipsi Tegernseenses Monachi, causati, Gotthardum contra loci Privilegia sibi io Abbatem fuisse obtrusum; ita illi quidem: ast re ipsa exactior disciplina Gotthardi gravis iisdem acciderat. Vir Sanctus visis, quas ea super re Gotescalco seu Theodulū Episcopus scripserat, literis, inter cætera hunc in modum modestissimè respondit: *Si in unius tam nefaria criminationis causa me unquam reprehenderet propria conscientia, quam precundo vultu, quamque penitenti animo mea sponte voluissim me sequestrare à totius Christianitatis communione!* & infra. *Quod me furtive in Ovile Domini dicitis irrupisse, testis est fidelis curia, populisque Christiani innumera agmina, quia nihil de vestra potestatis vel alicujus alterius subjectione mihi vindicare presumpsi: nisi quod de potestativa manu Summi Principis hodie (non fateor, utrum vellem an nollem) suscepi. Hujusmodi prohibitionem obedientiæ in Regula conscriptam vix Benedicte non invenio, quamvis sæpe sapius hinc inde detrita sit præ manibus nostris.* Hæc Gotescalco S. Gotthardus, & verè. Neque enim deerant plura exempla sanctorum Abbatum, quibus plurimum Monasteriorum cura ac reformatio, ubi res postulaverat, commissa fuit ab Imperatoribus; neque ejusmodi dispositioni obstat S. Regula, quæ reformationem exoptat, modum verò iis, quorum interest, oon præscribit. Porrò Gotthardo cum Tegernseensibus non benè convenisse, atque inde Moasterio illi quamdam diffamationis maculam accessisse, dictimus ex aliqua

Rescribit Episcopo.

N. 1113. §. 1.

excusatoria Tegernseensium epistola ad Gotescalcum Episcopum exarata, quam in parte altera cum Lectore communicamus.

Abi è Monasterio Tegerns.

Gotthardus cum eum io modum nonnisi annum unum ac menses duos apud Tegernseenses fuisset demoratus, inde abscessit, demùm factus Episcopus Hil-

Hildesheimensis verè Sanctissimus; ut suo loco monachimus. De his tum in Chronico Tegernseensi à P. Bernardo Pezio edito, tum apud Mabillonium in Annalibus fufius agitur.

Circa idem tempus Fromundus Tegernseensis Monachus & Portarius scripsit Gotescalco Episcopo, rogans, ut prædones Monasterii coerceret, ne pauperes ex hac fraude inopiam paterentur, quibus ex decimatione rerum suarum elemosyna conferbatur. Eas preces à Gotescalco fuisse exauditas, non est, cur in dubium revocemus. Interim si benè rem accipio, colligimus, decimam certorum proveniunt Monasterii Tegernseensis partem eo tempore fuisse solitam dari pauperibus: quod idem posteris temporibus in Monasterio quoque Benedictoburano, post ejus instaurationem fuisse observatum, in vetustis annuorum censuum Codicibus disertè ac sæpius annotatum deprehendimus.

Porro discendente S. Gotthardo ab Henrico Bojariz Duce intrusus est alius, dictus Eberhardus de Cella. *Hinc*, ut subditur in Chronico, *fratres majores perturbacione gravabantur, quia miserum est (ut ibi ait Chronographus) ubi ignota persona dominus eligitur: miserius verò, ubi invito imperandis imponitur. Solatium subiectionis, & servitutis subiectis esse videtur, si ipsi sibi dominum eligant, eò quòd fiat benignior, si sponte potestas deseratur: immittitur si vi occupetur.* Hæc ibi. Aliquam prædicti Abbatis epistolam, quam is ad Gotescalcum Episcopum misit, in Altera Parte recitamus. Sanè Eberhardus fortè non integro biennio Tegernseensibus præfuit, ac postea anno 1003. successorem habuit è Tegernseensi gremio Peringerum, cujus iterum epistola quædam ad Gotescalcum Episcopum extat, & à nobis inrer cætera ejus ævi monumenta reponitur.

P. A. P. A. A. anal. T. 3. part. 3. Mabli. in anal. ib. 52. n. 71. Op. 72. circa Mabli. T. 4. pag. 450. Mabli. T. 4. Part. Anal. pag. 319. P. A. Part. Ab. N. 1113. §. 2. Decima pars redituum in eo Monasterio erat destinata pauperibus. Un etiam in Benedictoburano, Alus Abbas Tegernseensis verus obtrusit.

N. 1113. §. 6. N. 1113. §. 7.

§. IV.

Donationes Frisingensi Ecclesie factæ à S. Henrico Imperatore, sub Gotescalco Episcopo.

Ottone III. Imperatore quocunque demùm mortis genere (de quo Scriptores variant) terris ereptò, cùm ejus funus per Italiam ductum, in Boariam esset delatum, Henricus Dux noster, unà cum Episcopis atque Comitibus Bojariz, Pollingæ occurrit, neque contentus communi pietatis officio, etiam humeros cadaveri subiecit: qua modestia sibi mirum in modum procerum studia demeruit, uti Adelzreiterus memorat. Viscera deinceps Imperatoris Augustæ Vindelicorum in Divæ Afræ Basilica propè Divi Udalrici conditorium decentissimè fuere sepulta: reliquum cadaver Aquisgrani tumulum accepit.

Germaniæ Principes vivente adhuc Ottone defectionem moliti fuerant, & ad eam etiam Henricum trahere studuerant, at in cassum. Henricus enim, paterni moniti memor, nihil adversùs Imperatorem committere certus erat. Interea vacante Regali Solio, cùm non deessent acerrimi rivales Imperii Germanici, tandem unanimi propemodùm Principum suffragio Henricus, Dux noster, à fracto crure vulgò *claudus* dictus, Moguntiz Rex fuit salutat. Inter Episcopos Bojariz ac alios electioni aderat etiam Gotescalcus noster, ut Adelboldus, ex Monacho Ordinis nostri Trajectensis Episcopus, & Annales Paderbornenses ad annum Christi 1002. tradunt, aliique scribunt. Regni coronam Henrico Willigifus Moguntinus Archiepiscopus imposuit. Hic est ille Willigifus, qui, cùm Patre paupere carpentario natus, ad Archiepiscopalem postea dignitatem evectus esset, Rotam sibi in insignia delegit, quibus natalium suorum admoneretur. Cùmque ea insignia passim parietibus appingi ac insculpi jussisset, versum illum adscripsit:

Henricus, Bojariz Dux, in Regem eligat.

Willigifus Archiepiscopus Moguntinus.

Willigifus recolas, quis es, & unde venis.

In Chronico Mellicensi, quod nuper edidit Vir clar. P. Hieronymus Pezius, vulgari idiomate sic habetur :

Willihiß Willihiß /
Gedenht / von wannen du komen sist.

Ea insignia successores Archiepiscopi non erubuere sibi retinere, & in nostra usque tempora monetis suis insculpere non dedignantur. Interea animadvertet Lector eos, qui ad Episcopatus eo tempore promovendi erant, non alia nobilitate, quam virtutis indiguisse, majusque pretium virtuti, quam sanguini possum fuisse. Certè uti nobilitas cum virtute est nobilissima, ita sine virtute ignobilis est. Porrò Henricus Rex Chunegunde sibi in uxorem virginem assumpta, variâ fortunâ eo adhuc anno, in præliis usus, Ratisbonam venit, ubi Gotscalco nostro in præmium fidei ac laborum gratò sanè animò sequentem donationem fecit.

S. Henrici in
Ecclesiam
Frisingensem
liberalitas.

Locus in Car-
niola.

IN nomine Sancta & individua Trinitatis. *Henricus divina favente Clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri presentes scilicet & futuri, qualiter nos ob interventum dilectæ nostræ conjugis Chunigunde Regine, fidelisque nostri Gotscalci Frisingensis Ecclesie Antistitis quoddam pradium Strassla vocatum, & quidquid, intra tres fluvios Libniza, Sabum, Zouara, in regione Carniola, & in comitatu Waltilonis comitis, nostri juris situm est, super præmium Sancte Marie semper Virginis, Sanctique Corbiniani ibidem Frisinge corporaliter quiescentis in proprium donavimus cum omnibus ad idem pradium pertinentibus, edificiis, mancipiis, agris, pratiis, silvis, piscuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, exitibus & redditibus, Zidalvveiden, foresto, decimis, vineis, vinetis, venationibus, viis & invisiis, cultis & incultis, quasitis & inquirendis, & cum omnibus appenditiis, eo tenore, ut prædicta nostra Regalia traditio eidem Prasuli Gotscalco, & post illius vitam terminum Frisingensis Ecclesie Canoniciis pro remedio animæ nostræ, parentum nostrorum absque omnium contradictione mortalium in perpetuum deservias. Jussimus quoque inde hoc præceptum conscribi, & ut hoc firmiter stabiliusque permaneat in futurum, manu propria subitis firmavimus. Signum Domini Henrici invictissimi Regis. Egilbertus Cancellarius in vice Willigisi Archiepiscopi Cancellarii. Data VIII. K. Decembris anno Dominice incarnationis MIII. Indict. I. Anno vero Henrici invictissimi Regis I. Actum Radisbone.*

Pontificum
Successio.

Sequens annus, Christi 1003. Sylvestro nostro, eo nomine secundo Romano Pontifici ultimus fuit, cui Joannes XVII. & post aliquot menses Joannes XVIII. successere.

Novæ dona-
tiones S. Hen-
rici Imp.

Ardua sanè imperii initia sensit Henricus Imperator, veluti passim Scriptores tum domestici, tum extranei referunt, pluribus Principibus ab eo deficientibus. Nihilominus in Ecclesiam Frisingensem beneficus esse non destitit; id demonstramus duplici diplomate, año 1003. 5. Id. Septembris Babenbergæ dato. Primum hæc habet:

IN nomine Sancta & individua Trinitatis *Henricus divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus & futuris, qualiter nos interveniente dilectissima nobis conjugæ & regnarum consorte Chunigunda venerabili Frisingensis Ecclesie Prasuli Gotscalco suppliciter postulanti & digne petenti per hoc Regia Majestatis insigne concessimus ires nostra proprietatis villas, id est, imprimis Heringa, qua sita est juxta flumen Drubenaba, quicquid Mengoz in ministerio ibi visus est obtinere cum Scaralorva. Besinga quoque excepta Rappertorva cum vico Fridinga & omnibus earundem villarum justis*

Et legalibus pertinentiis mobilibus & immobilibus sive in Norzgarve sub Uscalei comitatu, sive in Donachgarve sub defensione Rouperii Comitis sitis, servisque & ancillis, arcis, edificiis, pratis, pascuis, sive compascuis, silvis, aquie aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & invias, exitibus & reditibus, questis & inquirendis & omnibus iuste legis utensilibus redditibus & ut prescriptum appenditiis eo tenore & perpetua firmitate convenientia quamimus Præsul Godefridus easdem prescriptas villas & earum utilitates omnibus diebus vite sue usufructuario possidende servatur & teneat. Post obitum vero illius Vito Deo servitium cum omni integritate & equa divisione redeant, eo ordine, si aliquis presati Præsul Godefridi successor, quod futurum non credimus, prenominatas villas in suos usus sine iusta & eisdem predictis fratribus placita redemptione & convenientia temptaverit avertere, nostris heredibus statim revertantur & serviant. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis & incorrupta permaneat, hæc nostri præcepti paginam manu propria roborantes nostre imaginis sigillo imprimi iussimus. Signum domni Hainrici Regis invictissimi; Eoibertus Cancellarius vice Willigisi Archicapellani recognovi.

Frates in
Wichenste-
phane, &
s. Vujo.

Data V. Idus Sept. anno dominice Incarnationis M. III. Indi. I. Anno vero domni Hainrici secundi Regis II. Actum Babenberge feliciter Amen.

Alterum Præceptum continet commutationem quamdam, Frisingensi Ecclesie perquam utilem, & est tenoris sequentis.

IN nomine &c. Hainricus Divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus & futuris, qualiter nos per interventum venerandi Frisingensis Ecclesie Godefridus quandam cum eo concambii firmitatem fecimus, & litteris ob memoriam mandari iussimus. Tradidit igitur presatus Episcopus Godefridus, & nobis secundum legem Alemannorum firmiter legavit iure perpetuo quamdam sua Ecclesie Cortem in Alamannia, pago Duria, & in Comitatu Mangoldi Comitis sitam nomine Narva cum omnibus utilitatibus, appenditiis, Mancipiis, & pertinentiis suis, quoquo modo vocari sive inveniri possint sine sua suorumque Successorum molestia aliqua retinendam, & lege proprietatis pro nostro libitu possidendam. Econtra sicut presatus Episcopus postulavit pro Compendio suo, & loci vicinitate quasdam nostra proprietatis villas juxta sturvinum Regimo sitas sibi, sua Ecclesie, suisque Successoribus tradidimus, & per hoc Regale præceptum confirmari perpetuo iussimus. Idem Rotega totam, quidquid Meringoz ibi in ministerio visus est obtinere, excepta una forestarii hoba, quam olim Rudalbertus possedit, addentes eidem villa sitam nomine Utinhardt, Tiechelinga quoque totam excepta hoba propria Meringoz, quomodo eam sibi tempore Ducatus nostri tradidimus. Circinga etiam totam cum reliquis earundem villarum legalibus pertinentiis & utilitatibus mobilibus, & immobilibus, servis & ancillis, arcis, edificiis, terris cultis & incultis, pratis pascuis communibus, silvis, aquis, aquarumque decursibus, Molendinis, piscationibus, viis & invias, exitibus & reditibus, questis & inquirendis, seu omnibus legalibus pertinentiis eo tenore, quatenus presatus Episcopus Godefridus, sui successores quoque pro utilitate sua & Ecclesie sue necessitate quidquid inde voluerint, libere faciant. Et ut hæc nostra traditio stabilis & incorrupta permaneat, hæc nostri Præcepti paginam manu propria roborantes sigillo nostra imaginis imprimi iussimus.

Rona in Sew
via.

Sigillum est
Latium.

Signum Domini Henrici Regis invictissimi.



Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data V Id. Sept. anno Dominica Incarnationis MIII. Indictione I. Anno vero Domini Henrici secundi Regni II. Babenberge. feliciter. Amen.

Observatio-
nes ex pri-
mis 2. In-
strumentis.

Ex supra adducto Donationis instrumento ad oculos apparet, jam eo tem-
pore non solum Weihenstephanensem, verum etiam Divi Viti montem à fratri-
bus fuisse inhabitatum, cum in utrumque Henricus fuerit liberalis. In utro-
que autem instrumento reperitur Egilbertus Henrici Regis Cancellarius, qui alius
non est, nisi Gotescalci in Episcopatu Frisingensi Successor: de quo suo loco.

§. V.

Acta Imperii, & Gotescalci Episcopi annis 1004. & 1005.

Bohemiae Status.

INTER Cæteros Impetū Principes, qui turbas adversus Henricum novum Re-
gem, electumque Imperatorem moverant, etiam Hezilo Comes erat, sive
Francus natione, sive undecunq; productus, ut Brunnerus inquitur, qui
ab Henrico Principatum à jure flagitabat. Is, ut latè persequitur laudatus
Scriptor, spe sua dejectus, tandem Polono, aliisque in suas partes concitatis,
in caput Regis conjuravit. Prolixior turbarum materia est, quam ut hic locum
inveniat. Perduellin alium finem non habuit, quam ut Hezilo demum ab
Henrico bello peteretur, ac provinciâ, fortunisque omnibus exutus, in custo-
diam arcis Wigentstainianæ compingeretur. Henricus Rex ea tempestate Hen-
ricum Mosellanum, Chunegundis Augustæ fratrem Bojii Principem dederat:
ac paulò post Hardwigo Tyrannum profligato Rex Italiam coronatus fuerat: quo
facto in Bohemiam movens, fugam incubatore Bnleslan legitimum Principem
Jaromicum Provinciæ dedit. Erat tunc iterum in Comitatu Regis Gotescalcus
noster, qui in Natali Deiparæ Sacris solenniter operari, ac prin concione dice-
re à Rege jussus fuerat, Pragensi Episcopo ultra assentiente. Paruit Episcopus
noster, ac finita Evangelii lectione ad Regem, Proceres, populumque conver-
sus, sermonem gravissimum instituit, cujus summa Capita Ditmarus noster an-
notavit. Exordium itaque sumpsit à præcipuis Christiani hominis officis, quæ
quisque Deo, Majoribus, proximoque deberet. Tum ad Regem amantes
conversus, eum comminuit, ut expenderet, quantis tum honorum, tum
fortunarum ac victuarum gratiis Cœli Munere ab infantia cumularus fuisset,
quantisque Divinæ Largitati, non meritis suis, gratias deberet? subdidit, tan-
tis Divinæ Misericordiiæ cumulis respondere Regem aptius non posse, quam si
& ipse erga subditos clemens, ac misericors esset, offensisque petentibus con-
donalet. Demum propius ad propositum, quod hætenus celaverat, progres-
sus, Te, inquit ad Regem, *obtestor per nomen & amorem ejus, qui suo debito-*

Gotescalcus
in Comitatu
S. Henrici
Regis.

Præter
concione
dicit.

vi decem milia talentorum, id est, Judæis recutiis * suorum transgressionem * Natiya circumfissa
 preceptorum indulgis, Henrici (nempe Hezilonis) quondam Marchionis, nunc
 autem, ut spero, verè penitentis, senior charissime, miserearis, vincula sol-
 vas, & gratiam dones, ut eò libertori animo hodie Dominum interpelles, di-
 mittle nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris &c.
 Et ea quidem Oratio, cùm Episcopus noster verbis etiam lacrymas misceret, per-
 movit Regem, ut Hezilonem ad vota Præfatis, atque applausum totius populi
 libertati restitueret: quod factum expendens Baronius Henricum maximè pium,
 atque Gotescalcum Episcopum tanto munere dignum, imò etiam sanctum ap-
 pellare non dubitavit.

Cæterùm Rex hoc eodem anno Christi 1005, congregato Tremonienfi
 Concilio totus in eo fuit, ac magna instantia apud Episcopos laboravit, ut collapsa
 Ecclesia disciplina reformaretur. Præfiterunt illud Sacri Præsules pro viribus
 diligentissime, communique consensu ediderunt Canones, quibus Sanctissima Le-
 ges Ecclesiastica in pristinum usum revocarentur, pravique mores, qui in cle-
 rum ac populum irrepserant, exularent, & corrigerentur. Quibus statutis
 Rex sibi Deum propitiùm conciliavit, viamque ad victorias consequendas, &
 Romanum Imperium obtinendum aperuit. Celebrerrimè illius Concilii acta plane
 interierunt: Exordium duntaxat apud Dithmarum descriptum reperitur tale:
 Anno Dominicæ Incarnationis MV. anno autem Domini Henrici secundi re-
 gnantis quarto (inchoato) in die Nonarum Julii, reliqua desunt; ita Harduinus
 in Actis Conciliorum. Interfuisse Synodo illi Gotescalcum, nemo negabit, qui
 perpendit, quanto in pretio Sancto Regi Episcopus fuerit, maximè cùm di-
 cta Synodus factum Pragenfe paulò antè præcesserit, & aliàs Antistes noster in
 Comitatu Cæsaris plerumque moratus fuerit.

§. VI.

Acta Frisingensia incertorum annorum sub Gotescalco
 Episcopo, Ejusque Mors.

Ratoldi, Nobilis Presbyteri & Ecclesiæ Frisingensis Custodis, atque ædici
 liberalitatem in eandem Ecclesiam supra in Actis Abrahami Episcopi jam-
 jam laudare cepimus, & hoc loco ulterius commendaturos esse adpro-
 missimus. Fecit ille donationem tertiam sub Gotescalco Episcopo, quam ut
 hisce plenam inseramus, variis rationum momentis adducitur, uti prudens
 ac eruditus Lector judicabit; verba instrumenti hæc sunt:

IN nomine Summae Deitatis ego Ratoldus Presbyter indignus, atque Ecclesiæ
 Frisingensis Aedituus, omnibus Christi Cultoribus notum esse cupio, qualiter
 ob spem æterna hereditatis pro mea parvitas portione ad tabernaculum Dei
 quadam de rebus meis offerre studui, atque exinde pro remedio animæ meæ Lau-
 des Divinas amplificare omni intentione proposui. Tradidit enim per manum Ad-
 vocati, nec non Germani mei Dietrici in urbe Frisinga, cum Consilio Domini mei
 Gotescalchi, ejusdem loci spectatissimi Episcopi, hæc illiusque suorum, nobilium
 scilicet, atque ignobilium personarum, presentibus etiam quampulcherrimis, consen-
 sentibusque consanguineis meis, quidquid proprietatis jure legitimo habui &
 possedi in villa Zollinga nuncupata, id est, omne, quod acquisivi & accepi de
 quadam femina nobili Luitvivi dicta, ac si quid cum pradio meo temporibus A-
 braha felicis memoria Episcopi ab eo in proprium ibi commutavi. Illud verò to-
 tum atque integrum, ut supra assignatum est, tradidit, statimque restitui in al-
 tare S. Benedicti, ea videlicet ratione, ut post vitæ meæ terminum Presbyter
 Andricus, eidem altari fideliter jam deserviens, universam, quidquid illud est,
 R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Cc totum.

totamque rerum earundem usucapionem ad usque vitæ suæ etiam excessum firmiter teneat, & absque omnium contradictione possideat. Post obitum igitur Presbyteri prælati placuit duos agnatos meos, quorum alter Jacob, alter Tagini cognominatur, eidem substituere traditioni, illa quippe lege, ut alter à duobus Jacob consanguinitatis quoque jure mihi propinquior, idipsum totum haberet, quando ad Presbyterii dignitatem perveniret, si ejusdem loci Episcopo deservire, atque in fratrum Congregatione Regule Canonica obedire, nec non altaris ejusdem Ministerium in curam propriam suscipere voluisset. Eandem quoque rationem Topinino per omnia observandam post istum, sive cum supervixerit, sive præscriptis obtemperare nolentem præoccupaverit, deservi. Quodsi tali conditione satisfacere ambo recusaverint, in Episcopi, fratrumque sit arbitrio, ut de fratribus unum eligant, cui Episcopus cum ipsorum Consilio curam Altaris cum prædictis rebus commendet. Ac ne hoc temere ab aliquo posset dissolvi, hanc Chartam exinde conscribi feci, testisque, per aures, ut moris est, tractos subscribendi, quorum sunt nomina Udalschalh Comes, Tagini, item Udalschalh, Pezili, Aripo, Arnia, Udabrib, Dietrib.

Existimamus, hunc esse ipsissimum Ratoldum, de quo in pervetusto Rotulo Benedictoburano, statim post annum Christi 1052. conscripto, ad tempus Gotschalci Episcopi hæc ponuntur: *Huic* (intellige Reginberto I. Monasterii Benedictoburani, post devastacionem dato Rectori, atque Sæcularium Clericorum Magistro, anno Christi 997. Kal. Oct. emortuo) *successit Ratoldus ex Frisingensi Castello* (nempe urbe) *natus nobili genere & honesta familia: qui dum in cæssu pedum careret, orando & bonis operibus insistendo obtinuit, ut gressum reciperet. Unde Deum in Sancto Benedicto magnificans, Ecclesias Sanctæ Mariæ, & S. Laurentii, quæ sunt in Cœmeterio, condidit, prædica, quæ habuit, contulit, Firholzen & Minsing Sanctæ Mariæ; Wachreim, pro gratiarum actione S. Benedicto, addidit & quadam mobilia non minus necessaria, Sarcophagum argenteum, scrinioium cum reliquiis deauratum, capsas & cruces, thuribulum, librum Missalem, & plura alia; addit in fine, eum obiisse Frisingæ. Annus obitus in veteri illa Membrana non designatur. Antonius tamen Funda, Chronographus Benedictoburanus, qui scripsit anno Christi 1504. mortem Ratoldi ponit ad annum Christi 1009. Quæ omnia cum optimè convenient, nescio, an in dubium trahi possit, Ratoldum Frisingensem, & Benedictoburanum fuisse omnino unam, eandemque personam: id quod adhuc magis firmatur ex eo, quòd, eodem Rotulo teste, in Monasterio Benedictoburano Ratoldo successerit Tagino Presbyter nobilis, quem omnino credimus esse eum, de quo ceu agnato suo Ratoldus in recitato Instrumento Donationis semel iterumque mentionem ingerit.*

Hic obiter monendum esse Lectorem censemus, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Cœmeterio Benedictoburano à Ratoldo Frisingensi constructam, aliam non esse, quàm Ecclesiam ejus loci hodie Parochialem. Sanè Ecclesia S. Laurentii in eodem Cœmeterio erat ab utraque, nempe tum primaria, Sancto Benedicto dicata, tum altera, Beatissimæ Deiparæ sacra, planè diversâ, cui posteris annis accrevit Monasterium Monialium, sed quod sæculò Christi decimo quartò rursus defecit: quod idem in pluribus vicinis virorum Monasteriis, quibus adjuncti erant sacri Parthenones, propter nimias exactiones Principum & Advocatorum, accidit, uti in Metropoli Hundii, & Actis Monasterii Pollingani videre est, verum ista incidenter.

Cæterùm ex antiquis membranis hæcenus relatis luculenter constat, cultum arisque Sancti Patris Benedicti neque Frisingæ, neque in Benedictoburano Monasterio unquam defecisse, quamquam circa observantiam Regule ejusdem S. Benedicti mutatio quædam utrobique incidit. Singulariter in Instrumento Ratoldi notamus, circa initium undecimi sæculi Christiani in Frisingensi pri-

Ratoldus ille
Benedictobu-
ranus erat
natus.

Et Divo Be-
nedicto de-
votus.

Tom. 7. pag.
114.

Cultus S. Be-
nedicti Fri-
singæ, & ali-
bi continua-
tus.

maria Ecclesia fuisse observatam *Regulam Canonicam*, & fortè vitam aliquo modo communem. Sanè an nomine *Regula Canonica* intelligenda veniat *Regula S. Augustini*, post medium sæculum undecimum passim celebrata, eruditè diducandum relinquimus. Interim nobis verò quàm simillimum videtur, eam vitam ex decreto Laudati Concilii Tremonienfis fuisse observatam: nisi dicere malis, illam Regulam aliam non fuisse, quàm eam, quæ in Aquisgranensi Concilio sub Ludovico Pio ex SS. Patribus concinnata fuit, ut suo loco diximus.

Juvar hic è Chronico Monasterii Staffelseensis, tempore Hungaricarum irruptionum excisi, aut potiùs ex compendiosa descriptione fundationis Monasterii Benedicturani referre, quod sub Gotescalco Episcopo inter Clericos Benedicturanos, atque Schleichdorffenses accidit. Adducimus ipsa Codicis, in inclyto Monasterio Ertalensi asservati verba: cui Codices Benedicturani, tametsi aliàs diffusiores, omninò consonant:

Nota, qualiter S. Tertulimus fuerat furatus à quodam de Burn, & qualiter fuerat reductus in Schleichdorffense Monasterium à Confratribus ibidem.

De Reliquiis
S. Tertulini.

Reginbertus Abbas (Presbyter secularis, & Magister Clericorum secularium, qui circa finem sæculi decimi, & initium undecimi Monasterium Benedicturatum incolebant) ex familia S. Benedicti studuit, quidquid boni potuit, ejusque tempore amplificatus est Clerus S. Benedicti, quem ipse nutritus. Uxorem namque habuit ex familia S. Tertulini Martyris, nempe Schleichdorffensem. Ex ea filium genuit, literisque imbui fecit, nomine Adalberonem. Qui cum vir factus esset, corpis magis amare Canobium S. Benedicti, quàm S. Tertulini. Ex eo contigit, ut corpus illius, videlicet S. Tertulini transfunderat in Burn 9. Kal. Decembris, nescientibus Clericis S. Benedicti, neque Patre suo Domino Reginperto. Cumque cognoscebant sancti Martyris Corpus in Burenensi Canobio inventum esse, latati sunt, & interimque usque dum cogitarent, ubi illud collocarent, in Sarcophago collocabant, super Altare Sancti Benedicti ponebant. Illòque rediente in Schleichdorff ad Magistrum suum Heripertum Clerici hujus loci, scilicet Fridericus, Reginpertus cum aliis fratribus tulerunt caput & majora ossa quadam, excavato lapidi mundissimo imposuerunt, loco collocabant, nesciente Adalberone.

Post hac quoque obiit Reginpertus hujus loci, videlicet in Burn, Dominus 16. Kal. Octobris, cui successit Ratoldus ex Frising. nobilis vir: nempe de quo supra diximus. Supradictus verò Adalbero litigavit cum Sodale suo Schleichdorffense Clerico, qui dixit ad illum; tace, Adalbero, tace. Dominum S. Tertulinum habes furatum. Ex his verbis contigit, ut Adalbero tolleres ossa, quæ remanserant, portaretque in Schleichdorff Ecclesiam. Collocavit loco, quo solus, confitens peccata sua Heriperto, qui promissit illum non publicare Episcopo suo. Qui aliter faciens dixit Episcopo Gotescalco (nempe Frisingensi) furatum esse Corpus Sancti Tertulini Martyris ab Adalberone. Qui Episcopus supra dictus jussit Sarcophagum argenteum fabricare, & ossa, quæ supra dicta sunt, in eo collocare dicens, alia, quæ in Burenensi loco remanserunt, cum vi tollere. Supradictus vir Ratoldus, hujus loci, videlicet in Burenensi loco Dominus descendit ad Episcopum in Schleichdorffense Canobio dicens, se pro certo scire, nihil in Monasterio S. Benedicti esse de Reliquiis S. Tertulini Martyris. Credidit Episcopus Gotescalcus ipso; unde veniebat, ut omnes dicerent, corpus totum esse in Schleichdorffense loco S. Tertulini Martyris, & hic sanctus Tertulimus Martyr corporaliter requiescat in Schleichdorffense Canobio in Sarcophago argenteo; & hoc rei veritas est. Hæc ex Codice Ertalensi, quem rogatu nostro Clar. P. Bernardus Pezius Tomi III. *Anecdotorum Partii III.* inferuit, ac publicæ luci exposuit. Ubi inter alia notabit eruditus Lector, Reginbertum Clericorum Magi-

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Cc 2

strum

strum fuisse conjugatum: qualis etiam fuit ipfius Antecessor Richolfus, qui habuit uxorem nobilem Adelindam, ex qua 9. filias genuit. Verùm ista barbaro illo sæculo inusitata minimè erant, uti nec sæculo undecimo, uti per decursum videbimus. Illud verò sanè incredibile existimabimus, quod quidam posterorum sæculorum Scriptores parùm eruditè tradidère. Clericos illos Benedictoburaoos, eoruodèmq; Magistros fuisse Canonicos Regulares ordinis S. Augustini, eo errore decepti, quòd existimarent, omnes Clericos, io aliqua communitate viventes, fuisse Augustiniaoꝝ Regulæ, tribusque votis addictos. Certè in Codicibus Benedictoburanis æquè ac Frisingensibus decimi & undecimi sæculi (ne dicam noni aut octavi) nulla ejus Regulæ, aut S. Augustini mentio occurrit, tametsi ea persuasio postea in quosdam Benedictoburanos decimi tertii sæculi Codices irrepserit, & Aventinum ejusque sequaces seduxerit. Sanè quo tempore in Schlecdborffense Monasterium veri Canonici Regulares Ordinis S. Augustini fuerint introducti, suo loco sub Ottone I. Frisingensi Episcopo, Deo favente, dicemus.

Fecit Gotefcalcus Episcopus ooster quàm plures bonorum Ecclesiæ suæ permutationes, in quibus occurrunt nomina Advocatorum Ecclesiæ Frisingensis Udalscalcus Helmpertus, & Erchamkerus, incertum cujus familiæ viri. In quadam permutatione Mancipiorum, cum Monasterio Tegernseensi facta legimus, Advocatum ejus Monasterii fuisse Ugonem, cujus prosapiam iidem batenus ignoramus. Permutationum instrumenta in Parte altera Lectoris oculis committimus.

Ad Rom. 1114
anno 1113.
Annus obitus
Episcopi Go-
tescalci.

Conveniunt omnia Chronica Frisingensia, Gotefcalcum Episcopum terris fuisse ereptum die 6. Maji, consecutentibus Gamansii excerptis: ex quo intelligimus, annum mortis illius non potuisse esse Christi 1005. Cùm eo anno adhuc in festo Nativitatis B. M. V. Pragæ pro concione dixerit, uti ex oratione constat. Unde necessariò ejus obitus ad annum Christi 1006. differendus est. De eo Freibergerus scribit, quòd cùm suo Cathedrali Collegio legem statuerit, ne quis è Canonicis præter *Præbendam* ordinariam aliud beneficium admittat. Verùm ea lex posteris temporibus, ac maximè anno Christi 1685. sublata fuit. Gotefcalci Exuvie in Cathedrali sua Ecclesia fuere tumulo illaræ. Fundavit Gotefcalcus anniversariam sui commemorationem dato Ecclesiæ cum in finem prædico quodam in *Eyzenhofen*, uti legimus in Codice antiquo anniversariorum, in Cathedrali Ecclesia Frisingensi celebrari solitorum.

Votum Go-
tescalci Ep.
Fundatio An-
niversarii.

Meritis Go-
tescalci.

Cæterùm ex bonis in bodierna inferiori Austria Gotefcalco donatis temporum successu coaluere insignia illa duo dominia Waidhoviense, & Ulmerfeldense, quorum utrumque nobilem præfecturam habet: ut adeò perpensis maximis de Frisingensi Ecclesia meritis, arteatque etiam apud maximos Scriptores suavitatis famâ, Gotefcalcus inter præstantissimos bujus Sedis Episcopos à nobis omni jure reponatur.

Sanè cùm initia Pontificatus Gotefcalci Episcopi reposuerimus ad annum 994. finem verò ad annum Christi 1006. consequens est, ut dicamus, Gotefcalcum præfuisse Frisingensi Sedi annis serè duodecim, quanquam, (uti ingenue fatemur,) nobis disertè refragetur quartus Traditioom Frisingensium liber, qui ejus regimini años 15. assignat: quem tamen numerum idèd ægrè amplectimur, quia plura alia documenta, Catalogi, atque membranæ superius adductæ contrarium suadent. Mors itaque Gotefcalci incidit in annum Joannis XVIII. Papæ quartum, S. Henrici electi Imperatoris quintum: quo ipso tempore Salisburgensem Cathedralam tenuit Harwicus, Ratisbonensem Gebbardus I. fundator Monasterii Prüelensis propè Ratisbonam, quod postea sæculo Christi XV. Carthusiatis fuit concessum. In Pataviensi Sede supererat Episcopus Christianus, in Brixinensi, ut videtur, S. Albuious, qui ex Hundii meote primus eandem Episcopalem Sedem è Sabionensi Castro Brixinam transtulit, nisi fortè jam eo anno ejus successor Adal-

Adalbero in ea Cathedra sacra jura dispensasse dicendus sit. Sanè Sabionensem arcem in Parthenonem Benedictinum sæculo Christi primùm XVII. conversam fuisse, alibi Lectorem jam monuimus.

CAPUT V.

Egilbertus XVII. Episcopus
Frisingensis.

§. I.

Natales & Electio Egilberti Episcopi.

HUndius in Metropoli post Gotescalcum Episcopum ponit Fridericum quemdam Frisingensem Antistitem, qui ab Ottone III. Imperatore anno Christi 996. & aliis obtinuerit bona quædam Frisingensi Ecclesie. Ast si Vir eruditissimus hæc, quæ hætenus protulimus, instrumenta videre potuisset, nunquam de Friderico quodam, Gotescalci Successore, mentionem ingessisset. Instrumenta enim omnia non Fridericum, sed Gotescalcum laudant. Nescimus sanè unde hic Fridericus, in mentem Viri eruditissimi, Amplissimique venerit, & ipse fatetur, Fridericum in Chronico Frisingensi non reperiri; certumque manet, eum in Instrumentis non memorari, quod Gewoldus in additionibus ad Hundium cautè advertit. Itaque nullum nobis hic cum Friderico quodam, sed cum Egilberto negotium est.

Varia apud diversos Scriptores nomina hic Egilbertus noster obtinet. Albertum enim, Adalbertum, Agilbertum, Egilbertum, Engilbertum, Engelbertum, & Filibertum nominant. Verùm visis antiquioribus membranis, ipsaque Egilberti manu, recinendum omninò est Egilberti nomen. Is, testantibus omnibus Chronicis, & Catalogis Frisingensibus atque Weihenstephanensibus natus est ex Illustrissimo Stemmate Comitum de Mospurg. deinceps à S. Henrico Imperatore in Cancellarium assumptus, Willigisi Archicancellarij vices suppleturus. Eo officio jam anno Christi 1002. functum fuisse discimus ex Præcepto Henrici Imperatoris, quod ad dictum annum sub Gotescalco exscriptum. Recognovit etiam litteras ejusdem S. Henrici de anno 1003. quas itidem supra recitavimus. Eodem etiam anno subscripsit aliis ejusdem Imperatoris litteris, quibus possessiones S. Bavonis Gandavensis fuere confirmatæ, uti Mallinkrocius ex Miræo recenset.

De fratre Egilberti Juvene, Henrici Imperatoris domestico, refert Adalboldus noster, ipse Imperatoris quondam consiliarius, & exercitûs Dux, postea Laubienfis Monachus, ac demùm Episcopus Ultrajectensis, eum anno Christi 1002. prope Paderbornam in tumultu ab agrestibus interemptum fuisse, quæ die Sanctæ Chunegundis cum S. Henrico Rege nuptiis Urbis applaudebat. Nomen nobilitissimi adolescentis non exprimitur. Fuisse Egilbertum aliquando membrum Cathedralis Collegij Frisingensis asserere equidem non audemus: illud tamen fieri facillè potuit; nam ut supra sub Waldone diximus, Cancellarij non nisi ex sacra Religione, aut Clericorum coetu assumi solebant. Concigilla ejus promotionem anno Christi 1006. ex iis intelligitur, quæ de Gotescalci obitu supra notavimus.

§. II.

Nova S. Henrici Regis in Frisingensem Ecclesiam Munificentia: ubi etiam de fundatione Episcopatus Bambergensis.

QUAM teneris amoribus Egilbertum Episcopum S. Henricus complexus fuerit, demonstramus ex duplici donatione in ejus gratiam Frisingensi Ecclesie anno Christi 1007. eodem die facta. Instrumenta sic habent.

IN nomine Sancte, & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Omnibus Sancte Dei Ecclesia fidelibus presentibus, & futuris motum fieri volumus, qualiter nos tam pro nostra remedio anime, quam pro dilectissime Constatialis nostre, Cunigunde videlicet, Reginae petitione, nec non & familiarissimi nobis Eberhardi Cancellarii pia interventione, insuper amabilissimi nostri Egilberti Episcopi assidua obsequendi admonitione quadam nostri juris pradia Vucliza & Linta vocitata in provincia Karinthia, & in Comitatu Alberonis sita cum familiis utriusque sexus, & cum curtiseris, arcis, adificiis, terris cultis, & incultis, viis, & inviis, exitibus, quasitis, & inquirendis, rebus mobilibus, seu immobilibus, aquis, earumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, sylvis, saginis, venationibus aprorum pascuis, paludibus, alpibus, vallibus, planiciebus, omnibus rebus, jure vel legaliter ad eandem Coram respicientibus ad Ecclesiam Sancte Dei Genitricis, Sanctique Corbiniani Christi Confessoris omnium contradictione remota hac nostra auctoritatis preceptali pagina donantes proprietavimus, eo scilicet tenore, ut prelibatus Episcopus, suique Successores liberam debinc habeant potestatem, eadem antedicta pradia tenendi, possidendi, commutandi, vel quidquid sibi libeat, modis omnibus inde faciendi. Et ut hec nostra tradicionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Domini Henrici Regis invictissimi. Eberhardus Cancellarius vice Willigisi Archicapellani recognovi. Data VI. Idus Maj. Indictione V. anno Domini Incarnationis M^o II. Anno vero Domini Henrici secundi, Regni V. Actum Babenbere feliciter. Amen.

Alterum instrumentum sequentia continet.

IN nomine Sancte, & individue Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rex. Noverim omnes Christi nostrique fideles, tam futuri, quam presentes, qualiter nos pro nostra, Seniorisque nostri Ottonis Imperatoris anime consuetudine, parentumve nostrorum felici memoria, & per interventum Dilecte Coniugis nostre Cunigunde, Partenolapanique Archiepiscopi Tegenensi dilecti, ac pro indulgentia bona memorie Abraha Episcopi, in cujus laribus, eis, que Sancte Marie, Sanctique Corbiniani erant, bonis pleniter utentes paterno lenimine benigne nutriebamur, ac pro Requie pii Præfulis Cotevalci jam defuncti, atque nostrum fidelem Egilbertum Antistitem de propria quasi Camera ad tale dispendium superandum viis nostræ assiduitati subtraximus, quoddam juris nostri pradium, Chatse vulgo nominatum in provincia Karinthia situm cum familiis utriusque sexus, curtiseris, adificiis, terris cultis, & incultis, quasitis, & inquirendis, rebus mobilibus, & immobilibus, viis, inviis, exitibus, reductibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, sylvis, saginis, venationibus, Zidatveidis, alpibus, vallibus, paludibus, omnibus eisdem pradio jure, vel legaliter pertinentibus ad Ecclesiam Sancte Marie Matris Domini, ejusque Sancti Confessoris Corbiniani in proprium donavimus. Eo

Egilbertus Episcopus S. Henrico dilectissimus, accipit ab eo bona in Carinthia.

* Al. Partenopolitanique

* Al. & quia Egilberto Episcopo donantur alia bona in Carinthia.

namque tenore, ut jam dictus Egilbertus Frisingensis Episcopus, suisque Successores absque contradictione omnium nostro Dominio subditorum liberam exinde habeant potestatem tenendi, possidendi, commutandi, vel quidquid in usum Ecclesie liberit, faciendum*. Præcipientes igitur, ut nullus Dux aliquisve Comes, aut aliquam districtiorem servit, libertisque in eodem pradio habitantibus imponere jus habeat, sed Advocatus, eidem Corti ab Episcopo impositus, quidquid in eadem curte regendum, emendandumve sit, juxta leges ac instituta Majorum potestativè diffinat. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis, & inconcussa permaneat, hæc nostri præcepti conscriptam* manu propria roborantes sigilli nostri impressione consignari jussimus. Datum VI. Idus Maji. Indict. V. anno Dominice Incarnationis M^o VII. anno vero Domni Heinrichi secundi Regni V. actum Babenberch feliciter Amen.

Atque hæc sunt insignes donationes, quibus egregia illa in Catinthia bona à clementia Sancti Regis, & Reginæ itidem Sanctæ, Chunegundæ scilicet, tum suo, tum defunctorum Episcoporum Gotescalci, atque Abrahami Magno merito Egilbertus Ecclesie suæ acquisivit. Ubi in posteriori instrumento primâ notâ dignissimum est, quòd S. Henricus disertè asserat, se aliquando in laribus Abrahamæ Episcopi, & Sanctæ Mariæ, Sanctique Corbiniani paterno lenimine benigne nutritum fuisse: quæ sanè Maxima est Urbis Frisingensis, atque Abrahami Episcopi gloria, quòd scilicet aliquando foverint alumnum in terris cælisque fulgentissimè regnaturum, atque utrobisque beneficentissimum evergetam futurum.

Quinto Kal. Novembris ejusdem anni Henricus Rex Gallie, atque Germaniæ Episcopos Francofurtum evocavit, ubi de erectione novi Episcopatus communi consilio ageretur. Pijissimus Princeps Bambergam, Franconiæ Oppidum, à puero dilexerat, excoluerat, ac demùm eam etiam Uxori in dotem assignaverat: Et hinc ibidem Episcopalem Sedem erigere meditabatur. Unde Congregatos Francofurti Patres pronus in terram, ac supplex rogavit, sibi ut assensum præberent. Tantis pijissimi Principis precibus haud ægrè cessere Episcopi, præter Henricum Wirzburgensem, cujus sacre jurisdictioni Bambergam subtrahenda erat. Sed Satisfecit Henricus Rex Henrico Episcopo adjectis Wirzburgensi Ecclesie præramplis bonis, & sic tandem erectio illius Episcopatus decreta fuit. Consensit in primis Joannes XVIII. Pontifex Maximus: ac deinde quàm plures Archiepiscopi, & Episcopi, inter quos etiam Egilbertus noster subscripsit. Existat inter Codices Frisingenses M. S. Relatio Ulrici Bambergensis, in qua tota illa Historia plena manu exponitur. Sed & alii Scriptores eandem diffusè referunt, ut opus non sit hæc de re plura disserere.

Novo Episcopatu præfessè justus est Eberhardus, Episcopi nostri Egilberti in munere Regi Cancellarii Successor, qui 6. Id. Maji ejusdem anni adhuc ceu Cancellarius subscripsit Instrumento Henrici, Egilberto concessio, ut supra vidimus.

§. III.

Acta publica ab anno Christi 1008. usque 1019. delibantur.

ANNO Christi 1008. Henricus Mosellanus Bojariæ nostræ Dux ob inicam adversus Regem Henricum conspirationem proscriptioni jam jam proximus, Boicæ Opimatas juramento adegerat, ut sibi adpromitterent, se non passuros, ut intra triennium alius Dux, præter ipsum Henricum, Bojariæ præficeretur. Non poterat non offendi eo facto Rex Henricus: qui proinde Bojariæ proceres sequenti anno Ratisbonam evocavit, & ut sibi potius, quàm Duci jam jam proscripito, morem gererent, tandem quidem, sed ægrè imperavit.

*. ut faciendi

*. ut potestatem

Sunt tamen, qui suspicentur, S. Henricum non Frisingæ, sed Ratisbonæ in Aedibus Frisingensibus fuisse educatum, forè à S. Wolfinggo, ut alibi diximus.

At Consilium, ut per. L. Col. 769.

Fundat Henricus Episcopatum Bambergensem.

Henricus Boj. Dux proscribitur.

travit. Ita exautoratus Dux cum domesticis auxiliis destitueretur, ad alia confugit, vi recepturus Bojariam, nisi undique aditu hoc, & aliquot sequentibus annis fuisset exclusus.

Alia laude, atque admiratione dignissimam proscriptionem eodem anno fecit Sanctus Rex, dum Adelberonem propriæ Augustæ Conjugis fratrem, Trevirensis Sedis invasorem, inde eiecit, eique Megingrudum suffecit, majorem virtutis quam Sanguinis rationem habens; quæ de re Brunnerus agit.

Sequenti anno, Christi 1009. Joannes XVIII. terris valedixit, Sergiò IV. in thronum S. Petri subrogatò. Eodem anno Diemarus sæpè laudatus, Ordinis nostri Monachus Magdeburgensis, Neoburgi ad Danubium, Henrico Rege præfente, Tagmone Archiepiscopo Magdeburgensi, & aliis quinque Episcopis inaugurantibus, Merseburge. .sis Pontifex Salutatus est. Hic est ille Scriptor, sine cujus calamo Historia Germaniæ illius ævi tota caligaret, uti inter plures alios Scribes gratò animò Brunnerus advertit, cumque scriptis suis de Bojaria nostra optime meritum, & vel idèò benè in Bojaria Micrà decoratum pronunciat.

Sequenti anno, Christi 1010. Henricus *Rex intervenit, atque petitione Egilberti Episcopi Frisingensis Ecclesiæ* erga Monasterium Pollingianum profusissimè liberalis fuit. Instrumentum Donationis Hundius *Metropoli* suæ inseruit: quod nos in parte altera nonnihil castigatius producemus, prout videlicet Pollingà nobiscum communicatum fuit. Scribèd dictum annum Bucelinus noster, Henricum nullum in Germania cœnobium, & Ecclesiã non ornandum suscepisse, adèò, ut inexhaustam planè Sancti Regis liberalitatem nulla facis posteritas demiretur.

Ingratissimus sim mortalium, nisi hic Lectorem moneam, Sanctum hunc Regem fuisse omnium primum, qui multa prædia, Monasterio Benedictoburano, Arnolphi mali tempore erepta, eidem restituerit, & quidem ad preces Brunonis Augustani Episcopi, fratris sui germani. Ampliorem etiã ejusdem Sancti Principis liberalitatem, ac bonorum restitutionem commendant fasti Tegernseenses ad præfentes annos; ubi singulari mentione dignum videtur, quòd in chyro illi Monasterio Henricus plurima præstiterit patrocinante S. Godehardo supra laudato: qui tametsi olim Tegernseensibus parùm fuisset acceptus, nihilominus tamen ejus Monasterii curas minimè deposuit, eique non tantum ad recuperandas fortunas provenas, verùm etiã, ac maximè ad restaurandum Sacrationem disciplinæ Monasticæ cultum, saluberrimam operam impendit.

Ad annum Christi 1011. Diemarus noster refert celebratissimam illam Ecclesiæ Cathedralis Babenbergensis dedicationem his verbis. *Peracta* (id est, perfecta) *in civitate Bavenbergensi Ecclesiã Majore, cum Natalitius Regis dies esset, & tricesimus quintus jam inciperet annus* (nempe ætatis Regis) *pridie Non. Maji omnis primatus ad dedicationem istius aule ibidem Congregatus, & sponsa hæc Christi per manus Joannis Patriarchæ de Aquileia, & aliorum plus quam 30. Episcoporum dedicatur. His ego peccator interfui.* Hæc Diemarus: Cui ad stipulatur apud Pagium Marianus Scotus noster, unã cum Chronographo Wirzburgensi, qui alius, & ævò, & locò remotioribus longè sunt præferendi. Dedicatio altera, sequenti anno Bambergæ facta, non erat Ecclesiæ Majoris, sed Sancti Stephani, uti rursus egregiè Pagius docet.

De hoc Joanne vid. Ughele, in Italia Sacra T. V.

Eodem anno, Christi 1012. Sergiò IV. summo Pontifici Benedictus VIII. in Sede Divi Petri successit: qui paulò post exorta adversus se tempestate ad Henricum Regem confugit. Quo ipso tempore è præcipuo hujus Frisingensis Diocesis Monasterio Tegernseensi in SS. Udalrici, & Afræ Augustanum Cœnobium Bruno Episcopus, Regis frater, coloniam Benedictinam introduxit, Reginbaldo Monasterii S. Galli Monacho, fratribus illis (quos tamen non idcirco dixeris Presbyteratus, aut Clericatus gradu destitutos) Abbate constituto.

Proxi-

Proximò annò, Christi 1013. interventu Egilberti Episcopi nostri Sanctus Henricus Imperator Paderbornensi Ecclesiæ curtem *Homstade* dictam donat. Id contigit Babenbergæ XVIII. Kal. Februarii. Instrumentum in Parte altera exhibemus, quod ex Annalibus Paderbornensibus deprompsimus, in quibus etiam aliam donationem prædii Hammanstadiensis ejusdem Egilberti interventu eidem Ecclesiæ anno Christi 1019. factam legimus.

Egilberti Paderbornensis Episcopi. N. 1155. Id. p. 402. N. 1154.

Reperio in Actis Frisingensibus ejusdem anni 1013. formulam quamdam manumittendi servos, quam cum erudito Lectore communicare non piget. ea sic habet.

IN nomine Sancti. & individ. Trinit. Henricus divina favente Clementia Rex. *Notum sit omnibus Christi fidelibus presentibus, & futuris, qualiter nos ob interventum Marachvvardi quendam sui juris servum nomine Weranhardi, excusio de manu ejus nostra manu denario liberum fecimus, & ab omni eum servitutis jugo absolvimus. Proinde Regali nostra jubemus potentia, ut idem jam dictus Weranhardi tali deinceps libertatis lege utatur, quali ceteri manumissi habitentis sunt usi, eodem modo à Regibus, & Imperatoribus liberi facti. Et ut hæc nostræ concessionis ingenuitas stabilis, & inconvulsa permaneat, hanc Chartam inde conscriptam sigilli nostri impressione jussimus roborari. Dat. Ratisbona anno 1013. hæc in gratiam amantium antiquitatem.*

Formula manumittendi servos.

Ad cum ipsum annum scribit Vir Clar. P. Corbinianus Khamm, Imperialis Monasterii S. Udalrici Senior Venerabilis, in Hierarchia sua Augustana, Brunonem Episcopum Augustanum à Guelphone seu Guelpho, præpotenti Rhetiæ Duce, grandem castellorum, pagorum, ac ipsius Urbis Augustanz devastationem passum, suppetias sibi ferente Egilberto Frisingensi Episcopo demùm illatorum damnorum atque injuriarum compensationem obtinuisse; atque inde amplas possessiones tum Augustanz, tum Frisingensi Ecclesiæ accessisse. Verùm ista ad annum Christi 1026. rectius differuntur, uti suo locò monebimus.

Eo ipso tempore Henricus ad compescendum Italiæ tyrannum Hartvicum (alii Arduinum) in Italiam cum Germaniæ proceribus, ac valido exercitu profectus, rebûs ex animi sententia compositis, demùm unâ cum S. Chunegunda conjugæ sua coronam Imperii à Pontifice Benedicto VIII. Romæ accepit. Scribit Carolus Bartholomæus Piazza in suo *Emerologio sagro di Roma Orissiana &c.* Henricum tum ipsi Pontifici, tum cæteris Romanis auctorem fuisse, ut in festis Majoribus, finicis Evangelii verbis, Symbolum Apostolicum subjungeretur, quod antebac non fuerit usitatum Romanis, quippe qui obtenderint, Romam nunquam fuisse hæresi aliqua contaminatam, prærogativâ quadam tum Principibus Apostolorum, tum aliis innumeris Christi Martyribus Romæ passis concessâ. Verùm ea de re rectius scribit Mabillonius, qui in suis annalibus ex variis libellis de ordine Romano à se editis docet, longè ante id tempus Symbolum Nicænum in Romana Ecclesia recitatum fuisse in Missa. Qua de re Lector curiosus ipsum Mabillonium poterit consulere.

S. Henricus Imp. & Chunegunda Augusta coronati Romæ.

Id. p. 99. p. 100.

Glaber Rodulfus auctor est, Benedictum Papam Henrico Romam ingresso tradidisse aureum pomum, gemmis & aurea cruce supereminente ornatum, ut esset ei documento, sic eum debere mundo imperare, ut dignus esset Sanctæ Crucis, ipsiusque Salvatoris præsidio. Quo ille gratanter accepto, nullis, inquit, melius hoc donum congruit, quàm illis, qui calcatis Mundi pompis, Salvatoris Crucem expeditiùs sequuntur. Statimque globum illum misit ad Cluniacense Monasterium, præ aliis Cœnobiis religione florentissimum. Sunt, qui scribant, Odilonem, dicti Monasterii Abbatem pomum illud aureum statim vendidisse, & pretium in pauperes erogasse. Porrò Coronam Regiam à Pontifice sibi impostam Henricus supra aram S. Petri suspendit. Cæterum Hartvicus,

Id. ubi supra.

Paul. in anal.
Germ. ad ann.
1017.

Metell. in anal.
lib. 17. n. 43.

S. Henricus
episcopi facti
Monachus.

Spondet obe-
dientiam.

Et mox iube-
tur restituere
facies impetit.

quem Italiz coronam prenasisse diximus, circa idem tempus coronam Ordinis nostri Monasticam elegit, Monachus factus.

Idem, quod stupefascas, tentavit ipsemet S. Imperator Henricus. Ast prohibitus est à Richardo Abbate, cujus vitæ scriptor sic habet. Cùm aliquandò S. Vito ni Monasterium ingressus esset Henricus, statim hunc versiculum protulit: *hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ad hanc vocem expavit Heymo Virdunensis Episcopus, qui præfens aderat, monuitque Richardum Abbatem, ne ad Monasticam professionem Henricum admitteret, quod absque incredibili Reipublicæ damno fieri non posset. Postridie nihilominus ingressum in Capitulum Henricum, ut Monasticum habitum peteret, interrogavit Richardus, vellente fieri Monachus, ipsique in omnibus obedire? Cùmque ille se ita velle professus esset, reposuit Abbas: Volumus ergò, & præcipimus, ut ad gubernandum tibi à Deo commissum Imperium redeas. Quod ex obedientia prælitit Imperator, Magno jure deinceps Ordinis nostri illustribus viris à quibusdam adnumeratus.

Sequenci anno, Christi 1017. Henricus Cæsari reconciliatus Bojarum iterum ab eodem obtinuit. Verùm nos ad Egilbertum, ac res viciniore stilum reducimus.

§. IV.

Origo Vicini inclyti Monasterii Weibensteinensis.

Rogandus est hic ante omnia erudicus lector, ut in Memoriam reducat ea, quæ de monte Tetmons, hodie Weibenstein, diximus in prima, & quarta nostra Dissertatione prolegomena, nec non in Divi Corbiniani Vita, & Actis Hittonis Episcopi, nempe montem illum jam præcis temporibus fuisse tum Gèntilium superstitionibus, tum habitatorum nobilitate celebrem, Divi Stephani antiquò sacellò, ac Divi Corbiniani habitatione, fontisque suscitatione, imò cœlestium quoque Choralium concentu, aliisque portentis illustrem, Monachorum deinceps, juxta Codices alibi laudatos, Frisingam translatorum, Sedem, postea fundatò Clericorum secularium collegiò, illatque Divorum Alexandri, ac Justini sacris exuviis gloriosum, celebratis ibi quibusdam Synodis clarum, ac pluribus donationibus eò factis inclytum, atque ab ipso etiam Sancto Henrico beneficam manum expertum.

Perstitit sacrum illud secularium Clericorum, seu, ut instrumentum habet, Præbendariorum Collegium usque ad annum Christi 1020. quo Egilberto Episcopo aliud in mentem Deus inspiravit. Consideraverat absque dubio sapientissimus Pontifex, Monasticum ordinem tempore Sancti Corbiniani ibidem institutum, ac postea in Cathedrali Ecclesia translatum, temporum successu tam in ipsa Domo Beatz Mariz, quàm in Ecclesia Sancti Stephani defecisse, neque jam plurimam normam Monachorum ad canendas Christi laudes adumatam Frisingæ audiri. Hinc (ut habet antiquum Monasterii Weibensteinensis Chronicon) *Præpositum cum sex Præbendis ab Hitone ad Sanctum Stephanum prius institutos, in collem Sancti Viti transtulit, ibique collegiatam instituit Ecclesiam, & Canonicorum loco ad Sanctum Stephanum Monachos secundam Regulam Sancti Benedicti viventes ordinavit. Sub Egilberto igitur Episcopo in hoc Weibensteinensi Monte Monastica seu Canobialis Vita, Canobiumque Weibensteinianum ab ipso Egilberto Præsule Frisingensi ad laudem & honorem Omnipotentis DEI, Beata Maria Virginis, & S. Stephani Proto-Martyris constructum esse perhibetur. De qua fundatione Canonicorum, Monachorumque permutatione simplices hi leguntur versiculi propter vetustatem non prætermittendi.*

Hinc

Tetmonis ce-
lebrata.

Et eo trans-
feruntur sex
Præbendæ.

Substituit
Monachis Be-
nedictinis.

*Hinc anno Millesimo, Vigeno quoque primo,
Præposituram Præsul Egilbertus vobis inde.
Translatam Viti capere cacumina montis,
Capit & hinc Benedicti floridus Ordo per ipsum.*

Monium in superioribus, mentionem Monasterii Sancti Viti jam occurrere sub Arnaldo Episcopo, in quod verosimiliter Monachi nostri Frisingâ migraverint. De eisdem Ecclesiâ S. Viti fratribus etiam Sanctus Henricus in Diplomate anno Christi 1003. Gotofcalco Episcopo concessio meminit, ut ibidem monuimus. His ad stipulatur fama, & antiqua traditio, quæ addit, Monachos nostros è prædicti S. Viti Monasterio ab Egilberto in ipsum montis cacumen fuisse translatos ad Sanctum Stephanum, Canonicos verò è dicto Sancti Stephani Collegio fuisse repositos ad Sanctum Vitum. Firmari ista videntur ex verbis Chronici Weibensteinensis, quod de facta quadam Canonicorum, Monachorumque permutatione disertè pronunciat. Accedit, quòd in hanc usque diem peculiaria quædam fœdera inter se habeant Sancti Stephani Monasterium, Vicinamque Sancti Viti Canonicorum Collegium. Neque obstat, quòd quidam existiment jam anno Christi 1001. apud Sanctum Vitum Cononicos existisse, quod à probare conantur ex iis, quæ sculpta videntur in subtelis Chori Collegiæ Sancti Viti Ecclesiæ: ubi ex parte Evangelii sic legimus:

Quinam an-
te annum
Christi 1011.
fuerint Mi-
nistri Eccle-
siæ S. Viti?

*Pfallite canonicè, simul & vivatis amicè,
Aut vacuus labor est: neutrum reliquo sine prodest.*

Ex parte verò Epistolæ quidam sic legunt:

Anno 1001. compacta sunt ista sella à Venerabili Capitulo Sancti Viti Frisingæ. Ex quo scilicet consecutaneum videri queat, jam ad ipsum sæculum XI. initium Ecclesiam S. Viti Canonicis fuisse commissam. Verùm, ut diximus, ista minimè obstant: ù enim, qui sculptos ibi Characteres legunt eo, quo memoravimus, modo, perspicuè hallucinantur. Neque enim legendum est Anno 1001. sed anno 1441. nam inter primam, & ultimam Monadem non videntur nudi duo circuli, seu, ut vocamus, duæ nullæ, sed duæ tetraedæ, seu quaternarii numeri, pendentiùs utrobique ex circulo superiori duabùs caudulis, ita ut forcipis fermè figuram referant, quo scilicet modo sæculò decimo quarto, ac sequenti numerus quaternarius pingi solebat, uti infinitis exemplis demonstrari potest, & patebit iis inspectoribus, qui antiquariæ literaturæ notitiam compararunt. Certè literæ versuum, atque omnes sculptæ illius Scripturæ apices nequiquam præferunt manum undecimæ, sed decimæ quinti sæculi. Addo, quod alibi monui, nempe ciphras, seu numeros Arabicos, sæculo XI. non fuisse in usu apud Germanos, sed solum literas, quas vocant *numericas*. Certè inter tot vetera sæculi undecimæ, ac præcedentium temporum monumenta ciphras, hodie usitatas, mihi aliquandò occurrissè nequiquam memini: quod idem alii, in re antiquaria exercitissimi, faciunt. Ut adeò hæc qualiscunque objectio nequiquam probet, ad Sanctum Vitum jam ante annum Christi 1011. Canonicos vixisse. Verùm ut ut ista sine factis perspicua, nolim tamen contentiosè affirmare, ex Ecclesiâ Sancti Viti, quæ in Umbilico Tetmontis visitur, Benedictinos fuisse translatos ad Sanctum Stephanum, donec fortassis aliunde validiora argumenta nobis suppeditentur. Itaque totam banc permutationem Lectoris arbitrio permittimus, atque in re obscura judicio nostro nequiquam pertinaciter inhaeremus.

De donatione excitati ab Egilberto Monasterii Weibensteinensis hæc habet Chronicon loci, à Cusparo Frasio Abbate anno Christi 1575. recognitum & auctum. *Cum itaque dignissimus Episcopus Egilbertus hoc Weibensteinense (ut præmissum est) fundasset Canonicum, illud etiam bonis, & possessionibus ad sustentationem fratrum necessariis dotare voluit, eidem de rebus, & bonis Eccle-*

Novum Mo-
nasterium des-
tine ab E-
gilberto.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

D d a

ele-

clesia Beata Maria Virginis, & Sancti Corbiniani tradens Mammadorphium cum Ecclesia ejusque Decimis: Ubermessi cum duabus Ecclesiis, & earum Decimis; Ecclesiam cum Decimis & ejus dote in Pippinshausen, Pergshausen, & Ambertshausen. Duas partes decimarum vini, quas ipse Praesul prope Bulsam (vulgo Bozen) habuit. Perach, Oustim, Gislungam, Strogam, Tamindorf, Elachbach. Pradium in Haselbach. Dimidium pradium (quod Huebam vocant) cum equo territorio ad Bullingam. Territorium in urbe Ratisbonensi.

Subjungitur in eodem Chronico:

hac prannotata Monasterio ab initio pro necessaria fratrum sustentatione à praefato Episcopo fuisse tradita creduntur; alia verò bona à diversis Successoribus aliisque addita: haec Chronicon. At multò exactius distinctiusque dotatio Weihenstephanensis Monasterii colligitur ex libro Commutationum Frisingensium, ac instrumento Donationis, factae à Sancto Henrico Imperatore Monasterio Weihenstephanensi ipso anno foundationis, nempe Christi 1021, quod totum nunc ordine explicabimus.

Dotatio ex-
plicatur.

Dicitò foundationis annò Henricus Imperator ad preces Egilberti Episcopi recens erecto Weihenstephanensi Monasterio donaverat Insulam quandam Danubianam, dictam *Sahsonoganc*, in hodierna Austria inferiori sitam. Hanc insulam non tantùm primus Weihenstephanensium Abbas Gerardus, è celebri Monasterio Seonensi, Salisburgenis Diocesis, assumptus, verùm etiam ejus post unum annum Successor Arnoldus, & quidem usque post mortem Sancti Henrici Imperatoris, nempe ultra annum Christi 1024. possedit. Secuta Henrici morte Egilbertus Episcopus cum Arnolde, secundo Abbate, commutationem instituit, ac pro Insula praedicta proprietatem multorum praediorum, quae eoque Abbates jure solùm beneficiario possederant, Monasterio adjecit; totum, quod breviter hic expressimus, ipsis documentis latius demonstramus.

Henrici donatio sic habet.

Egilberti laus.

Qui Monasterio Weihenstephan Insulam Sahsonoganc impetit.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. *Hainricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si Venerabilibus Ecclesiarum Dei locis quiddam largimur beneficii, necessitatesque Ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, id profectò & anima, & Regni nostri saluti provenire non dubitavimus. Proinde omnibus Christi nostrisque fidelibus notum esse volumus, qualiter nos ob recordationem, & Eleemosinam Divi Senioris nostri Ottonis Imperatoris Augusti ob spem quoque divina remunerationis tam nobis, quam etiam dilectae nostrae contra Elati Chuniugunda impetrandam, acque ob fidelissimum Venerandis Frisingensis Praesulis Egilberti obsequium, amorèque dedimus quandam pariem cuiusdam Insulae Sahsonoganc dictae ad Monasterium Sancti prothomartyris Stephani in Episcopatu ejusdem epegii Antistitis ab eodem Praesule constructum, fratribusque inibi in Christo militantibus in Provincia scilicet Orientali juxta Danubium & in Marchia Adalberti Comitis sitam, & his terminis inclusam, a loco enim Zuncinspruca visum per ripam Danubii usque in locum Orta dictum, & inde usque in hylvam, quam Hart vulgariter nuncupant, & à supra dicto ponte per directum usque in eandem hylvam Hart, ipsam videlicet Insulam Sahsonoganc quantum superscriptò continetur terminum, & quidquid reliqua terra culta, vel inculta intra praedictum inventum terminum, cum arvis, aedificiis, aquis, piscationibus, venationibus Zidatvveidis, pascuis, & lignorum incisionibus, omnibus illic habitantibus, & quidquid utilitatis inibi poterit inveniri, ea ratione hanc nostram concessionem Sancto Stephano, & jam dilectis fratribus firmantes, ut nullus Episcopus, seu aliqua qualibet persona potestatem habeat res easdem inde alienare, vel auferre. Et ut haec nostra concessionis munificentia omni aeo stabili tenore firma, & incorrupta permaneat, hoc praesens praeceptum inde conscriptum manu propria roborantes sigillis nostri impressione jussimus insigniri. Guntherius Cancellarius Vice Arthonis Archiepiscopi*

reco-

recognovi. Data XVIII. K. Decemb. Indict. IIII. Anno Dominicæ Incarnationis Millefimo XXI. Anno Domini Henrici secundi regnantis XX. Imperii autem VII. actum apud Villam Moringen; hæc ibi.

Instrumentum verò commutationis factæ post obitum Henrici inter Egilbertum Episcopum, & Arnoldum, secundum Abbatem, hæc continet.

IN nomine Sanctæ & indivisibæ Trinitatis. Notum sit universis Ecclesiæ filiis, Quam postea Egilbertus ex permutacione quodam Frisingensi Ecclesiæ obtinuit.

qualiter inter Venerabilem Frisingensis Ecclesiæ Præsulem Egilbertum, & inter Abbatem Sancti Stephani Protho-Martyris Arnoldum, quoddam cum concordia Cleri, & plebis deliberatione ex voto factum est concambium. Tradidit namq; idem Antistes cum manu Advocati sui Oudalscalchi in manum Abbatis præfati de possessionibus suæ Ecclesiæ, quidquid eo die jam dictus Abbas in potestate vel investitura sua habuit in prædiis, in mancipiis, in decimis, molendinis, scilicet Helligshusum cum omnibus appendiciis ad eundem locum pertinentibus. Perhæb sub eodem jure. Mammandorff cum Ecclesiâ decimata, Ousti, Ubarmussi cum Ecclesiâ decimata. Tres Hobas Wibsa, Gifilinga, Stroga. Wippanhusum, quod beneficium fuit Aribonis. Buirra cum Ecclesiâ decimata. Zamindorff, quod Egino presbyter in mutuum dedit Episcopo prædicto. Territorium in Urbe Radaspona. Unam Houbam cum equino territorio ad Pullingum. Territorium equinum ad Hutichar. Elabbah. hæc omnia Egilbertus Episcopus, ut dixi, tradidit ad altare Sancti Stephani, & ipsius altaris servitoribus, sive sint Monachica, seu canonica conversationis, pro perenni Imperatoris Henrici, suimetique felicitate, jure proprietatis possidendum. Contra Abbas Arnoldus cum manu ejusdem Advocati Oudalscalchi in manum prædicti antistitis Egilberti in recompensationem traditionis prædictæ, cum manu potestativa in jus proprietatis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Corbiniani pari utriusque partis deliberatione, & consilio retradidit partem cujusdam Insulæ Sahsonaganc diocèse in Provincia Orientali, & in Marchia Adalperti Comitis Sita, quam ob spem retributionis divinæ, & ob interventum ejusdem Episcopi bonæ memoriæ Henricus Imperator Sancto Stephano, ejusque servitoribus sub testamento tradidit, his terminis inclusam. A loco Zaninesfracca visum per ripam Danubii usque in locum Orta dictum, & inde in sylvam, quam Hart vulgariter nuncupant, & à supra dicto ponte per directum usque in eandem sylvam Hart, ipsam videlicet Insulam Sahsonaganc, quantum superscripto continetur termino, prout altari Sancti Stephani sub testamento traditum erat, ut dixi, Episcopo mutua vicissitudine retradidit. Et ut hæc commutatio stabilis permaneat literarum serie veraciumque testium, ut mos est, firmatum est testimonio. Altman Comes. Hartuic, Sahlilo, Meginhart, Herrant, de familia Heibrib, Mathumi, Luitheri, item Luitheri, Sinzo, Gerhart, Reginhalm, Gerruic, Peratbol, Herrib, Ribfris, Gozolt, Dietpreht, Tbararo-Frouimuit.

Advenet utique nobiscum eruditus Lector, Henricum tempore hujus tractatus inter vivos jam non superuisse, cum in instrumento, ubi de Henrico Imperatore agitur, adjiciatur: *Bonæ memoriæ*, quod utique non de vivis, sed mortuis dici solet. Rursum intelliget idem benevolus Lector, Egilbertum in prima fundatione Monasterio contulisse enumerata prædia in feudum solum, ut vocant, non verò absoluto proprietatis jure. Istud verò jus primum post aliquot annos, recepta in vicem Insulâ illâ Danubianâ, adjecisse: quod ipsum supra monuimus, & nunc facis, uti spero, demonstravimus.

Cæterum ex laudato Chronico constat ulterius, non solum Monachis, verum etiam Monialibus fuisse ibi ædificium ab Egilberto suscitatum. Cum enim narrasset Chronographus, antehac in eo loco, *septem tantum Ministros divine, regisq; sue Majestati solum servitutis pensum persolvisse*, subdit, effecisse Egilbertum, *ut deinceps milites, qui contra ignita spiritalis nequitiæ tela*

Welfen-
phanii etiam
Moniales sub-
re instruxit.
Fidelium enim
Libri Traditionum
Welfen-
ph. fol. 5. a.
20. b. 22. b. 23.
b. 24. a. 25. a.
26. a. 27. b. 28.
a. 29. b. 30. b.

fortissimis præclara Obedientia armis instructi dimicarent, multiplicarentur, nec non casta, innuæque puella illis adunata Virgineo puritatis candore dulcissimis vocum consentibus altissimo laudum perfolverent præconiâ.

Hæc laudatus Chronographus; cui adscriptur antiquum Kalendarium Weihenstephanense, in quo manu planè coæva notatur interitus ejus Parthenonis ad annum Christi 1242. iis verbis: *in festo XI. Millium Virginum claustrum Dominarum combustum est.* Sanè è cineribus postea resuscitatum fuisse dictum Monasterium, nullibi legimus; ast ipsum virorum celeberrimum Collegium in hanc usque diem Religiosæ disciplinæ, virtutum, scientiarum, ædificiorumque & sacræ suppellectilis splendore, benedicente Domino adedò clarescere pergit, ut meritò omnes, qui vident, glorificent Patrem, qui in cœlis est. Et quoniam de dotatione in clyti hujus Monasterii hætenùs egimus, juvat hic subjungere tria alia brevicula instrumenta; duo aliarum commutationum, tertium novæ donationis tractatus exhibentia. Primum habet tenorem sequentem.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, qualiter inter Venerabilem Egilbertum Episcopum, & Abbatem Arnoldum hujusmodi factum est Concambium; namque Episcopus cum deliberatione suorum fidelium dedit per Manum Advocati sui Oudalscalchi ad altare Sancti Stephani decem houbas censuales, quæ vulgariter Parcalthes-hoba dicuntur, & decimam Ecclesia ad Chamara. Econtra jam dictus Abbas pari suorum deliberatione retraxit per manum Advocati sui Hangerimi ad altare Sanctæ Mariæ, & Sancti Corbiniani undecim houbas censuales, & unum Molendinum ad Frima, in Marchia Ottonis Comitis. Et hæc traditio istis firmata est testibus. Alman Comes, Gerolt, Pezili, Gotapolt, De familia Reginham, Sigipolt, Oudalscalch, Luitheri, Item Luitheri, Engilico.

Alterum sic sonat.

Noverit omnis turba Christi fidelium, qualiter idem Abbas Arnoldus per manum Advocati sui Hangerimi quoddam prædium Rihkorsæors dictum ad altare Sanctæ Mariæ, & Sancti Corbiniani tradidit, Econtra Episcopus per manum Advocati sui Oudalscalchi ad altare Sancti Stephani dedit quoddam prædium Honapack vulgariter nuncupatum. Et ut hoc Concambium immutabili firmatum sit stabilimento, isti adhibiti sunt testes. Gerolt, Perno, Gotapolt, de familia Luitheri, item Luitheri, Pezili, Dietperht, Askirih, Herrih.

Tertium denique sequentem Egilberti donationem exhibet.

Notum sit omnibus Christi fidelibus qualiter Venerabilis Egilbertus Frisingensis sedis Episcopus cum manu Advocati sui Oudalscalchi pro felicitate animæ suæ tradidit ad altare Sancti Stephani duas partes decimæ sui vini in Pozana, ejusque Altaris Servitoribus, perpetualiter possidendum; Isti sunt testes tracti per aures. Alman Comes, Harvvic, Herrant, de familia Gerhart, Simzo, Dietperht, Gervvic, Gozolt.

Hæc de Origine Celebris illius Monasterii contrahenda, & Ordine exponenda videbantur. Nunc ad Seriem annorum historię reliquæ revertimur.

§. V.

Reliqua Acta publica usque ad annum 1024. sæculi III. Frisingensis ultimum.

A Nno Christi 1022. S. Henricus Imperator movit in Italiam, ut Græcos, & Saracenos, Apuliam & Campaniam infestantes retunderet. Ad vota fluxère omnia. Campaniam enim occupavit, Beneventum intravit, Trojam expugnavit, Neapolim cepit, Capuam, Salernum aliâsq; Civitates in ditionem accepit. Rebûs ex animi sententia confectis in Casinum Cæsar usâ cum

S. Henricus triumphat in Italia.

eum Benedicto Pontifice venit, ubi ingentes calculi dolores sensit. Verum, ut habet Breviarium Romanum, ibi à Sancto Benedicto insigni miraculo sanatus est. Ut verò Sospitatori suo gratum se exhiberet Imperator, varia sacro illi Monasterio dona contulit, nempe, ut Mabillonius scribit, textum Evangeliorum auro, gemmisque cooperum, intus verò uncialibus ex auro literis, figurisque decoratum; calicem aureum cum patena, gemmis itidem adornatum, & varia Ecclesiæ ornamenta. Ad hæc vestem unam de Altari S. Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli Regis, à Judæis redemptam, cum calice argenteo Saxo-nico Majori, & patena sua, quem Theodoricus Saxonum Rex olim Beato Benedicto dono miserat. Subdit Mabillonius: tanti Principis Sanitati congratulan-tem Benedictum Papam alia insuper ornamenta S. Benedicti contulisse. Quin etiam reverentem in Germaniam Imperatorem, planetam præclaram cum stola, ma-nipulo, & Cingulo, atque alba ad Beatum Benedictum cum novis gratiarum actio-nibus transmississe, tantæque de cætero circa hunc Sanctum locum devotionis exsistisse, ut, si diutius proviveret, relicto Imperii fastigiò devotè sub Sanctæ professionis habitu illic servituum se sponsunderit. Ista Mabillonius, & ante eum plures auctores celeberrimi. Sanè Miraculum in Summo Orbis Monarcha, præsentibus ipso Summo Pontifice aliisque tum Ecclesiasticis tum profanis Principibus patrarum, non solum cultores S. Benedicti, verum etiam Monasteria Benedicti-ni Instituti mirificè per Orbem auxit, uti benè observarunt, qui res Benedicti-nas ex proposito conscripserunt.

Cæterum, ut Adelzreiterus, ac post eum Mabillonius habent, hoc ipso anno S. Gotthardus, olim Althaz inferioris, item Tegernseensis, ac Cremi-fanensis Abbas, Hildesheimensibus datus est Pontifex, subrogatus S. Bern-wardo Episcopo, qui antequam mortem obiret, Monasticum Ordinis nostri habitum susceperat, ut Mabillonius ex Wolfero scriptore ferè Synchrono prodit.

Circa idem tempus Baronio teste, Guido Aretinus, Ordinis itidem nostri Monachus, veluti Musicus insignis innotuit, Romam à Benedicto Pontifice vocatus. Hic maxima omnium admiratione novam rationem discendi Musicam invenit, aded ut puer paucis mensibus disceret, quod pluribus annis vix homo quolibet pollens ingenio addiscere potuisset. Illi debemus, Syllabas Musicas, seu vocum differentias sex *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La*. Quarum Originem is, teste P. Pexenfelder S. J. è veteri hymno, D. Joanni Baptistæ Sacro, duxit:

Ut *quam laxis*
Re *sonare fibris*
Mi *ra gestorum*
Fa *muli tuorum,*
Sol *ve pollui*
La *hij reatum*
 Sanctæ Joannes.

quod in Musicorum gratiam hic annotare visum est.

Sequenti anno, Christi 1023, Hartwico Salisburgensi Archiepiscopo successit Guntherus ex Imperatoris Cancellario factus Juvaviensium Archipræful. Ra-cisbonæ quoque defuncto Gebhardo Episcopo ejus nominis primo successus est alius ejusdem nominis Gebhardus, dictus II. qui antehac Augustanæ Ecclesiæ fuerat Canonicus. Ad eundem annum, Brunnero teste, pertinentæ, quæ de Babone Abenspergensi Comite, ejusque triginta duobus filiis referri passim apud Historicos solent, & Brunnerus ipse latè prosequitur. Memoriam quoque dignissimum eodem ferè tempore illud accidit, ut duo Sancti Principes, Henricus scilicet Imperator, & Robertus Galliarum Rex in vero pacis osculo abique

Cæterum se ex:
hibet S. Bene-
dicto.
Annal. lib. 17.
p. 15.

S. Gotthardus
est Episcopus
Hildesheimensis.

Supplementum
Cap. 17.

Origo Sylla-
barum Musi-
carum.

Erasmus variè

ulla

ulla de digniori loco contentione convenirent de statu Ecclesiæ tractaturi. Quo ipso anno Moguntia celebratum fuit Concilium, cui Idem S. Imperator interfuit, summa semper veneratione complexus Episcopos, etiam eos, quos in se æquo asperiores expertus fuit, exemplò hodiernis Regibus utinam non insolitò! Comparuit in celebri illa Synodo etiam S. Gothardus Episcopus, qui occasione itineris sui mulierem à dæmonio infessam liberavit, eoque factò Summam omnium Venerationem fuit affecturus. Videantur *Acta Concil. editionis Haraduin. T. 6. part. 1. col. 835.*

Henricus
Virgo.

Abbas. Hilar.

Henr. in anal.
German.

Injurias scrip-
tò compen-
sat.

Ek. 4. Cap. 16.

Conradus Sa-
licus Imp.

Col. 544. circa
finem.

Conradus
Egilberto z-
des Ratiabu-
nenles, à S.
Henrico do-
natus, con-
firmat.

In annum proximè sequentem, sæculi nostri Frisingensis tertii ultimum, incidit Sancta Mors ejusdem Sanctissimi Imperatoris nostri Henrici, cujus laudes nullæ Scriptorum pennæ extollere pro meritis unquam possunt. Illius morituri, & Conjugem suam amicis commendaturi ea vox fuit omnibus sæculis memoranda: *recipite*, aiebat, *quam mihi tradidistis, Virginem vestram*. Quibus verbis Henricus hominum, ac maxime Cæsarem miraculum sese fuisse comprobavit. Verè prodigiosa fuere nuptiæ, quibus Virginitas pronuba, dos integritas, pudor ornamenta, & juncti sunt animi immunes corporum, ut nonnemo observavit. Adjecit Henricus alia non minori stupore digna verba: *Conradum*, in-
quebat, Franconia Ducem, consilio & manu promptum, Imperatorem eligite, designans scilicet hominem sibi si non rebellem, certè imperia sepiùs aspernatum. Verè pretiosa in conspectu Domini mors, dignissimæque, quam cœli multis prodigiis coronaverint, atque Summi Pontifices animam corporis solutum compagibus in Divorum catalogum retulerint. Sepultus est Henricus Babenbergæ in Ecclesiâ Cathedrali, quam ipse fundaverat, nactus post mortem longè plures cultores, quàm vivus habuerat, rarissimo sanè inter Imperatores Regesque exemplò. Ubi illud observare liceat, Henricum vota Religiosis propria exactissimè observasse. Nam obedientiam Richardo nostro professus, ejusque imperium, tametsi durissimum, excusus est. Votum Castitatis, quo se, teste Arenbeckio, adstrinxerat, cautissimè custodivit: ac sua, quæ potuit, omnia Ecclesiis, ac maxime Monasteriis consecravit.

In Comitii postea celebratis ad Vorum Henrici electus est Conradus, à sua prosapia dictus Salicus, in cujus electione etiam Egilbertus Episcopus noster suffragium contulit, uti Palatius tum ex Wippone, tum ex Gotfrido refert: idemque discimus ex Chronico Austriaco, quod Clar. P. Hier. Pezius edidit: Item ex literis cujusdam confirmationis, quas Egilbertus noster eodem tempore à Conrado Rege accepit Moguntia, propè quam Urbem electio contigit. Literæ sic habent.

IN nomine Sanctæ, & individue Trinitatis C. Divina favente gratia Rex. Si nostra Regalis Munificentia locis Venerabilibus, sacraque Religioni Cultoribus, quicquam utilitatis contulerit, scimus magna præsidia tam animæ nostre, quam etiam stabilitati Regni nostri inde accrescere. Proinde noveris industria cunctorum fidelium hominum nostrorum, qualiter nos ob interventum venerandi Egilberti Frisingensis sedis Episcopi more Antecessorum nostrorum Regali concessione firmavimus Curtiserum unam in præfenti ab eodem egregio Præsule superadificatum in provincia Bojaria, & in Urbe Reganspurch sitam, partem videlicet cujusdam palatii veteris, atque destructi, incipientis a Curte, quam tenet Eber. Babenbergensis Episcopus, ac contra Septentrionem in longitudine Octo perticas habentem, & inde ad Orientem usque ad Viam publicam, quæ est inter Ecclesiam Sancti Salvatoris, prædictumque Curtiserum ad stumen Danubium ducit, terminantem. Constat namque idem Curtiserum à pio Antecessore nostro Hainrico Imperatore Ecclesiæ Frising-

Frisingensi ob remedium anima sua fidelique Ministerium ejusdem Antistitis consentiente Duce Bajoariorum Hainrico Imperiali praecepto concessum. Nos autem Ecclesiastica utilitati nihilominus prospicientes hoc praesenti praecepto nostro Curtem praedictam cum universis aedificiis, ac septum munitionibus illi in perpetuum firmamus manu propria subtus roborantes. Dat. III. K. Septemb. Indiæ. VII. anno Domini M. XXIIII. anno. I. Dñi C. secundæ Regnantis. Aëum Maguncia.

Henrici Sancti Mortem præcesserat mors Benedicti VIII. Summi Pontificis ^{Joannes XX.} 3. Kal. Majas: cujus in locum Tusculanorum Comitum factione Joannes ^{PV.} XX. dictus, ipsius Benedicti frater, eousque Porruensis Episcopus, postridie ejus diei subrogatus est. Ita suprema duo Orbis Christiani solia, Pontificium scilicet, & Imperatorium vacarunt eodem anno Christi 1024. quo etiam tertium nostrum Frisingense sæculum finem accepit. Porro reliqua Egilberti nostri acta ad initium quarti sæculi Frisingensis differimus.



HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM IV.

Ab anno Christi 1024. usque ad
annum 1124.

Sive

LIBER QUARTUS,

De Episcopis, & Rebus Frisingensibus quarti
Sæculi.

CAPUT PRIMUM.

Residua Egilberti Episcopi Acta.

§. I.

*Liberalitas Conradi II. Regis, & S. Chimegundæ Aug-
ustæ Viduæ erga Egilbertum anno Christi 1025.*



Conradus Rex eò nomine secundus adepti recens honoris initia pulcherrimis virtutibus, quippe illustribus justitiæ administratæ exemplis, ac profusa in Ecclesiis liberalitate reddidit auspiciatio- ra. Is cùm superiori anno, Christi 1024. Egilberto nostro curtiferum, seu spatium pro construenda domo in Ratisbonensi civitate à S. Henrico donatum, præceptò suo confirmasset, uti in superioribus vidimus, primò hujus quarti Frisingen- sis sæculi annò, Christi 1025. eidem Episcopo etiam plura alia prædia adjecit, uti sequens instrumentum ostendit.

Conradus
Imp. aduict
Egilberto no-
va prædia

IN nomine Sanctæ, & indivisæ Trinitatis. Chunradus divina favente Cle-
mentia Rex. Cunctis fidelibus nostris presentibus, atque futuris notum esse
volumus, qualiter nos ob anima nostra remedium, venerandique Egilberti fidelis
nostri Frisingensis scilicet sedis Antistitis petitionem, quædam proprietatis nostræ præ-
diola sic nominata: ad Rint, ad Steitun, ad Aripimut, ad Steirunabi, ad Ornum,
quæ Perzili Uhamanni filius servus nostræ potestatis possedit, prædictique Præsulis
Advocato Udalascalco, cæterisque missis suis cum terminis propriis pramonstravit in
septentrionali parte Danubii fluminis, & in comitatu Ruperti Comitæ sitas in
pro-

* Ad Arpin-
tum.
* Ad Horin-
wila.

proprietate * concessimus, & per hanc Regalem paginam in jus ejus, atque Do-
 minium transfudimus cum curiferis, ædificiis, terris cultis, & incultis, præ-
 tiis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, vitiis & irviis, molendinis, pisci-
 ationibus, Adaloveidis, quæsitis, & inquirendis, omnibusque legitime ad loca
 habeat potestatem, tradendis seu sibi retinendis, aut quicquid sibi libitum fue-
 rit, exinde faciendi. Et ut hæc nostre concessionis auctoritas stabilis, & in-
 convulsa permaneat, hoc præsens præceptum inde conscriptum manu propria ro-
 borantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Dat. 2. Non. Maji. Indiæ.
 XV. III. * anni Domini M. XXV. Anno vero Domini Chunradi Secundi Regis in-
 victi I. actum apud Svarza Dapuca. *

Multò verò in Ecclesiam Frisingensem munificentior paulò post fuit sancta
 Chunigunda Augusta vidua. Hæc enim postquam annum integrum Henrico
 suo castissimè parentaverat, Boicam ultimò adit, & cum Egilberto tractatum
 inuit, quem Veteres *Preccariam*, aut *Complacitationem* vocabant. Ubi monen-
 dus est Lector, nomine *Preccarie* hîc neutiquam intelligi *preccarium*, qualiter
 à Jurisperitis usurpatur, & significat id, quod precibus conceditur tam diu,
 quamdiu is, qui concessit, patitur: sed intelligitur usufructus, illi, qui Eccle-
 siæ cuidam rem aliquam suam donavit, vel in ejusmodi re sola, vel etiam in
 aliis rebus illius Ecclesiæ ad preces ejus concessus, uti Gottheliffus Struvius in
 Glossario ad Freherum *de rerum Germanicarum Scriptoribus*, eruditè probat,
 & hic ipse, quem subjungimus, tractatus multò etiam manifestiùs demonstra-
 bit, cujus verba ex autographo hæc sunt.

*Preccaria, seu Complacitatio Domna Chunigunda Imperatricis Augusta, at-
 que Venerandi Egilberti Frisingensis Ecclesia Episcopi.*

Anno Dominica Incarnationis Millesimo Vicesimo quinto Summa Divinita-
 tis miseratione provisum est, ut pia Deoque amabilis Domina Chunigunda Imper-
 atrix Augusta ob amorem celestis desiderii, atque ob recordationem Divæ me-
 morie Senioris sui Heinrichi Imperatoris Augusti, nec non ob quoddam vitæ tem-
 poralis emolumentum cum consilio gloriosi Ducis Bajoriorum, Heinrichi scilicet
 fratris sui, cunctiorumque procerum, & Optimatum, comitiùmque Bajoria
 provincie, ac Judicum, quedam sui juris prædia Rantersdorf, sive Rantesho-
 va, Holsperbach, Ostermuntzinga, Veltchiricha nominata traderet in manus
 Venerandi Egilberti Frisingensis Ecclesia Episcopi, & Advocati sui Uodalscalchi
 cum Ecclesiis, ac decimis, cum foresto Willimbart, ac forestariis *, cum ter-
 ris cultis, & incultis, mancipiis utriusque sexus, vineis, molendinis, & cum
 omnibus justè, & legaliter ad ea pertinentibus, exceptis tantum quinq; servilibus
 mansis, cum pratis ad eosdem risc pertinentibus in beneficio Bezilini situs, quod nun-
 cupatur * & quinque servis cum quatuor ancillis, quibus ipsum
 beneficium tunc temporis erat possessum, quod videlicet beneficium ea lege, ut
 dictum est, ipsa Domina Imperatrix Augusta tradidit in proprium Uxori præfati
 Bezilini absque Vénationibus, & saginationibus, ac sine lignorum incisisonibus in
 foresto jam dicto. Excepit etiam memorabilis Imperatrix Camerarium unum
 Azili nominatum absque beneficio sui, & famulas duas Pexa, & Raza nomina-
 tas. Insuper etiam Imperatrix Augusta tradidit eidem Episcopo, quicquid visa
 est habere in loco Hal dicto cum utriusque sexus mancipiis, ædificiis, terris
 cultis, & incultis, sartaginibus, ac locis sartaginum, ac locis onustariis * Wi-
 tevendis, censalibus, & cum omnibus jure, & legaliter ad ipsam Salinam re-
 spicientibus, atque cum omnibus rebus, quas visa est habere supra fluvium Sa-
 la nominatum, ea videlicet ratione, ut ipsa venerabilis Domina, quamdiu Deo
 ordinante viveret . . . res omnes supra memoratas in integrum possideret.
 Post decessum verò vitæ mortalis pro eleemosina pia memoria Domini sui Heintri-
 R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. E c a c i

* Alii prople-
 tacio.

* Alii addunt
 prædicta.

* Alii scribunt
 in dicto.
 libanus ad-
 locatus est,
 qui non debet
 scribi XV. III.
 sed V. III.
 At. Svarza-
 zabuka.

S. Chonegata
 da permulta
 prædia donat
 Frisingensi
 Ecclesia.

* Forestariis,
 qui sicuti sunt.

Latina verba

* Ubi scilicet
 terras aut ma-
 gis concessas
 sunt, Præc. vel
 Frising. etc.

Ajciuntur
 etiam condi-
 tiones.

ci Imperatoris, adoptato quoque propria anima remedio ad altare S. Mariae semper Virginis, Sanctisque Confessoris Christi Corbiniani Frisingae corporaliter quietentis, in jus videlicet, atque dominium egregij Antistitis Egilberti Successorumque suorum lege precaria resunderentur. Testes Gerolt Comes. Fridirih Comes. Arnolt Comes. Hartovic palatinus Comes. Adalpero Comes. Tiemo Comes. Popoo Comes. Pilgrim Comes. Altman Comes. Item Gerolt Comes. Gunspolt Comes. Heinrith filius Tiemonis comitis. Peraholt filius Fridirici comitis. Gerolt filius Geraldi comitis. Sarhilo filius Sarhilonis comitis. Gerolt. Maganus. Gamanolf. Albrith Item Gamanolf. Heimperht. Hartovic. Ekkibart. Luitolf.

Egilbertus
vixit S. Ch.
negundam
grammte ex-
hibet.

Econtra vero Pralibatus Pontifex cum consilio, atque consensu suorum tam Clericorum, quam laicorum, maximeque pii Ducis Heinrici, ac Optimatum suorum retraxit Deo devota Imperatrici Chunigunda, lege ut supra dictum est, precaria cum manu advocati sui Uodalcalchi de rebus Ecclesiae sua curtem spona vocatam. Curtem Purgreina ac curtem, qua dicitur Dorfa. Curtem etiam Tegrimwach cum terris cultis, & incultis, cum ipso Monasterio, & Congregatione Sancti Zenonis, ac reliquis Ecclesiis, & decimis, cum mancipiis utriusque sexus, molendinis, silvis, compascuis, Zidatvveidis, omnique potenus utilitate ad praedictum venerabilem locum pertinentibus, rerumque praedictarum vestituram, eo tenore, ut praedicta Domina, & datum, & acceptum usque ad felicem vitam suam terminum potestativè possideat: postea verò integritas ambarum partium, dati scilicet, & accepti omni contradictione remota ad altare Sanctae Mariae, Sanctique Corbiniani ad specialem usum Frisingensis Praesulis Egilberti, suorumque successorum firma allegatione, iureque proprio subsistat: Si autem forte quod absit, evenierit, ut violentia sive usurpativa potestate alicujus Imperatoris vel Regis, aut etiam Ducis sive Episcopi hac precaria in illa vel in ista parte dissolvatur, aut infringatur, uterque, quod dedit, recipiat, & in suum usum ac vestituram, sicut ante habuit, restituet. Gerolt Comes. Fridirih Comes. Arnolt Comes, & reliqui ut supra.

S. Chunegundam
du sit Mon-
nialis.

* Hefsen-
Cassell.

Porro quo die hic tractatus fuerit conclusus, non exprimitur in instrumento. Illud certum videtur, hanc complacitationem, seu beneplacitum contigisse ante mensem Julium hujus anni. Cum enim Chunegundis juxta Barooium III. Id. Julii anniversarium Henrici diem celebrasset, ad Coosungensem, seu Confugioferm Partbenonem, à se haud procul Cassallis * Hassiae oppido, ad Fuldam amnem conditum, se recepit, & illo ipso die Monasterii illius Basilicam dedicari fecit, quo ipso tempore intra Missarum solemniam, Imperiali veste ornata, ad altare processit, ibique ligni Dominici pretiosam crucem obtulit, ac demùm, lectò Evangelio, posita Regali purpura, fusci coloris tunicam, quam ipsa sibi elaboraverat, accepta Sacerdotali benedictione, induit, capillisque restectis, velo, & annulo insignita, Christo sub Divi Benedicti Regula consecrata, sicque sacrarum filiarum suarum contubernio aggregata est, quibus omnibus se deinceps inferiorum exhibuit, & exquisitissimè sanctitatis facem annis quindecim (ut quidam opinantur) praxiit. Sanè quo anno postea bona, in ioftrumento designata, Ecclesiae Frisingensi tum accesserint, tum redierint, incertum est. Certum est, & accessisse, & rediisse, ac Frisingensem Ecclesiam Sanctae Imperatrici manere obratam; de cujus felicissima morte suo loco agemus.

Episcopatus
Bambergen-
sis exultus
stabilius.

Eodem anno Bruno Episcopus Augustanus, defuncti Henrici, Sancti Imperatoris, frater, prava de evertendo Bambergensi Episcopatu, ejusque boois sibi vendicandis consilia agitaverat. jamque in vota sua tum Conradum Imperatorem, tum etiam Gisela Imperatricem attraxerat. Sed obstitit S. Henricus, qui fratri spectabilem sese in somno offerens, severa, ni à proposito desisteret, suppliciorum comminatione facile effecit, ut cum mente saniori evigilaret. Ee verò talem deinceps sese Bruno exhibuit, ut ei Conradus filium suum Henricum,

tum, futurum in Imperio successorem, educandum traderet, quod is etiam S. Burchardus Ep.
deinceps naviter, piè, ac feliciter executus est.

Ad eundem anoum referunt quidam mortem S. Burchardi, Wormatiensis Antistitis, qui, cum disciplina Olberti Laubicnsis Monachi ad eum scientiæ gradum pervenisset, ut Juris Canonici peritorum phoenix diceretur, factus est primò Episcopus, postea Conradi Imperatoris moderator sanctissimus. Mortem cum obiisset, præter tres denarios, & vestem setis horridam amicis reliquit nihil, cum sua omnia in egenos dispensasset, verumque sese pauperum noo advocatum tantum, sed & Patrem demonstrasset. Et hæc profectò est vera Juris prudeotia, quam Christus docet. Orationem Burchardi morituri ad suos factam, ac ex vera humilitate, ac sapientia profectam recitat Baroovius, qui hujus Sancti Viri mortem ad annum Christi 1026. differt, cui unà cum Buccelino oostro haud inviti subscribimus.

§. II.

Conradi II. Regis, ac Imperatoris: item Egilberti Episcopi res gestæ usque ad annum Christi 1029.

ANno Christi 1026. Conrado Regi Mense Februario Romam petenti, restitère ex mote Langobardi, sed iocassum. Ei, superatis alpibus, magno cum apparatu Joanes Pontifex occurrit. Interea Ernestus Sueviæ Dux, ac Welfo Princeps præpotens (de cujus profapia Adelzreiterus ad hunc anoum plura refert) in Suevia tumultuabantur, atque Brunonem Augustanum Episcopum acerbis direptionibus vexabant. Egilbertus noster, cum Saxonibus (è quibus Bruoo oriendus erat) gratitudinis vinculo adstrictum se crederet, superpetas Brunoni misit: ast in fugam conversus hostium arma in suum quoque Episcopatum Frisiogensem concitavit. Elliogerus Abbas Tegernseensis eo ipso anno, nescitur, qua de causa, gradu motus est. Sequenti anno, Christi 1027. Conradus Rex ipso Resurrectionis Dominicæ die à Joanne Papa Augustus salutatus, ac coronatus, rebûs in Italia coostructis, ac juribus Ecclesiæ stabilitis in Germaniam regressus est, ubi Ulmæ coacto Procetum conventu Welfonem proscripsit; quo ipso ferè tempore Henrico Mosellano, Bojarie Duci, S. Chunegeundis fratri defuncto, filium suum Henricum Bojis præfecit Ducem, eo nomine sextum. Gunthero Salisburgensium Antistiti ea ipsa tempestate Dietmarus, sive Theodemarus, eo nomine secundus, successit. Porro quæ Cooradum inter & Egilbertum nostrum eo anno super Abbacia Mospurgensi fuere constituta, ex secundo Traditionum Frisiogensium libro exhibemus: ubi hæc legimus.

Consultum igitur, & rationale videtur, ut, quidquid secularibus negotiis agitur, totum hoc serie literarum ac veracium testimonio virorum ita ligetur, atque roboretur, ne postmodum à quoquam dissolvi, vel infringi, aut nullo modo valeat negari. Proinde cognoscant omnes tam presentes, quam futuri de inquisitione prædii, quod Mosaburg dicitur, ubi S. Castulus Martyr Christi corpore requiescit, inter Dominum Chouonradum Imperatorem, & Venerandum Egilbertum Frisingensem Pontificem habita, qualiter uno eodemque tempore, & cæpta sit, & finita. Anno siquidem Dominica Incarnationis MXXV. II. Indictione XI. præfatus Dominus Chouonradus Imperator Augustus anno Regni sui III. Imperii vero I. cum accepta Imperiali benedictione de Italia cum exercitu reverteretur, in Urbe Radasponensi cœdit, ubi inter cætera, quæ ad Imperii sui statum, utilitatemque pertinere videbantur, placuit, omnes Bajarica provincia Comites, & electos Judices per Sacramentum Regale admonere,

ut possessiones & pradia intra eandem provinciam sita, que novissimè ad solium sui Imperii jure pertinere, eodem Sacramento publice interrogati, manifestè pronuntiarent. Similiter etiam de civitatibus, ad Marchiam ipsius provincia pertinentibus, nec non de Abbatia legitima libertate uti debentibus, eos interrogavit.

Ceteris vero Judicibus ex conscientia sua ad interrogata sic, & sic respondentibus quidam Comes, Poppo dictus, ab Imperatore admonitus dicebat, locum, qui Mosaburg dicitur, cum cunctis illo respicientibus liberam esse Abbatiam, adeoque legitima potius debere uti libertate, quam Ecclesia Frisingensis sedi servire debere, nisi hoc in comitatu, & in Mallo publico a Veridicis contradiceretur Scabinis. Imperator ergo hanc judicii translationem, & cetera nimis curiose animo perpendens, tandem ob amorem, ac justam petitionem

supra dicti venerandi Præsulis Egilberti cum consilio Optimatum suorum, tam Francorum, quam ipsius provincie Principum Adalperoni comiti, in cujus comitatu ipse locus Mosaburg situs est, Imperiali præcepto injunxit, ut in placito suo per legitimas inducias indicto hujus rei veritatem juxta legem Bajoricam diligenter apud Judices inquireret, id est, utrum locus supradictus libera deberet esse Abbatia, an jure possessionis ad Ecclesiam Frisingensem deberet consistere?

Comes igitur juxta præceptum Imperatoris placitum suum publice, legitimeque ad Tutinchora indictum in VI. Idus Augusti habuit. Tunc Domno Egilberto Episcopo pariter cum comite Adalperone residente, presentibus etiam comitibus Arnolfo, Poppone, Eparhardo, Chadaloho, & multis aliis viris illustribus inter defensores utriusque partis Uodalcalchum scilicet Frisingensis Ecclesie advocatum, & Geroldum Imperatoris nihilominus Advocatum suum, & disceptatio legitima causa ipsius tamdiu ventilata est, donec lite finita Judices omnes per Ordinem propriis sedentibus in sedibus juramento restricti sepe dictum pradium Mosaburg cum sua vestitura in jus, atque dominium Frisingensis Ecclesie jure perpetuo pertinere affirmabant, nec unquam pro libera Abbatia vel esse, vel haberi debere testati sunt. His ita peractis comes Adalbero per Advocatum Venerabilis Episcopi Uodalcalchum, ut mos est, rogatus, banno* consueto pradium idem Frisingensis stabilivit Ecclesie.

Postremo Dominus Antistes Albericum Vassallum suum Advocatum sibi cum judicio Judicum, & banno comitibus super res supra memoratas constituit. Hac sunt nomina judicum nominatissimorum, qui hoc pradium cum vestitura ad Frisingam pertinere, in proprietatem sacramento affirmabant. Regiperht Comes. Egilolf Comes. Albrich cum filio. Gamnolf cum filio. Otto. Sigihart. Arnolt. Purchart. Adalperht. Hartmit. Penno. Engilhart. Sizo cum filiis. Timo. Sigamunt. Chadalhoch. Hartman. Ato. Ita Abbatia Mospurgenfis Frisingensi Ecclesie rursus adjudicata fuit.

Sequenti anno, Christi 1028. Conradus Imperator filium suum Henricum, Bojarie nostræ Ducem, nondum annos undecim natum, in Regni consortium adsciscit: quem in solenni conventu Aquisgrani Pilgrinus colonienfis Archiepiscopus ipsa sacra Pentecostes die coronavit, à colore crinium dictum Nigrum. In alio Regni conventu, Ulmæ congregato, Guelpho, & Ernestus supra allegati Duces in Cæsaris gratiam fuere recepti.

Anno Christi 1029. Bruno Augustanus Episcopus, S. Henrici frater, festis Paschalis cum Conrado Imperatore Ratisbonæ peractis, 8. Kal. Maji è vita ibidem migravit, Augustæ in condita à se Divi Mauricii Basilica sepultus præsentem Imperatrice, & Henrico Rege Juvene, cujus moderatio deinceps ab Imperatore Conrado commissa fuit Egilberto Episcopo nostro, quod eam, qua dudum hic Episcopus inclaruerat, existimationem maximè auxit. Scribit Brunnerus, Regiam in Andecensi arce fuisse collocatam, gratificantibus haud dubiè voluntaria cessione ejus loci Dynastis Regi adolescenti, cæli, solique opportunitate capto,

* à c. judicio.

fol. 300. a.

Decidit
& uxor super
Abbatia Mo-
spurgensi.
* à c. judicio.Henricus Ni-
ger fit con-
sort Regni.Et curæ Egi-
berti nostræ
committitur.

Ipsum Conradum Cæsarem paulò antè, scilicet 5. Nonas Martias Frisingæ fuisse præsentem, discimus ex Pancharta, sive Diplomate, quo Conradus bona Ecclesiæ Frisingensis omnia confirmavit. Autographum sic habet.

IN nomine Sanctæ, & indivisæ Trinitatis Chonradus divina favente cle-<sup>Nova Ecclē-
siæ Frisingen-
si Pancharta.</sup> mentia Romanorum Imperator Augustus. Si erga Domus Dei nostræ liberalitatis munificentiam piis incitati studiis ostenderit, & oportuna terreni commodi more Imperiali seu Regali eis conferimus suffragia, non solum ad temporalem regni divitiis nobis collati profectum, verum & ad aternitatis gloriam feliciter optinendam, hoc nobis multum prodesse liquido credimus, simulque patrociniis Sanctolorum nos inde beari, atque tueri non ambigimus. Idcirco omnibus Christiana Religionis fidelibus, presentibus scilicet patefeat, ac futuris, quomodo reverendus Epilbertus Sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Præsul nostram adnit celsitudinem obnixè supplicans, ut pro stabilitate ejusdem sacrosanctæ Ecclesiæ universas res liberalitate pia memoria antecessorum nostrorum Imperatorum scilicet, sive Regum à primo consecrationis suæ tempore, usque modo eidem concessas, & quidquid religiosa nobilium personarum, vel ignobilium traditione, seu commutatione, sive coemptione aliqua, in jus, ac investituram ejusdem Ecclesiæ in præsentem collatum dinoscitur, per nostra Imperiali renovationis præceptum, sibi roborare, atque confirmare dignemur, totamque Ecclesiæ facultatem in tutela nostra patrociniis, Mundiburdium, atque desensionem habuissimus commendatam. At nos gratuita benignitate religiosi ejus petitionibus pro Christi honore, & Sanctæ Genitricis suæ semper Virginis Mariæ Veneratione assensum præbentes, nec non dilectæ Conciliæ nostræ Gijela Imperatricis Augustæ, & caræ Sobolis nostræ Regis videlicet Heinrici, & tam Venerabilium Episcoporum, quam reliquorum conspectui nostro assistentium procerum intercessioni piè annuentes, jure auctoritatis nostræ ad præstatam Ecclesiæ nomine Sanctæ Dei Genitricis dedicatam, ubi electus Dei confessor Corbinianus corpore proficit, pro antecessorum nostrorum, & animæ nostræ remedio, & diuturna quietis nostri felicitate aternaliter in proprium donamus, roboramus, ac renovando confirmamus, quidquid ad prædictam sanctam, & Matricem Ecclesiæ hactenus pertinebat, & quidquid moderno tempore eadem Ecclesiæ in investitura ritè retinet, in quacunque videlicet Provincia Imperii nostri sive quotuncque pago, aut Marchia, vel comitatu situm sit, cum Monasteriis, Ecclesiis decimatis, sive absque decima, cum castellis, vel Vicis, cum curtibus, & casis, aliisque adificiis, familiis, & utriusque sexus mancipiis, parascaltis, smdmannis, hengistfuotris, censibus, ac capricensibus, agris, campis, vineis, terris cultis, & incultis, novalisibus vel silvis ad novalia extirpandis, pratis, paludibus, piscuis, compascuis, montibus, silvis materia, ac lignorum incisionibus, forestis, venationibus, mercatis, theloniis, & percussura proprii nominatiæ, salinis, & sartaginibus, ac locis sartaginum, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, stationibus, id est, Gistellis piscium, quos Hufones dicimus, molinis, molendinarumque locis, pontibus, vecligalibus, viis, & irviis, exitibus, & reditibus, questis, & inquirendis. Hæc omnia in omnibus ad ipsum Frisingense Episcopum legaliter pertinentia per hoc auctoritatis nostræ præceptum in jus, & potestatem sacrosanctæ Christi Matris Ecclesiæ præstatæ donamus, tradimus, & confirmando renovamus, eo rationis tenore, ut jam dictus honorabilis Episcopus, ejusque successores liberam pro utilitate ejusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ peremitter habeat potestatem, quidquid inde voluerit, faciendi absque ullius molestia. Et ut hæc auctoritatis nostræ per cuncta labentis mundi curricula firmiore solidetur stabilitate, manu nostra subter eam roborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum

Signum Domni Chuonradi imperatoris Romanorum Imperatoris Augusti.



Odatricus Cancellarius vice Arbonis Archicapellani recognovi.

Data V. Non. Mart. Indiē. XII. anno Dominica Incarnationis Mill. XXVIII. anno autem domni Chuonradi secundi regni V. Imperii verò III. a Clum Frigisinga.

Hanc Panchartam, seu generalem omnium jurium confirmationem video in quibusdam antiquis Codicibus non incongruè appellari *Stabilitatem Frisingensis Ecclesie*. Cæterum quantum Egilbertus rebus Frisingensibus profuerit, cum hanc à Cæsare confirmationem impetraret, non est opus monere prudentem Lectorem.

§. III.

Prosecutio Actorum Imperii & Egilberti usque ad annum Christi 1034.

ANno hujus Christiani sæculi tricesimo antiquè inter Bojos, Hungaròsque lites eò exarserant, ut in mutuas etiam cædes, & incendia grassarentur. Ea occasione Conradus Imperator in Hungaros bellum decrevit, exercitumque cum Ducibus misit, qui tamen cum Hungaris imminerent, subito terrore percussi re infecta in Germaniam redire fremente Augusto. Datum id precibus Sancti Regis Stephani, qui cum sese propullandis armis Cæsareis imparem sentiret, unà cum suis, precibus, ac jejunii vindicem Numinis dexteram cohibuerit. Stephanus deinceps legationem ad Henricum Regem juvenem in Bojariam misit, atque ab eo pacem petiit: quam etiam ipse Rex adolescentulus annitente haud dubiè Egilberto nostro, moderatore suo, aliisque proceribus, annuit, infcio licèt Parente Cæsare: qui tamen deinceps nihil ulterius in præsens contra Hungaros statuit, propitiam utique Stephano Numinis manum reveritus.

S. Stephanus bellum ab Hungaria avertit.

Wlfo Frisingensi Ecclesie facit restitutionem. l. 10. p. 212.

Ad eandem tempestatem Brunnerus refert mortem Welfonis, Boicz, Suevique Dynastæ amplissimi, cujus cum Brunone Augustano, & Egilberto Frisingensi Episcopis bella superiùs commemoravimus. Hic *fato propior*, inquit Brunnerus factum suum non modo serio detestatus est, sed *justis omnibus placulis caput noxa exemit; cujus magnitudinem cum Aqua frigida censurâ, solenni illius*

illius evi examine, agnovisset, annumerare utrique Episcopatu amplas possessiones non ante desistit, quam eodem iudicio absolveretur. Hæc ille. Nos, quid Welfo Frisingensi Ecclesiæ five reddiderit, five adjecerit, inter Frisingenses tabulas hæctenus non reperimus: illudque unum Lectorem monemus, sub *cenfura aqua frigide* aliud non intelligi, nisi purgationis quoddam genus, quo criminis alicujus suspectus, vel accusatus, in aquam demergebatur, ita, ut, si supernasaret, nocens, ac reus: Contrà, si in imum delaberetur, innocens iudicaretur: cujusmodi probationes (ait Hofmanus in Lexico) apud mediæ ævi scriptores frequenter occurrunt. Fundamentum earum hoc fuisse ex Hincmaro nostro Remensi refert: *Et quoniam (ait Hincmarus) ostendimus, divina auctoritate baptismum esse iudicium, quo princeps mundi mendax foras ejicitur, divini Viri ad ignota investiganda invenerunt iudicium aqua frigida, in quo ad invocationem Veritatis, qua Deus est, is, qui veritatem mendacio cupit obtegere, in aquis, supra quas vox Domini intonuit, non potest mergi &c.* Hæc apud Hofmanum; ubi etiam proluxè exhibetur *Ordo ad exorcismum aqua frigida*: quod tamen iudicium posteri temporibus à Pontificibus fuit sublatum: quamquàm, observante Delrio, examinis hujus reliquæ etiamnum alicubi supersint in crimine Magiæ. Verùm de his facis.

Anno Christi 1031. Aribio Moguntinus Archiepiscopus è vita migrans, sedem illam S. Bardoni, Hersfeldensi Monacho, reliquit, quem ob insignem eloquentiam, ac Vitæ sanctitatem alterum Chrysofomum docere. Egilbertus noster eodem anno cum quodam Williborto fecit prædiorum quorundam permutationem notabilem à Conrado Imperatore Goslariz confirmatam. Dedit Episcopus Williborto prædia in Haslbach: recepit verò alia in *Dietbergirint*, ut N. 1198. fusiùs habetur in instrumento, quod in parte altera exhibemus, ad quam Lectorem remittimus.

Perstiterant interim ad illud usque tempus in Monasterio Benedictoburano ii, de quibus alibi egimus, seculares Clerici, quorum Majores curam restaurandæ illius Ecclesiæ à S. Udaltico ac Ottone I. Imperatore acceperant. Horum ultimus Rector Reginbertus II. cum ei Monasterio paulatim tot prædia restituta fuisse conspiceret, quæ congruo Monachorum cætui alendo sufficerent, præfesse deinceps non ausus. Imperatorem Conradum II. Anno 1030. accessit, rem omnem fideliter exposuit, & ut Benedictinis hominibus Monasterium restitueret Cæsar. supplex monuit, solum sibi Parochialis Ecclesiæ curam deinceps deposcens. Plurimum eam rem promovit auctoritas Adalberonis Comitis de Sempta Monasterii Advocaci, nec non Eberhardi Episcopi Augustani, quorum intererat cultum Dei restituere, & piissimorum fundatorum voluntati atque institutioni satisfacere. Florebant verò ea ipsa ætate præcipua Monasticæ observantiæ laude apud Tegernseenses B. Ellingerus, primum ab anno Christi 1017. usque ad annum 1026. Amplissimi illius Monasterii dignissimus Abbas; postea anno Christi 1031. in eandem Abbatiam restitutus. Nemini alii aptiùs reducendæ regularis disciplinæ provinciam demandari posse credidit cum Episcopo, & Adalberone Reginbertus, quam Viro illi Sancto, & monasticæ vitæ Magistro exercitatissimo. Hunc igitur ad Divi Benedicti Regulam in Monasterium Benedictoburanum reducendam placuit commendare Imperatori, qui etiam justissimæ petitioni facilem assensum præbuit. Beatus igitur Ellingerus Imperatoria auctoritate ad illud Monasterium 3. Kal. Nov. an. 1031. profectus, viribus omnibus deinceps connisus est, ut aliam rebus, sacrisque ritibus faciem reduceret. Verùm dum anno non integro sacros labores reformationi impendit, à suis domum revocatur, & proprii Monasterii rebus adesse jubetur, 11. Kal. Octobris anno 1032. ad suos Tegernseenses reversus. At non idcirco cepto apud Benedictoburanos operi manum subtraxit, sed è suis sibi substituit virum nullis laudibus dignè prædicandum, Beatum scilicet Gobelhelmum, cui undecim Tegernseenses Fratres, uti & libros quos-

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising

F E

dam,

Quid sit iudicium aqua frigida?

Monasterium Benedictoburanum Benedictinis restitutum.

dam, Benedictinis ritibus servituros, & alia quaedam utilia liberaliter adjunxit. Ita Divi Benedicti sacra in Benedictoburano Monasterio tandem iterum fuere restituta. Sanè quamdiu Tegernseenses illi uodecim subsidiarii in eo Monasterio perflere potuerint, sub Nitkero Episcopo, Egilberti successore, commemorabimus. Ioterea Gothelmus Ratisbonæ anno 1033. prid. Kal. Octobris etiam Imperatoria auctoritate Benedictoburanz Abbatiæ admodus, *investitus*, & institutus fuit.

Anno interim Christi 1032. XV. Kal. Februarii Conradus Imperator ad preces Egilberti compluribus prædiis Meinwercum Paderbornensem Episcopum donavit. Literas donationis P. Nicolaus Schaten S. J. io Aooalibus Paderbornensibus recitat. Ex literis in *Hiltirvardehusen* fuere scriptæ atque signatæ. Biduò ante, nempe XVII. Kal. Febr. Paderboroz interuentu Egilberti Episcopi, Moderatoris Henrici Regis, Conradus Imperator fundationem Monasterii Abdingkoriani confirmaverat, uti in iisdem annalibus legitur.

Romæ Aooo Christi 1033. Joaoes XVIII. Pontifex Maximus obiit, intrusò paulò post Benedicto IX. ætate puero. Factum illud Scandalo plenum fuisse deplorat Baronius, idque fastui, atque ambitioni Alberici, Comitis Tusculani, qui parens Beoedicti erat, tribuit. Detestatur etiam idem facinus apud Pagium Victor III. Papa, Sacerdotum quorundam avaritiæ, ac Simoiaicæ lobi illud adscribens. Nos non immeritò adscribemus utrisque. Alberici Ambicio emit, Clericorum illorum avaritia vendidit Pontificatum, ut tum ex Baronii, tum ex Victoris III. verbis apparet. Porro vociferantibus super eo factò novatoribus nostris Baronius hæc inclamat.

Facine ista, inquit, Ecclesia ipsa Romana, an patitur, cum in eam indignus intruditur, & monstrum aliquod seculari potentia in sacrosanctam illam sedem provehitur, & exaltatur? sed quòd pati ista coacta sit, jam ipsa sacra superius enarrata declarant, & qua sunt dicenda, monstrabunt. Quæ ratio patitur, quæ charitas persuadet, quæ Judicis recti discretio imperat, ut præter omne jus, sisque ita injurgatis in eam? veluti cum quis in hominem incidat à latronibus spoliatum, vulneribus confossum, sanciatam, in luto & suo sanguine volutatum, semivivum relictum, in foveamque precipitatum: non in grassatores ipsos servissimos ulcricibus impetat, detestatusque eos, conuermis, atque maledictis atrocibus impetat, sed ea convertat probra cuncta in arumnosum illum ac miserum, miseriarum planè scopum, ejusque non alliget vulnera compassione, sed confricans destructione, scalpensque blasphemis majori crudelitate faciat recrudescere? hæc Baronius, qui post plura tum sua, tum aliorum lamenta subdit: Inverim autem, quòd mireris, tanta tunc vigebat observantia toto Catholico orbe erga Romanam Ecclesiam, ut, quemcumque audirent throno insidere Petri, colere eum, & venerari non decreverent, cum non ipsam sedentem, sed eum, cujus vice sederet, imprimis attenderent. hæc ille: qui deinceps probat, Benedictum illum fuisse agnitum, habitumque Pontificem Romanum, eamque rem è S. Petro nostro Damiao Synchrono Cardinali explicat.

Cùm eum in modum Benedictus IX. turpitudinibus Sedem Petri iniquaret, Egilbertus noster Frisingensem Ecclesiam tum exemplis optimis implevit, tum etiam ovis dominiis ampliavit. Certè tres insignes donationes hoc anno à Conrado Cæsare impetravit, quas pro sua dignitate hisce inferendas esse omninò censuimus. Prima sic habet.

IN nomine Sanctæ, & indivisus Trinitatis Chou radus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si Venerabilia Ecclesiarum Dei loca alicujus domi incremento sublimare studemus, id proscèlo nobis, nostrique regni status liquido proficere minime dissidimus. Quapropter omnium Christi fidelium præ-

Egilbertus etiam aliis gratias impetrat.

Benedictus IX. intrusus.

Cum injuria Ecclesie.

presentium scilicet, ac futurorum noverit universitas, qualiter nos divini amoris instinctu pro remedio anima nostra ob interventum, & petitionem dilectæ nostræ Conjugis Gisile Imperatricis Augustæ, nec non Henrici Regis filii nostri, ob jure etiam, devotissimeque servitium fidelis nostri Egilberti Frisingensis Ecclesie Venerabilis Episcopi, eidem Prasuli, suæque Ecclesie Frisingensi largiti sumus in Orienti parte juxta fluvium Urula vocatum in Comitatu Marchionis Adalberti cum omni lege Hobas Regales duas, que antea ad Murum sui Juris curtem ibi juxta jacentem ex rebus regni pro beneficio concessa sunt, & insuper hobam unam regalem prope fluvium eundem inferius jacentem, quam habuit in beneficium predictus Marchio Adalbertus, & etiam in medio utriusque partium jugera XXX. supradicta curti contigua, que Ario de Ensinburg in beneficium habuit, cum omnibus ejus apenditiis, arcis, edificiis, exitibus, & redditibus, visis, & invisis, cultis, & in alendis, quasiis, inquirendis, agris, campis, pratis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, seu cum omnibus utilitatibus, que sic dici, aut scribi possunt, easque per hanc nostram Imperialem paginam de nostro jure & dominio in ejus Jus & dominium transfundimus, & in proprium tradidimus, ea videlicet ratione, ut jam dictus Prasul, sui que successores liberam deinceps potestatem habeant in usum Ecclesie quidquid eis placuerit, faciendi. Insuper vero eidem Episcopo confirmavimus ibi cetera sui Juris bona à termino Orientali, ubi Lindimannespah insuit lbfisch, & inde Pheznica, deindeque Rudnicham, itaque à termino occidentali à villa Chrellindorf usque in fluvium Zuchaha & ad Rudnicham, sequæ ad Montana Carinthiam respicientis. Et ut hæc donatio imo confirmatio auctoritas stabilis, & inconvulsa omni ævo permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes sigillo nostro insignimus.

Constat
Imp. Egilberti
Episcopo
donat bona
in Austria.

Signum Domni Choucradi Romanorum Imperatoris invictissimi.

Burhardus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovi.

Data Non. Maj. anno Dominice Incarnationis Millesimo XXXIII. Indictione II. anno autem Domni Choucradi secundi regnantis X. Imperii VIII. Actum Radaspore feliciter. Amen.

Alterius donationis Mensè Julio secutz instrumentum, quod merita Egilberti solidè depingit, sic sonat.

IN nomine Sanctæ, & individue Trinitatis Choucradius divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Si loca Venerabilia divino cultui mancipata ob memoriam divine remunerationis munere nostræ consolationis benignius adaugendo ditare decrevimus, hoc non solum Nobis ad Regni nostri commodum, verum & ad animæ nostræ remedium salubriter provenire credimus. Quapropter omnium Christi, nostrorumque fidelium, presentium scilicet, & futurorum universitati nocum esse volumus, qualiter nos summa Divinitatis intuitu per interventum amantissima Conjugis nostræ Gisile Imperatricis Augustæ, nostrique dilecti filii Henrici Regis cara petitione, nec non ob assiduum fideleque servitium Egilberti Frisingensis Ecclesie Venerabilis Episcopi, qui præ cæteris multiplicato genere servientis, & nobis pro viribus gratanter servivit, suumque servitium in hoc multipliciter adauxit, quod eundem unicum nostrum filium per nos sua fidei commendatum plena fide vice nostræ fovit, amplectitur, amavit, & per omnia fideliter educavit, tradidimus ad altare semper Virginis Mariæ, Sanctisq; Corbiniani nobilissimi Christi Confessoris in civitate Frisinga corpore quiescentis, Curtem Alarun sitam in Marchia, & in Comitatu Adalberti Marchionis, cum omnibus ad eundem locum jure ac legaliter pertinentibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum arcis, edificiis, agris, vineis, campis, terris cultis, & incultis, pratis, piscuis, silvis, venationibus, aquis,

Commendat
Imperator
merita Egilberti Ep.

Et præmiò
novò prete-
quitur, acempe
bonis in Mar-
chia Orienta-
li live Austria.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

FF 2


agua

aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis, & inviis, exitibus, & reditibus, quasitis, & inquirendis, seu cum omni utilitate, que vel scribi, aut nominari ullo modo potest, eandemque Curtem de nostro jure, ac dominio ea ratione in jus, atque dominium prefata Frisingensis Ecclesie omnino transfudimus, & in perpetuam proprietatem donavimus, ut idem Venerabilis Antistes Egilbertus, & Successores sui absque violentia ullius nostri successoris, si-ve Regis si-ve Imperatoris liberam posthac licentiam hanc habeant potenter possidendi, commutandi, vel quidquid inde sibi salvo jure Ecclesie placuerit, faciendi. Et ut hac Imperialis nostra traditionis integritas stabilis, & inconvulsa per futura annorum curricula perseveret, hoc auctoritatis nostra preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione insigniri jussimus, & ambo nos Ego, idemque filius meus dilectus Rex videlicet Henricus, Ego ipse humiliter interveniente, Ille me consentiente, atque jubente, uterque in sui Nominis signo manu propria subius corroboravimus.

Subscribitur

Signum Domni Chuonradi invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Fuit Imp.



Signum Domni Henrici tertii Regis gloriosissimi.

Et filius Rex.



Burchardus Cancellarius vice Bartonis Archicapellani recognovi.

Ex itrogr-
pho pendet
sigillum
plumbeum
hujus figure.

Data XIII. Kal. Augusti. Indict. I. Anno dominice Incarnacionis Millefimo trigesimo tertio. Anno vero Domni Chuonradi secundi Regni Nono, Imperii autem septimo, anno etiam Domni Henrici Regis tertii sexto. Actum Imileb feliciter. Amen.



Tertia denique donatio sequentia continet.

IN nomine Sanctæ, & individua Trinitatis. *Charvradus Divina favente Clementia Imperator Augustus.* Si Venerabilis Ecclesiarum Dei loca donò liberalitatis nostræ in aliquibus adaugere studemus, id profectò ad statum regni nostri, & ad salutem animæ nostræ liquido proficere non modo speramus, sed certissime scimus. Protinde omnium Christi, nostrorumque fidelium presentium scilicet, & futurorum noverit universitas, qualiter ego Charvradus gratia Dei Imperator Augustus spe divina remuneracionis, immò propter petitionem Dilectissimæ Conjugis meæ Gisla Imperatricis Augustæ, nec non, & filii nostri Heinrici Regis, insuper pro amore & servitio Egilberti Frisingensis Ecclesie Venerabilis Fidelis Egilberti Episcopi. Episcopi gemina fidelitate nobis devotissimi, altera quidem, quod in nostro semper strenuus erat obsequio, altera verò, quod eundem sibi nostrum a nobis sua procuracionis vigilantia commendatum paterno educavit animo, dedi ad altare Sanctæ Dei genitricis Mariæ in civitate Frisingæ, ubi egregius Christi Confessor Corbimianus corpore requiescit, curtem Enilingun² sitam in Comitatu Forst Ainsling, in districu Aichens. Udalsalcii Comitatus cum omnibus ejusdem loci justiciis, caterisque pertinentiis, cum Ecclesia, dote & decimis legitime confirmata, cum aris, edificiis, & utriusque sexus mancipiis, exitibus, & redditibus, püs, & irrüs, agris, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, quasitis, & inquirendis, cultis, & incultis, & cum omnibus utensilibus, quæ aut scribi, aut nominari possunt, eo videlicet tenore eandem curtem de nostri Domini jure in jus, & dominium prædictæ Frisingensis Ecclesie omninò transfundimus, & in proprium perpetuò possidendum tradidimus, ut idem Venerabilis Præsul Egilbertus, sui que successores liberam habeant potestatem, eam, sicut alias Ecclesia proprietates libere possidendi, & si opus fuerit, commutandi, seu quidquid ad usum Ecclesie sibi libitum fuerit, inde faciendi. Es ut hæc nostra Imperialis traditio stabilis, & inconvulsa omni permaneat ævo, & ut nullus nostrorum, vel alia persona hæc nostra dona audeat violare aut infringere, hæc præcepti nostri paginam inde conscriptam ipse, idemque dilectus filius noster Rex Heinricus, Ego jua petitione, ille nostra licentia, & collaudatione, uterque in suo Monogrammate manu propria subtus roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Dat. anno Domini & Incarnacionis M. XXXIII. Indiæ. J. XII. Kal. Augusti. Actum apud provinciam Turingam apud Regalem Curtem Imleb.

Vides, Lector, quantum Ecclesie Frisingensi annò unico contulerit Egilbertus Episcopus, præconem illustrissimarum virtutum suarum nactus omni exceptione majorem, Cæsarem?

§. IV.

Reliqua Egilberti, ejusque temporis gesta.

Commuta-
tio honorum
inter Egilber-
tum Episco-
pum, & Adal-
beronem Co-
mitem Scap-
pentinam.

Rebus tum Frisingensibus, tum Eberspergensibus lucem afferre posse censuimus Instrumentum commutationis, quæ inter Egilbertum Episcopum nostrum, atque Adalberonem Comitem de Semptra facta est Anno Christi M XXXIII. literæ illæ sequentia exhibent.

Notum sit cunctis Dei fidelibus, scilicet presentibus, & posteris, concambium, quod effectum est ab Egilberto Frisingensi Cathedra Episcopo cum Adalberone filio Oudabici strenuissimi Comitis, Regula justitiæ Noricæ comitatum provincie gubernante. Tradidit quippe idem Antistes predicto prefidi per manum Uodalfralchi fratris Advocati Basilicam in Vico, Oprendorf* vocitato, sitam, cum decimatione, & dote, universoque sacro regimine Ecclesiastici Ordinis juxta dominicum usus, ac publicum usus, ipsum insuper supra scriptum legitime addendo viculum cum arvis, edificiis, terris cultis, & incultis, questis seu inquirendis, exitibus, atque redditibus, pascuis, pratis, silvis, vis, & invitis, aquis, aquarumque decursibus, cum cunctis mobilibus, immobilibus ad eundem locum pertinentibus, nec non in alia villa Rimidungum* dicta unum adiciens mansum, sine contradictione omnium possidendum, vel, cui libeat, donandum. Nec mora jam memoratus Præses conferta, ac super affluentis recompensatione universa Præsuli retribuit, aliam Ecclesiam reddens dotatam cum additione unius mansi in vico, in quo eadem posita est, Tegrinbach appellato, secundam conditionem superius comprehensam. Quocumque autem in eodem loco æqua sibi retributionis desuit, in aliis territoriis complevit, in pago Rudolfeshujum dicto unum mansum, & in aliis duabus villis utrisque Humulspach nuncupatis, utrinque bmos mansos cum dedisset. His igitur transactis præfatum Comes prædium à Pontifice acceptum, veluti moris est, tridiana possessione in proprium jus vendicavit. Pactum namque hujus traditionis Anno M XXXIII. ab incarnatione Dominica, Indictione II. excellentia Clericali, nobilitatque militari, ac familia utriusque partis id adprobantibus peractum, ad notitiam Cesaris Chvonradi Secundi Romanorum Imperatoris Augusti, ipsiusque filii Henrici Noricorum Ducis cum esset delatum, Regia eorundem auctoritate, seu jussu, stabili tenore roboratum est. Ne quisquam, qui justitiam stiat, illud præsumat evellendo violare, verum justitia seclatores perceptum inconvulsam tueantur; postmodum vero idem Comes divino compunctus instinctu, anima pro remedio sua suorumque ipsius prædii proprietatem cum irrevocatura, juxta omne jus, quo ipse hanc suscepit, dedit ad altare Sancti Sebastiani in Carnobio Eparcespergensis Deo militantium legaliter mancipans fratrum.

Hoc instrumentum eò promptius in lucem protraximus, & statim hic apposuimus, quod illius nec in Chronico Eberspergensis, nobiscum benignè communicato, nec apud R. P. Adamum Widl S. J. ejus tractatus mentio occurrat; ipsuque instrumentum etiam dilucidando per id temporis Sempentium Comitum statui, atque conditioni perquam commodum videatur. Porro sub nomine Oprendorf existimamus aliud, in hac membrana non intelligi, nisi Vicum Oberndorf, Monasterio Eberspergensis vicinum, ut omnes norunt. Reliquorum locorum in instrumento designatorum vocabula non facis assequimur; & hariolari non juvat.

Cæterum eodem anno illustre modestiæ exemplum S. Poppo, Stabulensis in Diocesi Leodiensi Abbas, Germaniæ prætulit, dum à Conrado Imperatore Argentinensis Pontifex renuntiatus, honorem constanter respuit, jussus dein-

Poppo Abb'is
stabulensis.

teps & coactus reformationem Monasteriorum suscipere, quod etiam præclare præstitit, uti Bucelinus in Annalibus refert.

Proximò annò, Christi 1035. Conradus electus Imperator, more antecessoribus usitato, & à Scriptoribus meritò commendato, plures regni provincias sibi subiectas, suis ipse oculis lustravit, & Natalicias quidem Christi ferias Argentiniæ, Purificationem Deiparæ Augustæ, Pascha Ingelheimii, Ascensionem Paderbornæ, alia festa alibi celebravit: de quibus iterum laudatus noster Bucelinus scribit.

Deinceps annò Christi 1037. Henricus Rex ooster, Chunihildem, Danorum Regis filiam uxorem duxit. Conradus verò parens in Italiam cum exercitu festinavit, bellumq; seditiosis non sine propriæ vitæ discrimine intulit, parum prosperè postea continuatum, cum in ejus exercitum dira lues grassaretur: qui nihilominus juxta toties laudati Bucelini Aonales à Summo Pontifice postea annò 1038. coronâ Imperii redimitus est. Is interpellatus à Casinensibus nostris, in Campaniam movens Pandulphi Capuz Ducis insolentiam fregit, eumque Principatu movit, cum interea mortem obiisset Chunibildis, Uxor Henrici Regis, ac Ducis nostri, quem eodem anno Cæsar parens etiam Hermanno Alemanniæ Duci in Italia mortuo suffecit. Is ipse annus S. Gothardo, toties à nobis laudato Hildesensium Aotistini supremus fuit, inter cujus laudes Brunnerus refert, etiam mortuos, qui vivi è fidelium communiõne fuerant ejecti, viro sancto morem gessisse: Cujus tamen rei exempla tum in Vita S. P. Benedicli, tum alibi reperimus. Porro S. Gothardum ad superiores comitatus est S. Stephanus Hungariæ Rex: post quos etiam Conradus Imperator anno Christi 1039. Scepterum, vitamque Trajecti posuit. Ejus cadaver cum Spiram portaretur, Henricus Rex filius, raro pietatis exemplò, ad omnium toto itinere templorum aditus, feretrum subiit. Porro Spiræ in Basilica, quam, Trithemio teste à fundamentis novam erexit, tumulo illatus est: qua ipsa in urbe eodem anno obiit S. Reginbaldus, olim S. Udalrici Augustæ, postea Eberpergæ, tum Laurisbemii Abbas, ac demùm ejus civitatis Episcopus Religiosissimus. Denique inter nobilissima illa funera mors etiam Egilbertum nostrum eo ipso anno numeravit: sicque Henricus Rex noster uno eodemque anno Patrem utrumque, naturalem scilicet, ac spiritualem amisit; de anno mortis Egilberti inferius iterum agemus.

Cæterùm Henricus, Patris in Imperio successor, cognomento, ut diximus, Niger, moderatione Regni, rerumque gestarum gloria, ut Otto noster Frisingensis commemorat, Pareotis virtutes deinceps supergressus est.

Sanè quæ hæcenus de Egilberto nostro gesta reculimus, erant acta illustriora certorum ahorum. Super sunt verò longè plura alia, quorum certæ notæ chronologica non exstant. Ex iis sequentia delibamus. Et Egilberti quidem virtuti, ac Religioni meritò tribuimus, quòd ipso in hac Frisingensi cathedra feliciter sedente, non solum à Regibus, & Imperatoribus, verùm etiam ab inferiorum subfelliorum fidelibus plures donationes factæ sint Frisingensi Ecclesiæ. Inter has legitimus Wichmannum nobilem tradidisse ad altare S. Crucis in Ecclesiâ S. Mariz prædia in *Richanbach*, & *Hochinssteima* in usum Clerici, altari illi deservientis. Aribonem itidem Virum oobilem, tradidisse pro animæ suæ, & Egilberti Episcopi remedio bona quædam sua in *Kiebna* ad altare S. Urbaoi. Altmannum comitem, cogitantem de remedio *Senioris sui Egilberti Pontificis*, prædium ad *Skeftularum*, seu Scheftlarn, donasse in manus Geroldi, qui eo tempore Frisingensis Ecclesiæ Advocatus erat, & in instrumentis quàm pluribus laudatur. Waltoem, Ecclesiæ Frisingensis servum, & Presbyterum donasse prædium suum in *Hebersbach* ad altare S. Crucis eo fine, ut istius Frisingensis Ecclesiæ custodibus, Clericis, & laicis esset in *passum ac famulatum*. Altmannum virum oobilem delegasse ad *oblationem* seu servitium fratrum prædium in *Arzbach*. Burchardum oobilem obtulisse ad arbitrium Egilberti Episcopi, quiddid possederat in *Aimbussa*, Item viciniam

Conradus provincias Imperii vi-
sitat.

Annal. German.

Conradus coronam Imperii accepit.

Mors S. Gothardi.

S. Gregor. I. 8. Dial. c. 27.

Et Conradi Imper.

Elmair. Min-
sang. Tom. 1.
ad ann. 1039.

Idem ibid.
Item S. Reginbaldus.
Ac Egilberti noster.

Henricus successit Patri.

Ld. 6. c. 30.

Donationes factæ Ecclesiæ Frisingensi.

N. 1157.

N. 1158.

1159.

1160.

1161.

1162.

1164.

1165.

à N. 1166.
si que 1169.Communitio-
net. ab Egi-
berto Episcopo
facta.Prima cum
Collegio Ca-
thedrali.

neam in *Bouzana*. Fridericum Comitem exhibuisse bona quædam in *Gerhartinga* ad dispositionem Egilberti Episcopi. Adalberonem Comitem donasse *Feisingen* Ecclesie, quidquid possederat in *Leugirvel*. Alios alia bona variis conditionibus *Frisingen* Basilicæ consecrassè. In quibus instrumentis obiter observamus, apparere ex his tractatibus, singulis ferè Ecclesie Cathedralis Altaribus proprios Ministros Clericos fuisse eo tempore deputatos.

Inter commutationes bonorum, quàm plurimas, quas ab Egilberto Episcopo factas suo loco recitabimus, sequentes singularem mentionem hic mereri videntur. Prima, quæ inter Episcopum, & Cathedrale collegium coniugit, hæc continet.

Illud, & rationabile videtur, ut quidquid secularibus agitur negotiis: testimonio veracium testium, & serie litterarum ita ligetur, atque firmetur, ne postmodum ullo modo dissolvi vel infringi queat. Proinde noverit industria omnium, qualiter placuit, atque convenit inter Venerabilem Egilbertum Episcopum, & Canonicos Sancta Frisingensis Ecclesie una cum Domino Werinhardo Praeposito ac Magistro fratrum eorundem quoddam concambium facere, sicut & fecerunt. Tradidit namque idem Venerandus Antistes cum manu Advocati sui Uodalfraldi in manus ejusdem Domni W. & advocati sui Altmami Comitis de rebus Ecclesie sue loca infra nominata, id est, *Fiohta* cum Ecclesia decimata, excepta tantum decima, qua pertinet ad pauperes. *Oporandorf* quoque, & *Zorogelsinga* cum Ecclesiis in utrisque locis constructis, & quidquid in beneficium habuit domus supradictus, tam in mancipiis, quam in rebus ceteris. Insuper post obitum vite sue ad *Oranpabha*, quod praesatus Senior precaria possessione tunc possidebat. Item ad *Nitlaranpabha* post obitum *Ariponis*, cui precario nihilominus jure illud erat concessum cum Ecclesiis in utrisque locis constitutis, excepta item decima, qua ad pauperes pertinet, & molendinas duas, unam ad *Frisingam*, alteram ad *Weidland* totum atque integrum ad usum Canonicorum in sede supra dicta Christo famulantium tradidit, atque firmavit. Complexis quoque ad idem concambium locis his, id est *Weingi*, & *Erlpah* omnibusque, qua usque ad hoc tempus in beneficium erant concessa ab Episcopo cum mancipiis utriusque sexus tam in praedictis locis manentibus, quam etiam his, qua de parte Episcopatus usque in locis potestati fratrum concessis habitare videbantur. Contra praebatus Domnus W. cum manu Advocati sui A. in Manus Venerandi E. Episcopi, & Advocati sui Uo. de rebus fratrum in comitatu *Carniola*, quidquid eidem fratribus dono & largitate bone memoriae *Henrici Imperatoris* traditum erat, in recompensationem traditionis supradicta potestativa manu retradidit consentientibus, & ambarum partium traditiones collaudantibus tam universo Clero, quam populo, & cunctis pariter fidelibus suis tam nobilibus, quam ex familia ad hoc electis. Et totius hujus commutationis tenor hoc sine ac ratione conclusus, & perfectus est, ut tota ratio praedicta commutationis evo perpetuo ob commune compendium utriusque partis stabilis, & inconversa permaneat. Testes *Perahold*. Item *Perahold*. *Uodalfrich*. *Hart. Wich*. *Jacob*. *Dierich*. *Werian*. *Wazaman*. De familia *Heibrich*. *Reginhaln*. *Chonrad*. *Gervvic*. *Epararo*. *Waldman*. *Raz*. *Rihker*. *Erchanfrid*.

Diversi redi-
tus Episcopi
& Canonicorum
cum Cathedr.

Ex hoc instrumento clarius, atque ex aliis hætenus adductis liquet, tempore Egilberti ararium, atque prædia Episcopi, atque Canonicorum non fuisse amplius communia, & alium fuisse Episcopi, alium Canonicorum Advocatum. Item decimam quandam Ecclesiarum partem pauperibus fuisse seorsim referatam.

Cum Gebehardo ejus nominis tertio Episcopo Ratisbonensi, *Conradi Imperatoris* fratre, Egilbertus Episcopus sequentem tractatum inire cogitabat. Gebe-

Gebhardus Episcopus animæ suæ post mortem æternæ retributionis præmia præparaturus, ad aram B. M. V. ac Sancti Corbiniani Frisingæ obtulerat hæreditaria bona in *Legian* unâ cum mancipiis, ædificiis, silvis, venationibus, cæterisque omnibus, quæ in eodem loco eousque possederat, ea tamen conditione, ut bonorum illorum usus primùm post ipsius mortem ad Canonicorum Frisingensium collegium devolveretur. Tantæ liberalitati, ut responderet Egilbertus, volebat Gebhardo Episcopo assignare usumfructum aliorum quoque Ecclesiæ Frisingensis bonorum, tum in *Legian*, tum etiam in *Porpian*, *Sustis*, *Tieres*, *Albiun*, *Tamurcis*, *Tsevis*, *Tjusis*, ad *Seget*: item silvam ad *Gredine*, ita, ut penes Gebhardum non tantùm fructus prædiorum Frisingensi Ecclesiæ ab eodem oblatorum salvi manerent, verùm etiam fructus ex cæteris assignatis Frisingensis Ecclesiæ prædiis ac possessionibus ad eosdem vitæ dies accederent: post ejus verò mortem dominium, & fructus utrorumque prædiorum Ecclesiæ Frisingensi proprii manerent. At Gebhardus veritus, ne hic tractatus sibi quidem perquam utilis, Numini parùm probaretur, Conditionem ab Egilberto oblatam acceptare noluit, & dominium bonorum suorum eidem Egilberto Episcopo, ejusque Ecclesiæ ita jam in præsens proprium esse voluit, ut fructus eorum non nisi veluti Clien, seu beneficiarius, dum proviveret, in suos usus convertere posset, donatione videlicet domini *inter vivos*, non verò *mortis causa* facta, uti Jurisperiti appellare consueverunt. Ita interpretatur Instrumentum ex more sæculi illius facis obscurum, quod in parte altera exhibemus.

Inter Udalricum Tridentinum Episcopum & Egilbertum nostrum con-
venerat, ut Udalricus Episcopus bona in *Gudago*, ab Ecclesiâ Frisingensi nimium
distantia, Ecclesiæ verò Tridentinæ viciniora acciperet ac in eorum locum alibi
viciniora prædia, sive vineas, ac terras Egilberto, & Ecclesiæ Frisingensi assignaret.

Cùm autem postea Udalricus Episcopus Tridentinus nullum certum bo-
num pro Ecclesiâ Frisingensi determinasset, ac mortem obiisset, alio ejusdem
nominis Episcopo Udalrico successore, Egilbertus noster, uti par erat, contractum
eodem annuente, rescidit, & uterque Episcopus Ecclesiæ suæ bona sibi servavit.

Magis seriam commutationem bonorum fecit Udalricus Ecclesiæ Fri-
singensis Advocatus seu Defensor cum Gebhardo Ratisbonensi Episcopo,
eidemque in Vico *Grub**, haud procul à loco Martyrii S. Emerammi sito
quinque jugera dedidit.

Contra Episcopus eidem Advocato alia bona tum intra, tum extra mu-
ros Ratisbonensis civitatis redhibuit. Inter testes nominatur Nizzo, quem
suspitari quis posset Egilberti in sede Frisingensi Successorem, Nickerum aliàs
communiter appellatum: Verùm de hoc suo locò.

Ex Commutatione inter Episcopum nostrum Egilbertum, & Himildrum
Sanctimonialem circa quædam prædia sub certis conditionibus facta aper-
tè constat, adhuc tempore Egilberti Episcopi Mospurgi superfuisset Carno-
bium S. Castuli. Exhibemus instrumentum in altera parte, ubi etiam de alia
Sanctimoniali Heliupirga mentio occurrit.

Egilberti tempore Ecclesiam Frisingensem habuisse certos milites, & ser-
vos nobiles. passim ex instrumentis apparet. Sic in instrumento quod
N. 1174. recitamus, Reiginhalmus Camerarius vocatur servus Ecclesiæ, for-
tassis quòd se ipsùm quodam pacto, aut ratione Ecclesiæ (ut cum mediæ
ætatî scriptoribus quibusdam ex Hofmanno loquamur) *obnoxiaverit*, seu ob-
ligaverit.

Conradus Sacrista, & Canonicus Frisingensis in eo, quem conscripsit,
quarto seu magno traditionum libro, cùm per compendium narrasset, quæ
& quantas bonorum accessiones sedi suæ Egilbertus fecerit, demùm hæc ad-
dit: *Omnibus his peractis Ecclesiam istam diversis & optimis, ut pro parte*

N. 1170.

DeUdalrico I.

& H. Tridenti-

nis Episcopi

ad annos 80-

ubi Egilberti

videtur

Italia Sæc.

700. p. obi

de Episcopo

Tridentina.

N. 1171.

* Groeb, Aib-

lingensis Tex-

tioris.

N. 1172.

N. 1173.

N. 1174.

N. 1175.

N. 1176.

N. 1177.

N. 1178.

N. 1179.

N. 1180.

N. 1181.

N. 1182.

N. 1183.

N. 1184.

N. 1185.

N. 1186.

N. 1187.

N. 1188.

N. 1189.

N. 1190.

N. 1191.

N. 1192.

N. 1193.

N. 1194.

N. 1195.

N. 1196.

N. 1197.

N. 1198.

N. 1199.

N. 1200.

N. 1201.

N. 1202.

N. 1203.

N. 1204.

N. 1205.

N. 1206.

N. 1207.

N. 1208.

N. 1209.

N. 1210.

* Nonne anno
Christi 1117.
qui Conradus
fuit.

in praefentiarum* cernitur, decoravit ornamentis. Cyborium enim (puta cum Alcuino apud Hofmannum, tegimen, & umbraculum Altaris) quod erat ante ignis vastationem (anno 1119. factam) super majus Altare expansum, auro & argento & lapidibus pretiosis erat intextum, Tabulam quoque (seu operimentum seu Antependium Altaris) ex auro purissimo, qua in diebus festis ante ipsum altare deponitur, fabrili opere compegit. Sacrosagium majus (capsam scilicet, in qua sacrae reliquiae asservabantur) & duos lapides iternarios (seu altaria portatilia) & libros auro, & argenteo, & lapidibus intextos, & capps (scilicet Pluvialis, ex parte posteriori Caputium habentia, & in Processionibus adhiberi solita) & casulas, qua hic habentur meliores, cum calicibus optimis Ecclesiae contulit. Plura candelabra circa chorum, & pulpitum, in quo legebatur Evangelium (more apud Benedictinos hodieum usitato) & duas Coronas (ornamenta in Ecclesia ante aras pendencia, coronae figuram praeferentia unam in choro dependentem: alteram ad S. Crucem, miro opere, ut merito de ipso dici possit: Domine dilexi decorem domus tua & l. b. g. t. (id est, locum habitationis gloriae tuae) preparaverat. Cetera quoque altaria, videlicet S. Crucis, & S. Stephani tabulis & sarcophagis auro, & argento cooperto ornaverat, Crucem majorem, ut hodie videtur, argento cooperuit. Minorem quoque auro, & margaritis cooperuit. Parvam, qua assidue deservitur, de puro argento fabricari constituit. Ampullas (seu vasa tum pro oleo catechumenorum, ac infirmorum, tum pro chrismate asservando) in Cena Domini deferendas cum septem candelabris, & sedes ferreas tres Episcopales, argento coopertas, preparari iussit. In multis quoque redivitis, quousque vixit, Ecclesiam istam ditavit. Haec Conradus Sacrista.

Alie Laudes
Egilberti Ep.

Chronicon Weihenstephanense in Egilberti laudes merito effusum, eum verbis à sacris ferè codicibus depromptis appellat *Omni laude dignissimum, Virum, quem suscitaverit DEUS, secundum cor suum, qui, ad quacunque ipsum mitteret Dominus, sine murmure pergeret; impollutus labiis, innocens, sequegatus à seculi hujus peccatoribus, caeloque excellior factus, dignus, ut sacerdotio fungeretur, haberetque laudem in nomine Domini, & offerret illi incensum in odorem suavitatis. Qui omni tempore dederit confessionem Sancto, & Excelso, in Verbo Gloria: qui de toto corde laudaverit Dominum, & dilexerit eum, qui ipsum fecit: Stare faciens cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecerit melodias. Qui disposuerit, ut esset in celebrationibus decus; statuerit fratres in unum, qui laudarent Sanctum Nomen Domini, & amplificarent in eum Sanctitatem ejus: qui in diebus suis domum Domini suffulserit: à quo etiam templi (Weihenstephanensis) altitudo fundata sit, & excelsi parietes erecti &c.* Haec Chronicon laudatum. Quibus omnibus accedunt testimonia omni exceptione majora, amor nempe singularis, quo Egilbertum arctissime complexus est S. Henricus Imperator, veluti ex instrumentis apparet. Conradus quoque Imperator eam, quam de Egilberto habuit, summam aestimationem exprimere magis non potuit, quam cum filium Henricum Regem juvenem, ac futurum Imperatorem Egilberto virtutibus Caesare dignis imbuendum tradidit.

N. 1114.
1115, &
1116.

Extant in quodam Tegernseensi Codice Epistolae tres, à Peringero & Ellingero Abbatibus ad Egilbertum Episcopum scriptae, quas Parti alteri operis inferendas censuimus, ubi eas Lector inveniet.

Annus & dies
obitus
Egilberti Episcopi.

Obitum Egilberti Episcopi Chronica Frisingensia primum, quartum & sextum cum Gamanfio in Excerptis reponunt ad diem 4. Novembris, & annum Christi 1039. quibus consonat antiquum, & ferè coævum Calendarium Weihenstephanense. Secundum verò Frisingense Chronicon notat diem qua-

quintum : tertium verò designat annum Christi 1040. ubi tamen manifestus error deprehenditur; nam Nickerum, Egilberti Successorem, jam fuisse Episcopum anno Christi 1039. paulò post manifestè apparebit.

Decessit igitur Egilbertus Episcopus, Wipponis testimonio *providus gubernator Cleri, & populi sui*, de Ecclesia sua, de Ordine S. Benedicti, de Collegiata S. Vici familia, imò de toto Imperio optime meritus, Annò Benedicti Papæ IX. septimò, Henrici tertii Regnantis (alumni olim sui) primò; Pontificatus sui tricestimò quartò : Cathedram Metropolitanam Salisburgensem moderante Dietmato, Patavienfem Berengero, Brixinenfem Hartwico, qui Brixinam mœnibus cinxit. Egilbertum ad eum, cui vivens in deliciis fuerat, Sanctum Henricum Imperatorem à morte transiisse, cum nostris Weihenstephanensibus nulli dubitamus. Tumulum corporis sui in Cathedrali sua Ecclesia ad aram S. Spiritus accepit. Virtutum magnitudo tumulò claudi non potuit.

CAPUT II.

Nitkerus XVIII. Episcopus
Frisingensis.

§. I.

*Acta tum Nitkeri, tum publica usque ad Annum
Christi 1041.*

Nitkerus, Nitkerus, Nitgerus idem sunt in membranis domesticis, quod apud quosdam Scriptores exteros Nizo, aut etiam Vizo sonat. Nitkeri nostri natales aut frustra queruntur, aut, si Aventino Nitkeri nata- credimus, obscuri fuere. Scribit ille, Nickerum habuisse fratres ber- Bernulphum & Machtunum, *obscuris crepundis apud Bojos occidentales Reginoburgii ortos.* Quod si ita est, nullum ab avis splendorem Nitkerus accepit. Monuimus in superioribus in instrumento quodam Egilberti inter testes nominari Nizzonem. Sanè an hic Nizzo idem sit cum hoc, de quo agimus, Nickerò, non ausim asserere, maxime cum hic Episcopus in aliis membranis Frisingensibus constanter vocetur Nitkerus. Ita in Nickerò plura sunt, eruntque obscura. Ingentem tamen scientiarum thesaurum capaci ingenio Nickerum comparasse ex eo constat, quia in fastigium Frisingensis Electio. Cathedræ emerfit Cæsaris Henrici fortassis favore, & Gebhardi ejusdem fratris, Episcopi Ratisbonensis, patrocinio : quod iis temporibus infrequens non erat, cum Clerus quidem eligeret, at aliquando non alium, quàm qui Cæsari probaretur : quod etiam in ipsorum summorum Pontificum electione aliquoties observatum fuisse, hæc ipsa, de quibus scribimus, tempora facis demonstrant, & posteriora etiam clariùs demonstrabunt. Verùm ad acta Nitkeri deveniendum est.

Nickerum & apud Imperatorem valuisse, & Ecclesie sibi concredite curam laudabilem gessisse, patet ex Pancharta Imperatoria, qua omnium & singulorum Ecclesie Frisingensis jurium confirmationem primis statim Regiminis sui mensibus, aut diebus ab Henrico imperavit. Præceptum Imperatoris sic habet.

Confirmatio
Jurium Ecclē-
sæ Frisingen-
sis.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Henricus divina favente Cle-
mentia Rex. Si erga Domus Dei nostræ liberalitatis munificentiam piis
incitati studiis ostenderit, & opportuna terreni commodi more imperiali seu
regali eis conferimus suffragia, non solum ad temporalem regni divitiis nobis
collati profectum: Verum & ad aternitatis Gloriam feliciter obtinendam,
hoc nobis multum prodesse liquido credimus, simulque patrocinii Sanctorum
nos inde beari, atque tueri non ambigimus. Idcirco omnibus Christiana Re-
ligionis fidelibus scilicet patefcat ac futuris, quomodo Reverendus
Nitkerus Sanctæ Frisingensis Ecclesia Præsul nostram adiu Celsitudinem, ob-
nixè supplicans, ut pro stabilitate ejusdem Sacrosanctæ Ecclesiæ unversas res
liberalitate pia memoria Antecessorum nostrorum Imperatorum scilicet sive
Regum à primo Consecrationis suæ tempore usque modo eidem concessas, &
quidquid religiosa nobilium Personarum vel ignobilium traditione seu commu-
tatione sive cõmutione aliqua in jus ac invisituram ejusdem Ecclesiæ in pre-
senti collatum dimiscitur, per nostræ Regalis Renovationis præceptum sibi ro-
borare atque confirmare dignemur, totumque Ecclesiæ facultatem in tutela
nostræ singulare patrocinium, mundiburdium, atque defensionem habuissemus
commendatam. At nos gratuita benignitate religiosi ejus petitionibus pro Chri-
sti honore, & Sanctæ Genitricis suæ semper Virginis Mariæ veneratione assen-
sum præbentes, nec non nobis dilecti Dietmari Saltzburgenſis Ecclesiæ Archi-
episcopi, & aliorum tam venerabilium Episcoporum, quam reliquorum com-
psectui nostro assistentium Procerum intercessioni piè annuentes jure auctorita-
tis nostræ ad præfatam Ecclesiæ nomine Sanctæ Dei Genitricis dedicatam,
ubi electus Dei Confessor Corbinianus corpore quæſcit, pro Antecessorum no-
strorum & animæ nostræ remedio, ac diuturna profectus nostri felicitate æter-
naliter in proprium donamus, roboramus, ac renovando confirmamus; quid-
quid ad prædictam Sanctam & Muricem Ecclesiæ hætenus pertinebat,
& quidquid moderno tempore eadem Ecclesiæ in vestitura ritè retinet, in
quacunque videlicet provincia regni nostri sive quocunque pago, aut Marchia,
vel comitatu situm sit, cum Monasteriis, Ecclesiis decimatis, sive absque de-
cima, cum castellis vel vicis, cum curiis & castis, aliisque edificiis, fami-
liis, & utriusque sexus mancipiis, parſcalchis, findamnis, Hengistfuotris,
centibus, ac capitensibus, agris, campis, vineis, terris cultis & incultis,
novalibus, vel sitis ad novalia extirpandis, pratis, paludibus, pascuis, com-
pascuis, montibus, silvis, materia ac lignorum incisionibus, forestis, ven-
ationibus, mercatis, teloneis, & percussura proprii Nomismatis, salinis, &
sartaginibus, ac locis sartaginum, aquis, aquarumque decursibus, piscationi-
bus, stationibus, id est piscibus piscium, quos hufones dicimus, molinis, mo-
londinarumque locis, pontibus, veſtigialibus, viis & inviis, exitibus & re-
disibus, quæſitis & inquirentis. Hæc omnia in omnibus ad ipsum Frisingen-
ſis Episcopium legaliter pertinentia, per hoc auctoritatis nostræ præceptum
in jus & potestatem Sacrosanctæ Christi Matris Ecclesiæ præfata donamus,
tradimus, & confirmando renovamus, eo rationis tenore, ut jam dictus ho-
norabilis Episcopus Nitkerus, ejusque Successores liberam pro utilitate ejusdem
Sanctæ Dei Ecclesiæ perenniter habeant potestatem, quidquid inde voluerint
faciendi absque ullius molestia. Et ut hæc auctoritas nostræ per cuncta laben-
tis mundi curricula firmiore solidetur stabilitate, manu nostræ subter eam ro-
borantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum

Signum Domni Henrici tertii Regis invictissimi.

Signum est
latium.



Theodoricus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovit.

Data Indiē. VII. Anno Domini Incarnationis MXXXVIII. Anno autem Domni Henrici tertii ordinat. XII. regni verò I. Actum feliciter Amen.

Observamus hic, in literis autographis, Anno Christi 1039. exaratis, diem ac mensem *dati* non exprimi. Et quoniam catalogi nostri omnes mortem Egilberti Antecessoris ad diem 4. mensis novembris Anno 1039. reponunt, vel etiam ulterius differunt, hallucinari censemus eos, qui existimant, prædictum instrumentum fuisse expeditum pridie Idus Maij ejusdem anni 1039. Quo mense recitatum instrumentum fuit expeditum? & Nickerum jam eo mense Frisingensi Episcopatus præfuisse. Verùm de hoc ipsi interpolatores viderint.

Ad eundem annum, Christi 1039. Antonius Pagius in sua Critica agit de origine Canonicorum Regularium, qui communi domo, communi mensa, ac communibus bonis utuntur, & S. Augustini Regulam profitentur: qui scriptor videri potest.

Ad sequentem annum, Christi 1040. communiter refertur mors S. Chunegundis Augustæ Virginis, viduæ, & demùm Sanctimonialis Benedictinæ, de hac Frisingensi Ecclesia, ut alibi diffusius notavimus, optimè meritiæ, cujus tamen obitum laudatus Pagius merito mallet jam reponi ad annum Christi 1033. ad quem videlicet annum Chunegundis obitum reposuit scriptor planè Synchronus Lambertus noster Schafnaburgensis, uti etiam Chronicon Hildesheimense, nonnisi ad annum Christi M XXXIII. continuatum. Sed quocumque demùm anno Augusta Virgo decesserit, certum est, eam à morte in Sanctarum Virginum Catalogum fuisse relacam, neque à Benedictini duntaxat instituti hominibus, verùm etiam ab aliis, maxime verò à Bambergensibus ac Frisingensibus annuò officio coli. Pagius ex Bollando benè notat, quemadmodum in Ecclesia Romana vigeat consuetudo, ut in festis S. Petri Apostoli fiat commemoratio S. Pauli Apostoli; vicissim in hujus festis, illius recolatur memoria, ita in Ecclesia Bambergensi Sanctissimos Conjuges Henricum & Chunegundem non separari, nec de uno eorum aliquod festum celebrari absque alterius implorato suffragio. Hæc Pagius; & benè. Id enim in Bambergensibus Calendariis discretè ac piè præcipitur.

Annus mortis
S. Chunegundis
Augustæ
Virg.

Nickeri Episcopi gratiam, qua apud Henricum Nigrum eo anno valuerat, sequens Diploma confirmationis demonstrat.

Nickerus va-
let apud im-
peratores

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rex. Si loca venerabilia divini cultui mancipata ob memoriam Divina remunerationis munere nostra consolationis benignius adaugendo distare decreverit.

mus, hoc non solum nobis ad regni nostri commodum, verum & ad anima nostra remedium salubriter provenire credimus. Quapropter omnium Christi nostrorumque fidelium, presentium scilicet & futurorum universitati notum esse volumus, qualiter nos summa Divinitatis intuitu per interventum nobis dilectissimi Sigibotonis Sancte videlicet Spirensis Ecclesie venerabilis Episcopi, nec non ob assiduam fideleque Servitium Domni Niteri Frisingensis Ecclesie Praesulis celeberrimi eadem scilicet benevolentia & auctoritate, qua similiter fecit & ante me beata memoria Dominus, Genitorum meus, pius, & per omnia Catholicus Chouonradus siquidem Imperator Augustus, qui me interpellante, in idipsum etiam consilio & re conspirante in cartam constitutionis ejusdem, immo haec eadem continentem manu propria roborando, omnique lege confirmando in jus Frisingensis Ecclesie tradidit, nos pariter animo nihilominus volenti tradidimus & concessimus ad Altare semper Virginis Mariae, Sanctique Corbiniani nobilissimi Christi Confessoris in civitate Frisinga corpore quiescentis curtem Alarum sitam in Marchia & in comitatu Aelberti Marchionis cum omnibus ad eundem locum jure ac legaliter pertinentibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum aereis edificis, agris, vineis, campis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quasitis & inquirendis, seu cum omni utilitate, qua vel scribi aut nominari ullo modo potest, eandemque curtem in jus atque dominium praefata Frisingensis Ecclesie ea ratione omnino transfudimus, & in perpetuam proprietatem donavimus, ut idem venerabilis Antistes Niterus & Successores sui absq; violentia ullius nostri Successoris sive Regis sive Imperatoris liberam posthac licentiam hanc habeant potenter possidendi, commutandi, vel quidquid inde sibi salvo jure Ecclesie placuerit faciendi. Et ut haec regalis nostra traditionis integritas stabilis & inconvulsa per futura annorum curricula perseveret, hoc auctoritatis nostra preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domni Henrici tertij Regis invictissimi.

Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovi.

Data XV. Kal. Febr. Indiçl. VIII. Anno Dominice Incarnationis M XL. Anno vero Ordinationis Domni Henrici tertij XII. Regni autem I. Datum Auguste feliciter Amen.

Hanc Henrici Confirmationem sequenti anno excepit ejusdem donatio Nitero facta, cujus sunt haec verba.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Si Sanctarum Ecclesiarum res ex nostris facultatibus ampliamus, hoc ad praesentis vitae nostrae statum, & ad aeterna retributionis premium nobis profuturum esse non dubitamus. Hujus Spei gratia nos ob interventum Gisile dilectae Matris nostrae Imperatricis Augustae, & Titmari Saltzburgeris Archiepiscopi quandam nostrae potestatis curtem Ostermunding nominatam in pago Saltzgovve, & in comitatu Aribonis Palatini Comitae sitam Frisingensi Ecclesie in honore Sanctae Mariae, Sanctiq; Corbiniani consecrata & constructa ob dilectionem & gratam nobis servitutem Nygeri praefata Ecclesia Venerabilis Episcopi cum omnibus suis pertinentiis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, aereis, edificis, terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, venationibus, Ecclesis, decimationibus, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quasitis & inquirendis, seu cum omni utilitate, qua ullo modo inde venire potest, in proprium dedimus atque tradidimus, ea videlicet ratione, ut praescriptus Nygerius Episcopus, sui-
que Successores de praetitulata curte liberam dehinc potestatem habeant tenendi,

c omniu-

commutandi, precariandi, vel quidquid sibi ad usum predictæ Ecclesie placuerit, inde faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis Auctoritas Regalis stabilis omni permaneat ævo, hæc paginam inde conscribi manu propria, ut infra videtur, confirmantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Dat. pridie Idus Mai. Anno Incarnationis MXXI. Actum Wormacie feliciter Amen.

Ex his manifestum est, Nickerum Episcopum eo usque sese Imperatori verum ac sollicitum Ecclesie suæ pastorem probasse.

Cæterùm ex calculo P. Mezgeti eodem anno Dietmaro Salisburgensî Archiepiscopo morte sublato Balduwinus, pauperum benefactor eximius, successit, ab ipso suo Antecessore Sacris electoribus commendatus.

Baldouin fit
Archev. Sa-
luis.

§. II.

Alia ejusdem temporis acta.

HOc eodem tempore inclitum Monasterium Tegernseense in cineres confederat, & insuper à furibus perversisque nebulonibus gravia damna perpeffum fuerat. Et ecce! culpa tota in innocentissimum Abbatem Ellingerum conjicitur, isque coram Henrico Rege & Nickero Episcopo, ceu universarum illarum calamitatum causa & origo, reus agitur à proprijs filijs. Henricus itaque tantis Tegernseensium vociferationibus permotus, Nickerum Episcopum ad Tegernseenses misit, qui causam discuteret, & malis remedium afferret. Ad illud Monasterium cum venisset Nickerus, tantas adversus Abbatem querelas audivit, ut eum & gradu & loco movendum censuerit. Itaque facessere, & ad Monasterium Altabense migrare, ibique actus suos deplorare jussus est infons Ellingerus, qui injurijs lubenti animo perpeffus in eo Monasterio boras minimè otiosas traduxit, sed scripioni librorum totum se impendit. Codices illi diu superfuere, & fortassis etiamnum alicubi delitescunt. Porro absente eum in modum Ellingero, Tegernseense Monasterium Altmanno, Eberspergensî Abbati, commendatum fuit ad tempus. Id contigit Anno Christi 1041. 5. Nonas Octobris: quo ipso die Nickerus Episcopus Cryptam Tegernseensem consecravit, uti legitur in Monumentis Tegernseensibus, à Clarissimo, & ad rem literariam illustrandam nato viro P. Bernardo Pezio Mellicensî editis.

EllingerusAb-
bas Tegern-
seensis exau-
toratus.

Anecdot. T. 3.
part. 3, col.

110.

Henricus

Ep. Eistet. cu-

mulo inferret

à Nickero Ep.

Vid. Bruner.

part. 1, Annal.

Boj. p. 166.

810.

In annum sequentem, Christi 1042. referri cernimus mortem Heriberti Eistadiani Episcopi. Hic, ut Brunnerus scribit, cum *aversas à Divo Henrico in Babenbergensis Episcopij sinum opes possessionesque difficulter concoqueret, totiusque in id incumberet, ut adventitia unde unde dote ararium S. Wilibaldi solaretur, Henricum Regem; cujus res nunc scribimus, eo deduxit, ut Neoburgensem Parthenonem, D. Henrici optus, Eistadianis Pontificibus subjectionem se polliceretur, si D. Wilibaldi ossa, ipsamque adeo dignitatis suæ sedem Neoburgi, deseret Eistadio, collocaret. Sed superis (pergit Brunnerus) cordi non fuit è vetere domicilio, Sanctissimi auspicijs fundato, avita sacra emigrare, aut Dei Matris cultui addictas Virgines immutato jure, divi Cesaris violata voluntate, & relictis actis, alteri velut in servitutem dari. Henricum certe, injecta divinitus Religione, inconsulta sponsonis penitentia subit: qua cum omnes Episcopi spes evertisset, tantus animo ejus maror incidit, ut mortis appetendæ, quam Eustadij revivendi sibi copiam dari præoptaret, haud quaquam irrito voto. In eo ipso itinere decedentem Frisingensis Episcopus Nickerus tumularit. Hæc Brunnerus.*

Heribertum Frisingæ obiisse, P. Gabr. Bucelinus noster in sua *Germania Sacra* commemorat. Porro Heriberto in Eistadiana Cathedra sequenti anno sur-
roga-

rogatus est Gebhardus, ex illustri sive Calvvensium sive Hirspergiarum Comitum prosapia ortus, futurus summus Ecclesie Catholicae Hierarcha, uti suo loco monebimus. Eodem anno Henricus Rex Henricum, eo nomine septimum, divae Chune Gundis ex fratre nepotem, Bojii novum principem praefecit. Rex ipse Henricus Agnetem Ingelhemij duxit: quo tempore loco histriorum, qui ad regias nuptias magno numero convolaverant, pauperes refici iussit. Tancum Rex adolefcens ab optimo institutore suo Egilberto, Frisingensi Episcopo, olim dicerat.

Molestus
Henrici Re-
gis sa nuptiis.

Hungaria fit
Imperij tribu-
tura.

Nitkeri duo
fratres ple-
buanus.

Ingentes adversus eundem Regem nostrum tumultus tum Bobemi cum Hungari annis proximè elapsis excitaverant, quos Ofo Hungarorum Rex, aut potius Tyrannus, acregni invalor nunc fastu nunc perfidia ingenti contra Henricum ad arina provocaverat, quem is tamen tandem exautoravit, vitâ privavit, ac Hungariam Imperij tributariam fecit. Refert Aventinus, & ex Avencino Brunnerus ac Palatius, Bernulphum ac Machtunum, Nitkeri Episcopi nostri, fratris sui, favore obnixos, in aulam Regis nostri irrepsisse, & cum ob obscuros natales nobilitatem praefecturas consequi baud potuissent, ad Ungaros defecisse, meritò prodicionis sperantes, quod natalium ignobilitas denegaverat. Hortatos insuper esse Ovonem, ut pactorum simulatâ observantiâ, Henricum pacis fiduciâ cum paucis suorum advenientem circumveniat, occidat, Boiariam invadat: ipsos Reginoburgum ei tradituros. Sin ille veniat, nihilominus arma inferat: opes sese, vitâque offerre. Acceptis literis Ovonem ipsos collaudasse, praemiis onerasse, alteri Ducatum, alteri praefecturam Bojorum promississe, si optatus facinoris exitus id permittiturus esset. Porro Henricum, de Ovonis perfidia edoctum, comparuisse non cum paucis suorum, sed cum ingenti exercitu, & Hungaros gravi clade affectisse. Fuisse eo tempore interceptum Nannonem scribam Hungarum, in cujus vidulo seu crumenula à Zona serica pendente epistolam Bernulphi & Machtuni fuisse inventam, Caesarique oblatam: quam cum Imperator legisset, Bernulphum & Machtunum fidei, quam violaverant, meritis poenas solvere, & in furcam agi imperasse. Addit Aventinus, Nitkerum Episcopum Fruxinensem ob necem fratrum ignominiosam nimis protervum, Ravennam ab Imperatore fuisse relegatum, ubi subito fatò interièrit. Hæc illi. Verum ut ut Avencino non negemus, quæ ipse de Nitkeri fratribus, quamquam sine adducto testimonio, scripsit, & insuper facile credamus, Nitkerum gratiâ Henrici ad tempus excidisse, ac, suo tempore, Ravennæ subito fatò interièisse, cum tamen Ravennam velut exulem venisse omnino negamus, idque infra ex Synchronis scriptoribus luculenter diluemus. Nitkerum ab anno Christi 1044. usque ad 1049. Frisingæ, aut certe in Caesaris aula moratum non fuisse, ex eo videtur posse admittere, quòd toto illo tempore nihil reperiamus, quod is sive domi sive foris gesserit. Porro Nitkerum Anno 1049. ac tribus sequentibus vitæ annis Henrici favoribus usum fuisse, infra demonstrabimus.

Nitkerus non
exulavit Ra-
vennæ.

Varii eventus
illius tempo-
ris.

Supradictus annus Christi 1044. Romanæ Ecclesie sanè tristissimus fuit, cum tres Pontifices, qui summi esse non poterant, Petri Cathedram non regerent, sed potius discerperent. Diversas Historiographorum ea super re Relationes referre non vacat. Suademus tamen Lectori curioso, ut ea super re Antonium Pagium ad annum prædictum adeat, satis certa ab eo edocendus. aliqua de his infra commemorabimus. Sequenti anno Christi 1045. Berengerium, Pataviensem Episcopum, obiisse, & Engelbertum successisse, Hundius in Metropoli tradit.

Henricus Rex
Frisingæ sus-
cipit Hunga-
ria pacem pe-
tensibus.

Brunnerus scribit, eodem anno Henrico Regi, vernum jejunium hic Frisingæ auspicianti, Legatos Hungariæ, Regis sui (Petri) nomine magnis precibus instituisse, ut pacem salutemque, quam Patriæ peperisset armatus, inermis stabiliret: Henricum verò postulatâ annuisse. Hæc ille. Sanè an eo tempore

Nit-

Nitkerus Frisingæ fuerit præfens, ex domesticis membranis non constat, ut supra in sinuavimus. Aventinus, dum memorat, Henricum eo tempore apud Nitkerum Frisingæ fuisse, sibi, assertoque Episcopi exilio luculenter contradicit.

Extat in cbartario Reverendissimi atque Illustrissimi Cathedralis Collegij Frisingensis Codex antiquus, manu sin XI. certè XII. Sæculi exaratus, cui titulus: *Deliberatio Gerardi Moresine Ecclesie Episcopi supra hymnum trium Paucorum ad Isingrum liberalem*: Opus, ut videtur, orbi hæcenus planè incognitum, verùm nunc ad typos jamjam paratum. Autor illius hoc ipso, de quo in præfens agimus, tempore Martyrium pro Christo pertulit, de quo paucula, etiam rebus supra memoratis lucem affusura, ex Breviario Monastico & aliis scriptoribus delibanda censuimus.

Opusculum S. Gerardi de Sagredo asservatur Frisingæ.

Gerardus igitur, scriptor, imò Autor ejus Libri, Venetijs ex Sagreda Patricia familia natus, ab incunte ætate divino cultui deditus, Monasticum institutum amplexus est sub Regula S. Benedicti in Monasterio S. Georgij Majoris Venetiarum, in quo divinis contemplationibus vacans, flagranti animo concupivit Dominicum sepulchrum invisere. In suo itinere eo ipso tempore in Hungariam venit, quo S. Stephanus regnabat, à quo non solum benignè acceptus, verùm etiam retentus est, ut rudem illam gentem Christianis præceptis, verbò atque exemplò erudirer. Id ut cum majori dignitate præstaret, volente Stephano, Pontificali etiam Insula decoratus est. Adfuit piissimi Regis votis & Evangelici Præconis studij Divioa pietas, factumque est, ut non modò novi Tyrones in fide confirmarentur, sed etiam fidelium numerus magnoperè augetetur. Ecclesie in singulis urbibus deinceps fuere exstructæ à Gerardo, qui Basilicam primariam in honorem S. Georgij Martyris Conadij ad litus Morisij fluminis exstruxit, atque inde Moresinam sedem appellavit. In hac verò Ecclesia, quam Rex liberaliter dotavit, in honorem B. M. V. aram erexit appenso ad eam argenteo thuribulo, in quo thymiama perpetuò adoleri instituit, & ibidem singulis Sabbatis officium celebrari voluit de Beatissima Virgine Deipara, quam *Dominam* suam gens illa ex ejus instituto deinceps appellavit, & singulari studio colere cepit.

S. Gerardi Vite Compensium.

Defuncto Stephano Rege, ac Petro in ejus locum à Proceribus Regni suscepto, cum is, de quo supra egimus, Ovo vel Uvo regnum invaderet, sibi que adversantes sudibus ac palis, ipsis Sacris Quadragesimæ diebùs, suffigeret, at nihilominus ad Moresinam Gerardi Ecclesiam paschalia Sacramenta percepturus, & Regio Diademate coronandus accederet, adversantem sibi Episcopum expertus est; qui, ut coronam tyranno imponeret, permoveri non potuit: cumque Uvo postea ab aliis Episcopis coronam suscepisset, & coronatus cum ingenti comitatu Ecclesiam ingressus esset, Gerardus consensu suggestu per interpretem in vasori dira imprecatus, futuram illi post triennium expulsionem & necem: populo verò, qui tyranno favebat, immanem seditionem prædixit, in qua ipse quoque Gerardus occidendus esset: quæ omnia eventus probavit. Nam seditione exorra, cum ad Albam Regalem Vir Dei Gerardus proficisceretur, illic cænantibus fratribus aliquando dixit: *Fratres & Amici, cras ad eam Anni vocamur*. Tum exemplò Divi Stephani Proto-Martyris, futurus ipse Illustrissimus Panooniæ Martyr, Deum obtestans, ne gentilibus statueret hoc peccatum, lapidibus obrutus est Anno Christi 1047. primus Hungariæ Apostolus deinceps appellatus. Hæc ex variis Scriptoribus congestimus, quorum tamen nemo meminit, aliquem gloriosi hujus Christi Martyris partum literarium in orbe reperiri. Verùm is, uti confidimus, brevi lucem aspiciet opera V. C. P. Bernardi Pezij, non sine insigni Illustrissimi Capituli Cathedralis Frisingensis gloria, quippe è cujus scrinijs honor Beatissimo Martyri & Hungarorum Apostolo tribuitur, quo is omni propemodùm ab obitu suo tempore, id est, septem ferè abhinc sæculis caruit. Festum ipsius Sancti scriptoris tum ab Hungaris,

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

H h

tum

tum ab instituti Benedictini Sodalibus 8. Kal. Octobris, sive die 24. Septembris colitur, ad quam diem in Martyrologio Romano repositum cernimus. Hæc occasione Codicis, apud Frisingenses reperti.

§. III.

Prosecutio Actorum usque ad Annum 1052.

U Surpassit Henricum Regem inconcessam omnino potestatem, nimisque periculosè Ecclesiastica judicia sibi sumpsisse, Baronius conqueritur, eò quòd Rex Gregorium sextum, Romanum Hierarcham Pontificatu eugrit. Verùm Antonius Pagius in Critica ad Annales Baronij ex Victore III. Papa egregiè docet, Henricum in toto illo negotio *sefe inculpate gessisse*. Sutrij Mensè Decembri congregata fuerat Synodus, ubi de exauratione actum fuerat. Ibi depositis priùs aliis duobùs Pseudo-Pontificibus Gregorius, restit Victore Pontifice, *agnovit, se non posse jusse honorem tanti Sacerdotij administrare, & ex Pontificali Sella exiliens, ac semetipsum Pontificalia indumenta exuens, postulatà venia Summi Sacerdotij dignitatem deposuit*. Ita Victor Pontifex: qui statim subdit. *Post hæc Rex Urbem ingressus, congregato in Ecclesia Beati Petri Apostoli Romano Clero & populo, una cum Episcopis, qui in prædictam convenerant Synodum, communi consilio Clementem* (ab iniro Pontificatu sic dictum, antea verò Suidgerum appellatum) *Bambergensem Episcopum elegerunt, quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, que digne posset ad tanti honorem sufficere sacerdotij: eumque in Apostolica Sede ad regendum Dominicum regem inthronizantes constituerunt*. Quæ de re Pagius videri potest: qui addit, Ottonem Frisingensem, subsequenti sæculi hominem, non nisi ex incertis rumoribus aliter scripsisse. Porro Clemens, eo nomine secundus Romanus Pontifex, *nimium* (ut Hermannus noster Contractus scribit) *reluctans* in Cathedrali Petri evectus, *ipsa Nativitas Christi die ex more consecratus. eadem die Henricum Regem, & Conjugem Agnetem imperiali Benedictione sublimavit*. ita Hermannus apud Baronium, imò potiùs in Chronico suo, quod Henricus Canisius Tom. I. antiq. l. c. l. edidit.

Rebus ita ex animo Imperatoris citra noxam gestis tum ipse Clemens Pontifex, tum Imperator rem tantis fastigijs dignissimam, ast maxime arduam sequenti statim anno aggressi, consilia de vulgato per aliqua tempora Simonæ malo penitus extirpando, omnique Sacrorum Ordinum nundinatione eliminanda, rum Romæ, tum in Germania instituerunt. Optimis verò consiliis mors optimi Pontificis intercessit, qui post novem à promotione menses decessit, Bambergæ sepultus, quam Ecclesiam etiam Papa factus, nunquam dimittere voluit. Eodem anno Henricus VII. Bojariz Dux diem suum obiit.

Defuncto interim Clemente summo Pontifice Benedictus IX. anno superiori depositus, iterum Pontificatum, ex Baronij opinione, invaserat: cui malo ut mederetur Imperator, qui Anno Christi 1048. in Bojariam se contulerat, Legatis Romanis, successorem postulantis, Popponem, Brixinensem Episcopum assignavit: qui omnium suffragiis electus, Damasus secundus appellatus est. Popponem hunc fuisse natione Bojum, Plarina apud Hundium scribit, cui P. Gregorius Kolb S. J. calculum suum adjicit. Verum is nonnisi ad paucos dies supervixit: nam Idibus Augusti Prænepete extinctus est, & Brunoni Tullensi Episcopo locum fecit. Scribit Lampertus noster Schaffnaburgensis, Henricum Imperatorem eo tempore Frisingæ commorantem, nuncium de morte Damasi accepisse, & Legatos Romanos alium Virum, tiarà Pontificia dignum, Romæ postea eligendum, proponi sibi petiisse. Præstitit istud Imperator postea Wormatiæ, ut Pagius probat, & Brunonem Tullensem Episco-

Henricus Imp.
non peccavit
contra Geo-
gorium VI.

Suidgerus E-
pisc. Bam-
berg. elevatur
in solium
Petri.

dictus Cle-
mens II.
coronat Hen-
ricum Imp.

Mors Cle-
mens II.
optima con-
silia abrupit.

Poppo Bri-
xin. Episcop-
us fit Papa.

Henricus Imp.
Frisingæ in-
terpellatur,
ut novum
Pontificem
proponat eis-
geodum.

Episcopum Romanis commendavit: qui ab ijs cum gaudio electus Leonis IX. posthac nomen tulit. Is paulò post congregatis tum Romæ, tum Papiæ Concilijs adversus Simoniacam pravitatem fortissimè decernavit: mox Coloniam & inde Remos petijt, impuros Sacerdotum mores tum in Germania tum in Gallia emendaturus. Scribit nemo, in Synodo illa Remensi Episcopum Frisingensem, cum contra Apostolicam Auctoritatem præfactè ageret, repente in omnium oculis non secus, atque elinguem, obmutuisse. In hujus assertionis testimonium Scriptor ille Siebertum adducit. Nos saltem in Chronico Sieberti id non invenimus. Si alibi id Siebertus scripsit, aut ipse hallucinatus est, aut librarij vicio ejus Verbum depravatum fuisse, nobis pronum est credere. Baronius, ac post eum Mabillonius in Annalibus texuere catalogum omnium Pontificum atque Abbatum, qui Synodo illi interfuerunt. At nullus ibi Frisingensis Episcopus comparet. Nec mirum. Leo ad Remensem Synodum non vocavit, nisi *circumjacentium* Regionum Episcopos & Abbates.

Hinc neque Archiepiscopus Salisburgensis, nec ullus alius Boariæ Episcopus aut Abbas, imò ne quidem Episcopus Augustanus venisse memoratur. Quid igitur causæ Nickerus noster habuit, ut Remis comparet? scimus (ut idem Baronius tradidit) in Synodo Remensi Episcopum Vefontionensem, qui Hugonis Lingonenfis Episcopi pessimam causam defendendam suscepserat, subito linguæ usu fuisse destitutum. Atque hinc suspicari licebit, verba Sieberti (si tamen Sieberti) non ad Frisingensem, sed ad Vefontionensem Episcopum pertinere.

Domestica chartaris, ac nominatim libri traditionum primus & quartus produnt, Nickerum eodem anno ab Henrico Rege impetrâsse jura quædam in Ardacheten Aultriæ, quæ Henricus Imperator fortassis nunquam concessisset Nickerò, si is tam malo in Leonem, novum Pontificem, omnibus suspiciendum, animo fuisset. Instrumentum donationis, quod in prædictis codicibus non invenimus, suppeditat nobis R. D. Duellius, Canonicus Regularis S. Hippolyti in Aultria, in Miscellaneis suis recens editis: quod sic habet.

In nomine Sanctæ & individua Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam ex jure suscepti Regni omnibus Ecclesijs Romani Imperij debitam sollicitudinem debemus impendere, volumus unamquamque, quantum nobis ex divina gratia numerè conceditur, procurare, & ad Dei servitium promovere, quod Christi, nostrique tam futuri, quam præsentis noverint fideles, qualiter nos pro anima nostra felicitate, & Antecessorum nostrorum requie, & ob interventum nostri thori ac Regni confortis, scilicet Agnetis Imperatricis Augusta, & ob devotam servitutem nostri fidelis & dilecti Nikeri Frisingensis Episcopi ad Altare S. Mariæ semper Virginis, Sanctisque Corbiniani Confessoris in Monasterio Frisinga tale prædium quale del Reich, id est, Astum in Ardaker in comitatu Marchionis Adalberti trans stuvium Ensam habuerunt, jure gentium nostra potestate dicatum tradidimus, cum omnibus suis pertinentijs, cum mancipijs scilicet utriusque sexus, arvis, edificijs, agris, pratis, campis, pascuis, terris cultis & incultis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exrebtibus, & redditibus, vijs & invijs, quasitjs & inquirendis, & cum omni jure & utilitate, que nullo modo inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut præfatus Episcopus, & sui Successores in prædicto loco Ardaker Clericos seculares ad Dei servitium pascant, & sustentent regulari præbenda in honorem S. Margarethæ Virginis Martyris ibidem constitutos, congregatos. Et ut hæc nostra Imperialis traditio stabilis, & inconcussa omni succedente temporis permaneat, ideo hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes, stilli nostri impressione justimus insigniri. Datum 7. Idus Januarij Anno Domini Milleesimo quadagesimo nono, Indictione secunda. Anno

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

H h 2

autem

Annot.
Leo IX. Pon-
tifices.

Falsum est.
Nickerum
nostrum in
Synodo Re-
mensi obmutu-
isse.

Vol. 7. a. manu
pistorensis
nostr. fol. 112. r.

L. pag. 106. C.
49.

*Sunt exilibus.
*Sunt exilibus.
*Sunt proveni-
te.

Ita omnino
legendum
esse videtur,
quoniam aliter
legenti Duct-
bus.

autem Domini Hainrici Regis tertii Imperatoris secundi, ordinatione ejus vigesimo, Regni quidem decimo, Imperii autem in nomine Domini. Actum Ebersperg feliciter, Amen. Ita Instrumentum, prout à Duellio fuit productum, qui quidem in Exemplum parùm castigatum incidisse videtur.

Cæterùm, ut supra jamjam monuimus, hæc ab aliquot annis prima est mentio, quæ tum in domesticis tum extraneis membranis de Nitkero iterum occurrit.

Norimbergensi
Conventui præ-
sens Nitkeri.

Sequenti annò, cùm Norimbergæ decretum esset adversùs Hungarorum insolentes motus à Cæsare bellum, inter Proceres præsentés etiam Nitkerum nostrum nonnemo numerat. Nos verò sine teste antiquo id non audemus asserere, utur aliàs facillè consentiamus. Bellum illud feliciter hoc anno gestum, posteriori minùs prosperè continuatum est. Quo tempore Henrico Imperatori Optimo natus est filius Henricus, pestis Ecclesiæ futurus, veluti in consequentibus videbimus. Ad cælos verò translatus est S. Bardo, ex Monacho Hirsfeldensi Moguntia Archipræsul, Germaniæ Chrysofomus appellatus, vir Apostolicus, Spiritu Prophetiæ & miraculorum gloria illustris, uti post alios Buccelinus scripsit, subjungens, Bardoni successisse Lupoldum, Fuldensem Monachum.

Nascitur Hen-
ricus IV.
A. 1051.

Nitkero causa
quædam in
Italia deci-
denda com-
mittitur.

In libro quinto traditionum Frisingensium legimus, hoc Anno Nitkerum Frisingensem Episcopum venisse ad Monasterium Laubiense, Ticinensi urbi adscriptum, vulgò *Calum aureum* dictum, ibique causam aliquam cum alijs adjunctis iudicibus terminasse. Verùm quia causa illa nimis obscurè proponitur, & aliàs ad propositum nostrum nihil confert: notæ insuper Chronologicæ inter se minùs coherent, operæ pretium non facturos nos existimamus, si ejusmodi instrumentum hic inferamus. Illud tamen in Parte altera exhibebimus.

N. 1057.
Leo IX. PP.
venit in Ger-
maniam
A. 1052.

Interea Henricus Augustus cum Andrea Hungariæ Rege bello inexpugnabili contendebat: quos ut ad concordiam Leo Papa revocaret, iterum in Germaniam contendit. In eo itinere Leo Pontifex Ratisbonam accessit, ibique Wolfgangum atque Erhardum Ratisbonenses Episcopos inter Sanctos recensuit, ac quædam Sacella consecravit, ut in Maufolzo S. Emmerammi legimus. Eadem occasione cum Pontifex Divi Dionysii Areopagitæ Sacrum Corpus Emmeramianis nostris adjudicasset, pie illi controversiæ locum fecit, quæ usque in præsens inter nostros San-Dionysianos Gallos, & Emmeramianos Bojos viget: cujus litis arbitrium nobis minimè arrogamus. Eo ipso tempore Leo multas Germaniæ Ecclesias Imperatori concessit, & ab eo vicissim Beneventum cum suo Ducatu accepit.

N. 1118.

Nitkero Episcopo nostro ab Henrico Rege factam esse eodem anno Christi 1052. confirmationem quorundam bonorum, tum Cathedrali, tum S. Vici Ecclesiis antehac concessorum, discimus ex literis Cæsareis in parte altera recitandis: quas quia nihil singulare continent, ac paulò aliter in membranis Episcopalis Chartarij, aliter in quodam libro Collegiæ S. Vici Ecclesiæ leguntur, hic inferendas esse non existimamus.

§. IV.

Acta incerti temporis, & mors Nitkeri Episcopi.

Nitkerus Ep.
Henrico III.
pretiosam
donum offert.

RESERT in Annalibus Ordinis S. B. eruditissimus noster Mabillonius, in Vindocinensi nostro Monasterio (*Vendôme* Gallis dicto) haberi ex dono Nitkeri Frisingensis Episcopi capsulam auream, in qua asservetur lacryma quædam, quam unam esse ex illis, quas Christus Dominus in resuscitatione Lazari fuderit, quàmque ex urbe sive Constantinopolitana sive Hierosolymitana Equites quidam Frisingam detulerint, tradunt. Hæc capsula Sanctos Frisingensis Ecclesiæ Patronos, qui eo tempore colebantur, exhibet, nempe Eutro-



tropium, Corbinianum, Mauritium, Tertulinum, atque Georgium, aureis literis in ea expressis, simulque nomen Niteri Episcopi, qui hanc capsulam Regi Henrico donavit. Ibi inter alia hic versus legitur:

Assice lata tuos felix Frisingæ Patronos.

In altera:

Henricus Rex, Niterus Episcopus.

In ea capsula tres aliae continentur pretiosæ arculæ, in quarum tertia habetur sacra lacryma, vitrea ampulla cærulei coloris inclusa: Existimat Mabillonius hanc capsulam, à Nitketo Episcopo Henrico Regi donatam, ab eodem Rege venisse ad Gaufridum Comitem, Monasterii Vindocinensis fundatorem, & aliqua conjecturæ suæ fundamenta recenset. Speciem capsulæ in partes divifam ex Mabillonio hic exhibere Lectori haud ingratum fore credimus.

Tom. III. pag. 518.

Hanc donationem à Nitkero Episcopo Regi Henrico factam fuisse eo tempore, cum Niterus inret primæ admissionis ministros in aula Regis numeraretur, dubitare fas non est. Quo verò anno id contigerit, non lubet equidem divinare. Factam tamen esse, antequam Henricus Romæ Coronam Imperii acciperet, ex eo facile colligitur, quod is in capsula non Imperator, sed Rex duntaxat appelleretur. Sanè quis fuerit Sanctus ille Eutropius (plures enim eo nomine Sancti in Romano Martyrologio recensentur) aut cur Niteri tempore venerit in censum Patronorum Frisingensium, ignorare nos ultrò fatemur, cum nulla de eo in literarijs monumentis Frisingensibus sive anterioribus sive posterioribus extet mencio. De Sanctis verò Corbiniano & Tertulino in Superioribus egimus. S. Georgius usque hodie præcipuè Parochialis Ecclesiæ Frisingensis Patronus habetur. De S. Mauricio notabiles reliquæ coluntur in Ecclesia Cathedrali Frisingensi, ejusque ac Sociorum Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentii & Vitalis Officium olim non solum lectiones peculiare, sed & proprias antiphonas in Frisingensi Breviario habebat: hodiè verò ritu saltem communi etiamnum peragitur. Id quod occasione doni Niteri Henrico facti hic monendum censuimus.

In Codica Traditionum Weichenstephanensium reperimus sequentem Niteri Episcopi donationem.

Pl. 7. A.

Noscant Christiani quia Venerabilis Frisingensis Sedis Episcopus Niterus tale pradium, quale habuit in loco, Ruminisperch dicto, situm, per manum Advocati sui Jacobi pro salute anime sue tradidit ad Altare S. Stephani ejusdem Altaris servitoribus perpetualiter possidendum cum silva, pratis, omnibusque appenditijs ad prædictum pradium pertinentibus. Et hanc traditionem subscriptis stabilivis testibus: Gerolt. Udalscalch &c.

Et etiam liberalis erga Weichenstephanenses.

Razo seu Rasso. Comes de Dieffen Heriberto cuidam Presbytero, propinquo suo, omnia sua bona in Nansheimb, Schvvabensis præfecturæ vico, olim donaverat; quod idem Heribettus adductis idoneis testibus aliquando probavit. In eo vico laudatus Heribertus posthac Ecclesiam construxit, eamque postquam à Nitkero Episcopo sacris cæremoniis inaugurata fuerat, Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis gubernandam commisit, ita tamen, ut post suum obitum semper eligeretur in suo stemmate Clericus, qui in ea Ecclesia Sacra munia obiret. Chartam donationis in Parte altera exhibemus. Ubi merito advertimus, Rationem Dieffensis Comitum nomine hic nequam intelligi beatum illum Rationem, quem ex Palatino, ac militum præfecto Monachum factum esse in Actis S. Lanperti Frisingensis Episcopi diximus, sed potius Rapotonem II. Comitem de Andechs, Dieffen & Hochenvarth, qui unà cum Hemma Coniuge sua Parthenonem Hochenvarthensem fundavit. *Rado enim Razzo, Rasso, Rathold, Rathod, Rapot, Raspol & Rad* idem ferè sonare, & nonnisi à li-

Ecclesia in Nansheimb committitur Collegio Cathedrali. N. 1119.

§. 2.

brarijs nominum compendia amantibus differeotiam accepisse, Kero S. Galli Monachus aliisque in vocabularijs advertere, veluti oportuè nos monuit interrogatus à nobis vir Clar. P. Benedictus Friepes Monasterii Andecensis Prior, cui obaratus nos esse etiam alibi professi sumus.

Transactio
inter Episco-
pos Augusti-
num & Frin-
gensem super
centis decimis.

N. 1220.

Inter Eberhardum Augustanum Episcopum, & Nitkerum Episcopum Frisingensem orta aliquando erat controversia super decimis in Geisenhausen, quas uterque Episcopus Ecclesie suae vindicare cupiebat. Ea lis denique ita decisa fuit, ut Eberhardus Nitkero plura praedia varijs in locis assignaret, Nitkerus verò decimas illas Eberhardo cederet. Id fieri debuit ante Annum Christi 1047. quo Eberhardus, teste P. Corbioaoo Khamm, jam è vivis excessit. Instrumentum in Parte altera producimus.

Quaedam bo-
na Ecclesie
S. Viti pertin-
entur.

N. 1221. uf-
que 1229.

Discipulatur
de quorun-
dam statuta fer-
vili.

Circa illud ipsum tempus Adalbertus quidam Archidiaconus praedium quoddam hereditarium in *Seli* unà cum duabus *Hubis*, seu spatiji plures mansos sive agros compreheendentibus, Ecclesie S. Viti tradidit, & quidem io manus Nitkeri Episcopi: qui Episcopus eidem Adalberto ex bonis Ecclesie S. Viti alia bona in Hamarshufen redhibuit. Hujus & aliarum commutationum à Nitkero Episcopo factarum Instrumenta in Partem diplomaticam rejicimus.

Majoris momenti est fragmentum quoddam, quod in libro 2. Traditionum Frisingensium reperio. Illud sic habet. *Genuit autem supra dicta Gunspire filias duas, unam nomine Meduni, alteram Adalpurc. Genuit autem Meduni filias quatuor, Adalbile, Hiltikart, Meduni, Reginhilt, & filios Dietric & Otperht. Genuit autem Adalpurc filias Dierhilt & Uta. Genuit Adalbile filias quatuor, Hiltikart, Ata, Wilthun, Perusvinda. De ista Perusvinda & de filijs ejus Dietperto & Chunrado & ceteris postea facta est inquisitio sub Episcopo Nitkero & Advocato ejus Ottome, & Vicedomino Piligrimo, ut deberent Sancta Maria Sanctoque Corbiniano serviliter obedire. Tandem apud Veringam lite cepta & finita confirmaverunt & constabilerunt pacionem supra dictam, quam fecit nobilis mulier Gunspire cum Abraham Episcopo, hoc est, ut eadem Perusvinda, & supra dicti filii ejus & filia Adalbile, & Pertha, ceterisque posterij ejus, nec non omnes, qui essent de cognatione jam sepe dicta Gunspirige, deberent esse soluti ab omni servili anxietate, nisi, ut dictum est, qui viri essent beneficiati, aut Clericali, aut Camerali, aut Pincernali, aut dapiferali servicio ipso Episcopo, qui tunc & tunc esset. Hac sunt nomina eorum, qui constructi & interrogati Sacramento hac ita esse, ut dictum est, affirmabant, Ebararo, Aripo, Altman, Marvvar &c. E quibus luculenter intelligimus, Episcopos Frisingenses jam saeculo undecimo adhibuisse Ministros, seu, ut vocabatur, Officiarios Nobiles, Camerarium, Pincernam atque Dapiferum: ea tamen officia ea ætate hereditaria nondum fuisse, sed ad optionem Episcopi pertinuisse.*

Abfolvuntur.

Nitkeri casus
infelix.

Tandem ad mortem Nitkeri nostri conscribendam delati, cum eam commendare posteritati cuperemus, ab alijs Scripioribus planè prohibemur. Vide, bone Lector, quid de illo Brunnerus scripserit? *Annus quinquagesimus secundus (Saeculi XI.) Nitzgerum sive Nitzonem Episcopum sustulit, cum prius suas ipse laudes magnis virtutibus, aut certe illarum simulatione collectas sepelivisset. Fastus otium, & insolentia notatus sese in ordinem redegerat, laudabili censura, conciliatus eo nomine Henrico Casari, & amicis prima admissionis adscriptus, publicis etiam literis, quibus sua ibi dona confirmat, luculentè laudatus. S. Viti Ecclesiam, quam Engelbertus (Egilbertus) Frisinga caperat (imò verius antiquam novis ministris crediderat) ipse perfecit, locupletavitque, & (post Hitonem & Egilbertum) fundatoris nomen meruit. Sub finem vite ad sua primordia relapsus, factò cum modesta divorzio, senectutem juven-*

juventa probis contaminavit, miser, qui virtutum comitatum, cion maxime usus sunt, repudiavit. Hæc Brunnerus: cui Adelzeiterus subscribit. Facem his Scriptoribus præluxerant non dico Aventinus, sed Wibertus, Brunonis, antebac Tullenfis Episcopi (postea Romani Pontificis: Leonis IX.) Archidiaconus, vitæ ejusdem Leonis scriptor: & B. Hermannus Contractus noster, Historiographi Synchro. Wibertus de Nickero in vita S. Leonis IX. P. P. hæc habet apud Pagium ad hunc annum: *Erat huic viro Dei (Leoni IX. P. P.) non modica concertatio contra pervasores rerum Sanctæ Romanæ Sedis, maximeque contra Ravennatem Episcopum, Spiritu repletum consumaciæ & rebellionis, cui nonnulli favebant Palatini, gloria invidentes Domini Apostolici, nempe Leonis Papæ. Quorum capus in fomento discordiarum erat Nizo Episcopus Frisingia, super quem divina virtus hujusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere. Nam pro responsis Imperialibus in Italiam directus Ravennam devenit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra Beatum proferre cepit. Inter quæ ducto sub gusture digito ad hæc blasphema prorupit. Hoc gustur gladio absindatur, nisi eum deponi fecero ab honore Apostolatus. &c. &c.* Ita Wibertus. Hermannus verò brevius hæc scripsit. *Tempore quadragesimali Imperator Ravennatem Archiepiscopum Henrichum promovit, & Nizo Frisingensis Episcopus prius ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & Religionis speciem conversus, ac denuò ad pristina conversationis insolentiam reversus, cum cum jussu Imperatoris Ravennam perduxisset, subita inibi morte perit.* Hæc Scriptores Synchro. ijque celebratissimi. Rotulus Benedictoburanus, ex pluribus membranæ simul confusus, & membrancis viculis simul alligatis compositus, atque ante Annum Christi 1065. manu itidem Synchro. nascriptus, ad ipsum annum ejus sæculi quinquagesimum secundum hæc exhibet: *Cum esset Gotahelmus 20. annos hujus loci (Buronensis seu Benedictoburani) Abbas (is anno 1032. Abbatiam adierat) Nickerus Frisingensis Episcopus impetravit ab Imperatore suprädicto Henrico sibi committi Dominum Gotahelmum & Abbatiam Buronensem, scilicet Benedictoburanam, nesciente illa. Hac quoque cum impetrasset, dixit ad Dominum Gotahelmum callidè, ut cum illius licentiæ & permissione sibi liceret in Buronensi villa (hodie Laingrubben) ædificia sua erigere. Hoc renuit Dominus Gotahelmus, neque ædificia fabricare permisit, nec servitium impendere voluit, nec ad illum unquam veniebat, nec ille huc unquam venerat, sed in Ravennam descendit jussione Imperatoris ipso anno, quo hæc contigit: & in ea subitanea morte defunctus est, & in flumen projecerunt corpus ejus Ravennenses cives, sicut ad nos venit ex relatione suorum.* Hæc ibi. Quibus coævorum hominum testimoniis cum detrachere nihil. nihil addere conveniat, dolendum sanè est, quòd Nickerus ultimis vitæ annis exiguum sui commendationem posteris reliquerit, speculum factus aliis, qui adcepta dignitate, magnorumque Principum favore abusi, Romano Pontifici præfractè obnuntiant, rebusque Ecclesiarum insidias struunt. Refertur in iisdem Benedictoburanis membranæ, undecim illos Tegernseenses Monachos, quos beatus Ellingerus unà cum Gothelmo, postea Abbate, ad Benedictoburanum Monasterium antehac miserat, metu Nickeri Frisingensis Episcopi illud reliquisse, & ad Tegernseensem rediisse. Porrò perstitisse solum Gothelmum, ac Sapienter necessario consilio viginti septem præstantes juvenes sibi delegisse, eosque literis ac virtutibus imbuisse, futuros imposterùm adjutores suos, & firmas Domus Dei columnas. His non ita multò post accessisse illum alibi laudatum Regibertum, ejusdem loci è Sæcularibus Rectorem ultimum; qui cum aliquantotempore parochialis loci Ecclesiæ præfuisset, tractus optimis tum Gothelmi Abbatis, tum Religiosorum Tyronum exemplis, & ipse Monasticum amplexus sit, à B. Gothelmo postea constitutus Præpositus, seu, ut hodiè vocamus, Prior ejusdem Monasterij, quo etiam in officio 15. annos cum laude exegerit.

Undecim Tegernseenses
subdiani è
Monasterio
Benedictobu-
rano domum
receptiunt.

Nic-

Niterum
notum est
primum aut
verum fonda-
tor Collegii S.
Viti Frisingæ.

Niterum Collegiæ S. Viti Ecclesiæ fundatorem qui dicunt, à verò luculenter aberrant. Fundavit Collegium illud Hitto, hujus sedis Episcopus sextus, in Monte S. Stephani, ut alibi demonstravimus. Egilbertus Episcopus illud Collegium transtulit ad S. Vitum, ac honis locupletavit. Favores quosdam Niterus addidit. Itaque verus atque indubitatus illius celeberrimi & antiquissimi Collegij Fundator est Hitto: Translator atque donator Egilbertus: Niterus Fautor solum atque promotor: quam illi laudem lubentes tribuimus: cui etiam domestici Episcoporum Catalogi adjungunt aliud encomium, quòd scilicet Niterus Corpus S. Nonnosi, Soracensis Monasterij Præpositi seu Prioris, miris in miseros beneficiis indies clarum, ex Italia Frisingam advexerit. Verùm quò minus huic opinioni tam facillè accedamus, Gamanus obstat, qui scribit, in Calendario verustissimæ, & ante Annum Christi Millesimum scriptæ liturgiæ Frisingensis se reperisse Festum S. Nonnosi, & quidem *majusculis rubricatis literis* expressum: ut adeò corpus illius S. Confessoris jam multis ante Niteri Episcopatum annis Frisingæ asservatum fuisse videatur. Unde præstat assentiri ijs potius membranis, in quibus ea S. Nonnosi Translatio Hitroni Episcopo asseritur, ut alibi monuimus.

Annum obitus Niteri designant domestici Episcoporum catalogi Christi millesimum quinquagesimum secundum, diem Aprilis decimum tertium: quibus (quantum ad diem) Gamanus in Excerptis suis responderet: ut adeò saltem dies obitus factis certa appareat. Ast de anno superest dubium, cum ex Instrumento Henrici Imperatoris supra laudato constet, Niterum Anno Christi 1052. 25. Kal. Junij, id est, die 18. Maij, nempe uno mense & amplius, post diem decimum tertium Aprilis illius anni in vivis superfuisse. Augetur confusio ex eo, quòd ordinatio Ellenhardi apud Gamanum dicatur contigisse 17. Kal. Decembris sive 25. Novembris: & in instrumento sub Ellenhardo producendo habeatur, annum Christi 1064. 4. Non. Martij fuisse ejusdem Ellenhardi Episcopi duodecimum. In quo rerum labyrintho, quid statuamus, non reperimus, nisi ut fateamur, in quædam harum membranarum instrumenta irrepisse Sphalmata, eaque chartariorum incuriæ esse tribuenda, quod quidem, attenda temporis illius ruditate mirum non est, ut sæpè aliàs monuimus.

Sanè si dicimus, Niterum Anno Christi 1052. rebus humanis valedixisse, consequens est, ut fateamur eum decessisse Anno sui Episcopatus decimo tertio, cum S. Leo IX. Cathedræ Petri, Henricus III. Imperio, Conradus Dux Bojariæ, Balduinus Sedi Salisburgensi, Gehhardus III. Ratishonensi, Engelbertus Pataviensi, Alwinus (ut videtur) Brixinensi præsiderent. Ubi tumultum Niterus acceperit, ex Benedictohurano Rotulo Lector intellexerit. Exstat in Tegernseensis quodam Codice epistola Albini Abbatís ad Niterum Episcopum, quam in Parte altera exhibemus. Sed de Nitero factis: de quo tamen adhuc monemus, in domesticis Frisingensium Episcoporum catalogis eum non malè audire.

N. 1130.

CAPUT III.

Ellenhardus, XIX. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Ellenhardi genus, electio, & Acta illius temporis usque ad annum Christi 1057.

Qui genus, unde domo Ellenhardus fuerit, in nullis veteribus Frisingeosis Chartariis membraois proditum est. Sed oeq̄e in recentioribus Episcoporum catalogis mentio profap̄ie illius occurrit. Nihilominus oobis vero simillimum videtur, Ellenbardum produisse ex ea familia, ex qua postea primi Comites Tyrolis nati sunt. Ejus rei argumentum illustre reperimus in Liturgia ipsius Ellenhardi quam is Insigni Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ Frisingæ, à se suodatæ, dono reliquit, in cujus tergo bis apparet Insignia Ellenhardi, quæ aliud non exhibent nisi Aquilam, eâ ipsâ figurâ expressâ, qua bodierni Comitatus Tyrolensis insignia efformantur in monetis Halæ in Tyrolis cufis, ut infrâ videbimus. Habuisse Ellenhardum optima prædia in ea Bojariæ parte, quæ postea Tyrolis appellata fuit, ac bodièque appellatur, certum est, idque ex consequentibus ampliùs patebit. Nomen Ellenhardi in nullis actis Frisingensibus ante annum Christi 1053. memoratur. Unde meritò suspicamur, eum antehac nomen suum Frisingeosi Ecclesiæ non dedisse, sed ab Imperatore Frisingensibus electoribus commoedatum, mitram ejus loci reportasse. Fuisse Ellenbardum familiarem Henrici Imperatoris, in Chronico Benedictoburao traditur. Unde suspicari licebit, eum jam ante Episcopatum suum in Aula Henrici Imperatoris & Agnetis Imperatricis fuisse commoratum, atque inde Frisfogam traductum.

Ellenhardi
Natalis dies
fines.

Porro dies Ordinationis Ellenhardi in vetustissimo Calendario Frisingensi, quod Gamaosius vidit & exscripsit, dicitur fuisse decimus septimus Kalendas Decembris, id est, decimus quintus mensis Novembris: ubi tamen monet Gamaosius, Kalendarium illud esse Ellenhardo longè vetustius, & nomina Episcoporum Nitkeri, Ellenhardi ac plurium aliorum soldm manibùs posterioribùs, temporis successu, fuisse inserta, idque maximè ex diversitate atramentorum probat. De anno verò ordinationis hæsitamus, uti pater ex iis, quæ de morte Nitkeri ex-
pendimus, fuisse aut annum Christi 1052. aut 1053. certum est.

Dies electio-
nis certus.

annus incertus.

Statim sub initium Præfulacûs Ellenhardi nostri turbidè gerebantur res Bojariæ. Conradus Bojariæ Dux & Gebbardus Episcopus Ratisbonensis nescio qua de causa graviter dissidebant, iris in cives ac colonos acerbè à Conrado effusis. Boij aliàs Coorado Duci, quòd is tot prædiùs vastitatem intulerit, justitiam passim vendidit, ac provinciam pessimè administraverit, magnoperè inensit, Imperatorem Henricum accessere, alium sibi Ducem postulantes. Et verò justis precibus annuit Cæsar, & Conradò exauctorato, Boijs Henricum filiolium suum dedit Principem, eo nomine octavum, quem Gebbaro, Eisteteosi Præfuli bonis artibùs instruendum concredidit. Porro Conradus posthac idò cum Comitibus Schytenbicus adversùs Imperatorem fœdere, Hungaris stipatus Cariotibiam invasit, Schyrensisibùs in Bojaria tumultuantibùs, sed quos Gebbardus Eistattensis Episcopus graviter attrivit, eo nomine benè meritus de Imperatore, ac paulò post recepturus mercedem ingentem, Romanam scilicet Tiarâ, ut infrâ videbimus. Hæc tum agebantur in Bojaria nostra, in quam eodem an-

Status Bojariæ
turbidus.

no Christi 1053. Gottschalcus Presbyter ac Monachus Benedictoburana Reliquias S. Anastasii Martyris inculit, easque in Sacra Æde Benedictoburana repositis, multis in mortales beneficiis clarissimas; eodemque anno in inclytum Monasterium Tegernseense Sacra Divorum Chryfogni & Castorij ipsiana fuere translata. Qua de re in alio quodam Opusculo agimus.

Anno proximò, Christi 1054. Sanctus Leo IX. Pontifex Maximus diem obiit. Is, cum se moriturum intelligeret, in Ecclesiam S. Petri deserit voluit, ubi cumulum, iussu suo jam apertum, intuitus, in hunc modum verba fecisse apud Mabillonium traditur. *Videte, inquebat, fratres mei, quam vilis, quamque fragilis & transitoria sit humana gloria! Ego qui ex nihilo propemodum ad humana gloria fastigium erectus sum, ab hoc nunc iterum serè ad nihilum sum redigendus. Cellam quam Monachus incolui, in spatiosissima palatia jam dudum vidi conversam; modò ad hujus sarcophagi angustias iterum est remeandum.* E quibus verbis hic obiter licebit animadvertere, non esse arguendos ex nostris eos, qui S. Leonem IX. è Monasterio ad infulas assumptum fuisse contendunt. Verùm ista quasi per transeuntem. Plura de Leone tradidit Wiberus Tullensis Archidiaconus, Leonis familiaris, in libris duobus de rebus ac miraculis Leonis, ad quem Lectorem remittimus.

Leonem IX. ex nostris ad Cælos hoc anno comitatus est B. Hermannus Conrads, ex Comite de Vöringen, Augiæ, seu divitis Augiæ in Suevia Monachus, scriptò inter alia insigni suo Chronico, de re historica optimè meritis. Hic solennem illam Beate Mariæ Antiphonam *Abna Redemptoris* composuit. Trithemius eidem etiam alteram, *Salve Regina*, adscribit. Quod addo, ne ignoremus, cujusnam ingenio Beatissimam Cæli Reginam toties dulcissimè falutemus. At nunc Romam est revertendum.

Refert apud Antonium Pagium Leo noster Ostiensis, Sancto Leone Papa demortuo, Hildebrandum, ex Monacho tunc Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum à Romanis ad Imperatorem transmissum esse, *ut de partibus illis, quem tamen ipse vice Cleri, populique Romani in Pontificem elegerit, duceret.* Quod cum Imperator *suisset assensus* (pergit Leo Ostiensis) & Gebhardum *Aybertensem Episcopum Hildebrandus ex industria & consilio Romanorum expetivisset, tristis super hoc Imperator effectus est &c.* Hunc ergò Hildebrandus, invito licet Imperatore, invito etiam eodem Episcopo (propter quod utique postea dictus est *Monachos non amasse*) Romam secum adduxit: eique *Victoris Nomen imponens, Romanum Papam cunctorum assensu constituit, cum jam sermè à transitu Papa Leonis annus elaboretur.* Ita Leo noster Ostiensis. Gebhardo Pontificatum prædixisse traditur Sanctus Bardo noster, Moguntinus Archiepiscopus. Cùm enim Henricus Imperator de ejus ad Eistettenfem Episcopatum promotione hateret, consultus hac de re Bardo *subtus eucullam suam, ut solebat, collectus & tacitus Cæsari demum respondit. Domine, bene potestis hanc ei dare potestatem, quia aliquando ipsi daturi estis majorem.* Quibus Viri verbis fretus Imperator cum Eistettensibus Episcopum dedit: ac demum etiam, ut diximus, universè Ecclesiæ Pontificem præfici passus est. Bucelius noster cum aliis pluribus scribit, eodem anno Henricum IV. tertij filium, Aquis solenni ritu Coronam regiam suscepisse. Porrò Gebhardus Eistettenfis, qui, ne in solium Petri eveheretur, conduxerat quosdam, qui Romæ famam suam lacerarent, cum nullum de ipso scelus populo persuaderi posset, precibus tandem victus, primùm anno sequenti in *Cana Domini Papa est ordinatus*, uti habet continuator Hermannus, qui ab iis, quæ adduximus, Leonis Ostiensis verbis, nihil abhudit. Novus Pontifex Victoris II. nomen tulit, ut supra diximus.

Interea anno Christi 1055. in Bojaria gravissima in Henrici Imperatoris capite conjuratio detecta fuit. Capita tamen meditati tanti facinoris, nempe Gebhardus Ratisbonensis Episcopus, ipsius, quod stupescas, Imperatoris patruus:

Welfo

In vita et Translatioe S. Anastasii M. Obiit S. Leonis IX. PP.

In Mabillonii Annalibus Tit. 4. lib. 60. ad ann. 1054.

A. B. Hermannus Conrads.

Gebhardus Eistettenfis Episcopus fuit summus Pontifex.

Mabillon. in Annalibus et Obiit in Canalicij. 2p.

In Annalibus Hermannus IV. fuit Rex Germaniæ.

Analysin. part. 1. 66. 17. N. 2732. Conjuratio in Imperatorem.

Welfo Carantanorum Marchio: & Conradus nuper proscriptus Dux non tam Henrico, quam Deo poenas dedere impietatis suae.

Eodem anno coëctum fuit Florentiæ Concilium, ubi inter alia de non alienandis prædijs bonisque Ecclesiarum actum est. Extat apud Baronium gravissima Epistola S. Petri Damiani nostri, qua Episcopum quendam commonfacit, quantum criminum reos sese constituant, qui Ecclesiarum possessiones sive distrabunt, sive in usus profanos convertunt, ac Clericis alijs pauperibusque subtrahunt. Aliud eodem anno Concilium celebratum fuit Lugduni, cui Sedis Apostolicæ nomine Hildebrandus noster Romanæ Ecclesiæ tum Archidiaconus præfuit. Dictu mirabile! agebatur in eo Conventu de Episcopis, qui in dignitates suas non per ostium, sed aliunde, nempe per artem simoniacam involaverant: & singulariter Archiepiscopus quidam, Vir literatus, ejus criminis accusabatur. Verùm hic (verba Nicolai Aragonij ex Actis Conciliorum, & Baronio recitamus) *Accusatores pecuniâ corrupit, & sibi amicos fecit, Mane autem facto rediens ad synodum audacter dixit: ubi sum, qui me accusant? Excat in publicum quicumque me voluerit damnare.*

*Alia Quæstio
Hæretici ad
non alienandis,
Ad mod. cap.
non N. II.
Concilia eo
impote ce-
lebentur.*

*Pater Episco-
pi simoniaci.*

Tunc obtusescens cum illis, prædictus Archidiaconus (Hildebrandus) tanquam Vir discretus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: *Credisne; O Archiepiscopo, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam Deitatis? quo respondente: credo: addidit Archidiaconus: dic Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Tunc ille Gloria Patri & Filio expedite dicebat, sed Spiritum Sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret: videns se per divinum judicium omnino confusum, prociat ad pedes Archidiaconi, & confessus est proprio ore, se simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali & Episcopali Officio est depositus, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto libera & clara voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, & Episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi sunt, sua honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt, Hæc ibi. Et videri sanè poterat peccata simoniaca eo facto fuisse penitus extincta: Verùm pro dolor! revixit infame monstrum, & etiamnum in exitium multorum fedè aliquando grassatur.*


Sanctiori titulo eodem anno Cathedralis Beate Virginis Ecclesia Frisingensis accepit ab Henrico Imperatore bona in *Leian, Ufchirchin, & Eberhusen*, antehac malè ab alio donata. Instrumentum memorabile subjungimus.

*Monasterio
Henrici III.
Imp. in Col-
legium Ca-
thedrale Fri-
singense.*

IN nomine Sanctæ & indivisiuæ Trinitatis. *Heinricus divina favente Cle-
mentia Rex, Romanorum Imperator Augustus. Agenda est causa Reipublica,
sed salva re Matris nostræ Ecclesiæ. Et plerumque, qua jure fori obtinemus,
hac jure Cæli ultro reddere destinamus. Hoc ergo complacuit nobis in re fra-
trum nostrorum spiritualium, qui Frisinga sub Canonica constituti Deo serviunt,
& de collectis fidelium se agunt. Cum ipsis enim aliquando Otto Marchio
precarium fecit, & dedit, quod visus est habere in loco, qui dicitur Leian
inter montana in Comitatu Popenis, & in loco, qui dicitur Ufchirchin in Co-
mitatu Fridrici, & in loco, qui dicitur Ebarhusen in Comitatu Burchardi,
Antea autem ille Otto infelix Deo & Sanctæ Ecclesiæ pro incesto ad satis-
factionem inobediens, juxta quod Apostolus instituit, traditus est Sarcina in
interitum carnis, & ob hoc secundum legem Bauuariorum in nostro colloquio
diffinitum est, omnia ad sistum pertinere, qua idem Otto potuit habere, qua
ratione Geroldus Advocatus supra memoratorum fratrum nostrorum convictus
nobis & Advocato nostro Hartvigo ejusdem traditionis Ottonis investituram
tradidit, quia in ejus defensione nullam irvenire potuit rationem. Igitur ha-
R. P. Caroli Michaelbeck Episcopi, Frising.*

benus in potestate, ut, quod libet nobis, inde faciamus. Libet ergo amicos nobis de Mammona iniquitatis facere, qui nos ex presenti vita deficientes in aeterna tabernacula possint recipere. Propterea notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus quia illis fratribus in memoriam nostri, & Regni thoricque nostri consortis Agnetis Imperatricis, nec non dilectissimi Filii nostri Henrici Regis quarti, quicquid Otto dare destinaris cum omnibus suis appenditiis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, arcibus, edificiis, agris, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exilibus & redditibus, quasvis & inquirendis cum omni utilitate, que ulla modo inde poterit provenire, in proprium damus; & ut hæc nostra Imperialis traditionis Auctoritas stabilis & inconvulsa omni ævo permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Henrici tertii Regis, secundi Romanorum Imperatoris Augusti



Wimtherius Cancellarius vice Luitpoldi Archicancellarii recognovi. Data IIII. Id. D.K. anno Dominica Incarnationis MLV. Indiil. VIII. anno autem Domni Henrici tertii Regis, Imperatoris II. Ordinationis ejus XXVIII. Regni XVIII. Imperij verò VIIII. Actum Niuenbure. in Dei Nomine feliciter Amen.

Scimus, horum bonorum donationem poni alicubi inter Acta Nickeri. Verum existimamus, distinguendam esse donationem horum jurium ab Otone Marchione, & alteram factam ab Henrico Imperatore. Illa vim nullam habebat, uti declaravit Imperator, & ipse Advocatus Ecclesie Frisingensis ultro confessus est. Hæc verò legitima erat, uti ipsum Instrumentum luculenter demonstrat. Illa potuit poni in Actis Nickeri: hæc verò ad Acta Ellenhardi pertinet. Certè Nickerus post Leonis IX. mortem non superstit, cujus depositionem machinando vitam ipse, ut diximus, miser amisit.

Eodem Anno, Christi 1055. Henricus Imperator mortis propè instantis vatem habuit Annonem Colonensem Episcopum, qui ei à Confessionibus erat. Is, quod Casari liberales elemosynas, aliquando etiam quasdam corporis castigationes injungeret, ab adulatoribus accusatus, hæc verba, mortis nuncia, decepto Imperatori in aurem suggestit. Oro te, inquebat, O Casar, ne patiaris quidquam inter nos discordiarum hoc anno seminari. Omnia fati nostri momenta Deus habet in numerato. Nos curia Provincia homines vix presentia novimus, nedum scimus, quid nobis anno Proximo sit eventurum.

Non

Non habent tuam salutem in consilio, sed sua commoda, qui suadent aliud, tibi que inanimis præstigiis lenocinantur. Hæc & plura divus Anno, divinitus edoctus, quo tempore Henricus esset moriturus. Vaticinio respondit eventus, ut mox dicemus, dum interea optamus, ut omnes principes tam fideles monitores domesticos ad lacus habeant, eorumque monita amplectantur.

Postero anno Christi 1056. Victor Papa in Germaniam contendit, rerum cum Cæsare tractandarum necessitate adactus. Eum Imperator maximo cum honore Goslaræ in Saxonis excepit, ubi Pontifex Nativitatem B. V. cum eodem celebravit. Inde Botfeldiam, Diocesis Paderbornensis villam, profectus Imperator infirmari coepit, ac tandem ad extrema deductus, petita ab iis, quos diutius habuisset, venia, bonisque alienis, quæ in fiscum redegerat, restitutus, 3. Non. Octobris vitam piè posuit, Henricò filiolò, puericam nondum exgressò, successore relicto, disparis sanè ingenij Juvene, ipse inter optimos Cæsares meritò numerandus. Porrò Agnes Imperatrix vidua tutelam filij in se suscipit, quem in folio Magni Caroli Aquis priùs collocatum, Pontifex Ratisbonam comitatus est, atque adoratis ibi Christi Cunis in Italiam redijt, ubi anno statim sequenti & ipse vivendi finem fecit. 5. Kal. Augusti. Victori in Pontificatu Romano successit Stephanus IX. a. X. Antehac Cassinensis Monasterii nostri Abbas: in Episcopatu verò Eistetenfi, quem Victor etiam cum in Cathedra Petri fegeret, non dimiserat, Cunzo surrogatus est. Summa rerum Imperij penes Agnetem aliquamdiu remansit, cui ob spem prolis Bojaria permilla fuit. Papa Stephanus eodem anno è nostris Sanctum Petrum Damiani, virum Zelo divini honoris, atque Ecclesiasticæ disciplinæ exæstantem, totique Orbi jam antehac notissimum, Sacrà Purpurà exornavit. Is, factus Cardinalis, statim gravissimam ad Collegas Cardinales & Coepiscopos epistolam scripsit, textum illum Apostoli exponendo, quo is ait, oportere Episcopum esse irreprehensibilem. Recitat totam illam Epistolam Baronius, dignissimam sanè, quæ Episcoporum animis assidue infuset.

Papa venit in Germaniam.

Imperator moritur: cui succedit filius Henricus IV.

Stephanus IX. Papa.

Petrus Damiani fit Cardinalis.

Ellenhardus Episcopus noster, exempla decessorum suorum secutus, à Rege juvene Henrico Panchartam seu generalem omnium Ecclesiæ Frisingensis jurium. Privilegiorum, atque bonorum confirmationem anno Christi 1057. petijt, atque obtinuit. Extat autographum hujus confirmationis; quæ, quia nihil diversum ab aliis Panchartis supra insertis continet, hic non reponenda visa est, ne similia toties repetendo Lectoris patientiam fatigemus. In altera tamen parte eam exhibebimus.

Ellenhardus pro Ecclesia sua sollicitus.

N. 155.

Proximo anno, Christi 1058. 4. Kal. Aprilis Stephanus Pontifex, superiore primùm anno electus, inter vivos esse desit. Mortis nunciò acceptò Thuscis Comites Joannem, Veltrensem Episcopum, intrudere conabantur, quem etiam Pseudo-Electores Benedictum X. nuncupabant. Verùm, promotore maxime Hildebrando nostro, à Cardinalibus electus est Gerardus Florentinus Episcopus, Nicolaus II. deinceps dictus, qui postea in Synodo, Sutrij coacta, Sententiam contra Thuscis Comites dixit, ubi etiam Benedictus ad pedes veri Pontificis sese abjecit, suumque atque electorum suorum crimen confessus est. Nicolai electioni etiam Henricus Rex assensum præbuit, qui, Brunnero teste, anno Christi 1059. Natalicia Christi Festa Frisingæ celebravit: quo ipso anno mortuus est Luitpoldus Moguntis Archiepiscopus, Monachus olim Fuldenfis: cui ex eodem Monasterio Sigefridus Abbas, Comes de Eppenstein, successus est, Vir Magnus, doctus, ac Religiosus quidem, uti cum Trithemio Bucelinus scribit; ac postea Henrici rixis irretiri sese passus.

Nicolaus II. PP.

Henricus Rex venit Frisingam.

Salisburgi sequenti anno (Christi 1060.) Balduinus Archiepiscopus ex podagra mortem oppetit, sedemque reliquit Gebehardo Helfensteinio, Henrici III. quondam Capellano, qui convenientibus Ratisbonæ Episcopis Gebe-

S. Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus consecratur.
Tom. 2. Acta.
LXXI pag. 321.

Schisma in Ecclesia.

sequitur.

hardo Ratisbonensi, Engelberto Patavienſi, Ellenhardo nostro Frisingenſi, Altvino Brixinenſi, Adalberone Wirzburgenſi, & Gunzone Eistetenſi in Archipreſulem fuit confecratus, quod Mezgerus noſter tradit, idemque in vita ipſius S. Gebhardi apud Henricum Caniſum habetur. Porro ipſe etiam Gebhardus Ratisbonenſis Pontifex eodem adhuc anno ad antecellores ſuos abiit, ac volente Henrico Rege, Succellorem naſtus eſt Otronem, Babenbergeniſ Eccleſiæ Canonicum, ut ex Mauſoleo S. Emmerami intelligimus. Succellit ſuſteſtus Eccleſiæ Catholicæ annus, Chriſti milleſimus ſexageſimus primus, quo ingens inter Sacerdotium & Regnum diſſidium exortum eſt. Deſuncto enim Nicolao II. Pontifice, cum in deligendo ſucceſſore ingentes in urbe turbæ immiſerent, Hildebrandus Archidiaconus habito cum Cardinalibus Nobilibuſque Romanis conſilio: ne in pejora ruerent diſſidentium animi, autor iis fuit, ut Anſelmus, Lucenſis Epicoſopus, Vir inſigni probitate ac doctriſna conſpicuus, poſt menſes ferè tres, prid. Kal. Octobr. in Romanum Pontificem eligeretur, dictus Alexander, eo nomine ſecundus. Id ubi reſcivit Henricus unà cum Agnete Matre, factum indigniſſimè tulit, ac mox Conciliabulo Baſileæ congregato, Placentino & Vercellenſi Italiſ Epicoſopis aſſentientibuſ, Cadaloum ſeu Cadolum Parmenſem Epicoſopum, ad ſe proſectum, Pontificem renunciavit, eiſque Honorii II. nomen impoſuit. Ex eo Schiſmate lerna malorum proruptura erat, niſi maximorum Virorum, Petri maximè Damiani operâ, ſequenti anno in publica ſynodo Antipapa Honorius damnatus fuiſſet. Verùm de hoc diſſidio infra, ſuo loco, plura.

§. II.

Fundatio inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreae Frisingæ.

POſtquam Ellenhardus generalem bonorum ſuæ Eccleſiæ confirmationem à Rege obtinuit, ſequenti tempore uſque ad annum Chriſti 1062. nihil ſingulare præſtititſe memoratur. Nam pauca, quas circa tempus illud fecit, bonorum permurationes, ſingularem mentionem non merentur, nihilominuſ in parte altera à nobis recenſende.

N. 1136.
1137.
1142.
1143.
1147.
1148.
et 1147.

Sanè anno 1062. Ellenhardus magno illi ac præcipuo operi ſuo manum adiecit, quod ejus nomen æternitati confecraturum erat, quando videlicet è bonis ſuis *dominicalibus*, id eſt, propriis atque hæreditariis, conſtruxit atque fundavit Inſignem Collegiatam Eccleſiam S. Andreae prope palatium ſuum Epicoſopale in monte Frisingenſi *cum XXI. præbendarijs & cum officialibus*, idque non ſoldum ad laudes divini Numinis, verùm etiam ad cultum divinum in Cathedrali Eccleſia feſtis ſolemnioribuſ auguſtiuſ peragendum. De Sancta hæc Ellenhardi intentione in libro quarto, ſeu *magno*, Traditionum Frisingenſium legimus, ut ſequitur.

Inſtitutio Ellenhardi Epicoſopi.

*POſt decimum nomen reſidens ſacer ipſe Patronuſ
Fratribuſ aſſociam condidit Eccleſiam.*

Intentio Ellenhardi in fundanda Eccleſia Collegiata S. Andreae.

EO tenore, ut ante omnia divina officia peragenda Cleruſ illic coadunatuſ cum ſigno campanarum Majoris Eccleſiæ campanis reſpondeant, niſi in ſolempnitatibuſ ſibi ſpecificatiſ, ſcilicet Andrea & Dedicacionum ſuarum. In Purificatione Sanctæ Mariæ cum Proceſſione collegium majoris Eccleſiæ aggrediantur, id eſt, comitentur. Similiter feria IIII. poſt mediam Quadrageſimam unum Diaconum ad Officium Scrutinii (nempe ad Examen
Ordi-

Ordinandorum) ordinabunt. In Cena Domini omnes ad Consecrationem Crismatis cum debita solemnitate conveniant, officia, quae sibi Dominus Episcopus impunxerit, humiliter completuri. Item in Parasceve officium ejusdem diei in salutatione Sanctae Crucis humiliter peracturi veniant. Similiter in Sabbato Sancto Pascha sub silentio ad Consecrationem Cerei conveniant cum fratribus majoris Ecclesiae ad benedictionem fontis processionem facturi. Item in die Resurrectionis & ser. II. ac III. sollempniter induit cum Processione veniant cum populo suo, processionem cum fratribus facturi. Item in Letania majori, & per omnes dies Rogationum cum Cruce sua ac processione plebis sua fratribus majoris Ecclesiae processionem occurrant, & humiliter peragant. Item in die beati Alexandri & S. Crucis fratres majoris Ecclesiae conventum beati Andrea cum processione adeant, cum quibus illi usq. ad Basilicam beati Joannis redeant. Item in Ascensione Domini, sicut mortis est, cum Processione veniant. In Sabbato Sancto Pentecostes sub silentio ad consecrationem baptismi veniant. In die vero Sancto Pentecostes cum sollempni processione venientes remaneant, quibus peractis Missarum sollempnia simulcum fratribus in caritate fraterna, sicut institutum est, resiciantur. In Assumptione quoque beatae Mariae cum sollempni processione venire non omittant. In Nativitate quoque Sanctae Mariae ad Vesperam cum sollempni veniant processione. Similiter die sequenti hora tertia (nempe Canonica) ac peracta Missarum sollempnitate simulcum fratribus sollempniter resiciantur, & in opposita mensa Domini Decani locentur. Verum merito per praesati reverentiam Cathedralis Ecclesiam nostram honorari volumus, quoniam praesatum collegium sancti (supple Andreae) Ecclesiae, nostris Dominicis (nempe bonis) specialiter alendum constituimus, & ut nostri memoriam habeant in suis orationibus, ac eorum, quorum collatione praedicta beneficia accepimus. ita ibi, ubi vides, Lector, Ellenhardum in sua illa magna fundatione aliò non respexisse, nisi ad Majestatem divino cultui conciliandam, & ad Ecclesiae Cathedralis splendorem piè amplificandum.

Ceterum ex hac Ellenhardi institutione omnino conficimus, jam ipse Ellenhardi tempore Ecclesiam S. Joannis in monte stetitisse exstructam. Ast quid si insuper dicamus, etiam Ecclesiam S. Andreae jam extitisse in eodem monte, priusquam Ellenhardus insigne illud collegium adjiceret? Certè in libro secundo Traditionum Frisingensium, quem *Commutationum* vocant, inter acta Egilberti Episcopi (de quo supra) reperimus expressam ejus rei mentionem, dum ibi dicitur, Engilbertum quemdam tradidisse quaedam mancipia ad S. Andreae. Fortassis insuper eadem Ecclesia jam eo tempore fuit Parochialis, cum nullibi legamus, ab Ellenhardo fuisse ei Collegio assignatum sive populum, sive certos limites, intra quos Canonici curam animarum pastorem gererent. Et tamen ipse Ellenhardus introductis à se iisdem Canonicis praecipiat, ut nunc cum populo suo, nunc cum processione plebis suae ad Cathedralis Ecclesiam veniant. quae verba, quin Parochiam designent, eruditorum nemo dubitabit.

Inter ea, quae Ellenhardus suo Divi Andreae Collegio dona adjecit, primum apud eruditos locum obtinebunt, quae apud Gevoldum in Additionibus ad Hundij Metropolitani rectè refert Andreas Schererus, Collegiatæ illius Ecclesiae olim Decanus his verbis: *ejusdem fundatoris Ellenhardi habemus albam, Casulam, cum duabus Dalmaticis. Adest quoque ipsius calix cum patena, triplo fere majoris magnitudinis & capacitatis quam moderni calices esse solent. Adhuc quoque Missale in pergameno elegantissimo caractere scriptum una cum libris Evangeliorum & Epistolarum.* Hæc ille ibi: cui tantò pronius accessimus, quantò majori humanitate nobis præclara illa vetustatis monumenta fuerent nedom exhibita, verum etiam ad Musæum nostrum concessa ab iis, qui celeberrimè illi Ecclesiae hodie præsunt.

Ecclesie SS. Joannis & Andreae antiquiores Collegia postea adjuncta. fol. 108. a.

Liberaliss. Ellenhardi in Collegium à se fundatum detulimus.

Codex Sacri
Evangelio-
rum.

In libro illa Evangeliorum depictus cernitur Ellenhardus cum gibbo (ut idem Gewoldus ex Scherero advertit) offerens librum S. Andree, & per S. Andream Christum. De Ellenhardo offerente hæc verba, literis aureis scripta, intantur in marginibus picturæ:

*Hunc Ellenhardus offert Praesul venerandus
Andree librum, sed enim tibi, Christe per ipsum.*

Respondet Ellenhardo Christus in hæc verba, licetis idem literis aureis exarata.

Summum praesto bonum pensando vices meritorum:

Ne dubites, in me retinet te pagina vita.

Liturgia.

In altero codice, quem Missalem Schererus vocat, occurrit primò locò ordinaria, ut vocamus Praefatio, aureis idem literis expressa, adjuncta pictura exhibente Angelos concinentes Deo *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* prope quos Episcopus cum diversis ordinis, sexus & ætatis hominibus hæc vota in scheda exhibet:

Nos, Pater aeternæ, laudi conjunge superna.

Sequitur statim Kalendarium, longissimo, ut inspectoribus patet, usu valde detritum, in quo annotata conspiciuntur ea Sanctorum Festa, quæ eo sæculo erant celebria. Ubi adverto, præter festa Domini ac Deiparæ præcipua, item festivitates aliquas Apostolorum & Evangelistarum nulla alia notari Characteribus majuseulis quam S. Gregorii Papæ: S. Benedicti Abbatis: S. Mariæ Magdalenzæ. S. Laurentij. S. Lamberti Martyris: S. Huberti Episcopi: S. Nicolai Episcopi: ac S. Silvestri Papæ: quæ idcirco existimamus ævò Ellenhardi singulari quadam veneratione fuisse culta. Porro Sancti Corbiniani festum celebrabatur eadem die cum Festo B. V. uti constat ex liturgia adhuc vetustiori, quam Gamansius vidit. Cæterum licebit mihi pro honore Beatissimi Patris Benedicti bonâ Lectoris veniâ observare, in eo Ellenhardi libro Missali de eodem S. P. Benedicto poni orationes, ut vocamus, proprias, inter quas *secræta* sic sonat: *Munera, Domine, quæ tibi fideliter immolamus, quasumus, ut interveniente Sancto Benedicto, cujus normam in terra regulariter degendi cognovimus, placatus ac propitius recipere digneris. Per Dominum &c.* Vides, amice Lector, adhuc sæculò undecimò sanctum Benedictum, ejusque Regulam Frisingæ peculiarem venerationem habuisse, maxime cum non solum festum hujus Sancti, verum etiam Translatio ejusdem die 11. Julij fuerit celebrata; quod etiam Gamansius ex liturgia Frisingensi vetustiori annotavit. De his fortè plura in altera parte. Subsecutis temporibus alia festa subintrârunt.

Oratio: Ante
omnes miss.

Præterea in eodem venerando Codice inter prima scrè folia exhibetur piissima illa, verum iterum usu frequenti aliqua sui parte vix non deleta precatio: *ante oculos tuos Domine &c.* quam nonnulli tribuendam censent Urbano VIII. Pontifici: cui tamen ea, uti manifestum est, aliter adscribi non potest, nisi quatenus piâ illius Operâ, ac summa auctoritate fuit approbata. in lucem publicam protracta, & ut titulus præfert, edita, ac publicæ fidelium devocioni proposita. Proprius veritatem attingunt, qui eam Orationem cum Bartholomæo Piazza Divo Brunoni adscribunt; quamquam de illa quoque Autore dubitare fas sit, cum Ellenhardus, ut postea videbimus, obiit anno 1078. Divus Bruno primùm 1084. Ordinem Carthusianorum instituerit, & anno 1101. ad superos migravit, ut Baronius in notis ad Martyrologium Romanum tradit: ut adeò Ellenhardi Codex ætatem, saltem virilem, Divi Brunonis præcessisse videatur. Denique, ut breves simus, in eodem memorabili Codice reperimus orationes proprias pro *Octava* S. Andree Apostoli, absque omni dubio in ejusdem Divi Andree Ecclesia olim adhibitas ex Ellenhardi fundatoris ac donatoris instituto. Eas in parte altera exhibebimus. Hæc intra Codicem.

N. 147. b.

Exterius depictus cernitur *Agnus Dei*; circa quem apparent *quatuor animalia*, quatuor sacros Historiographos seu *Evangelistas* representantia. Circa

circum pictura stipatur variis aliis animalibus pro more illius ævi, ex ebore sculptis. A tergo sacri illius Codicis (qua scilicet in parte tituli librorum nostro ævo exprimi solent) penicillo exhibentur S. Andreas, ac S. Laurentius, veluti secundarius ejusdem Ecclesiæ Patronus: penes quos conspicimus depicta Ellenhardi Insignia, de quibus supra rectè diximus esse ea ipsa, quæ hodie dum Comitatum Tyrolensem indicant, uti hic Lectoris oculis subjicimus.



Hæc de pretiosis illis Ellenhardi Codicibus, qui meritò & religiosissimè aservantur, & ab eruditis omnibus æstimantur super aurum & topazion.

Calix Ellenhardi argenteus, ac majori sui parte pro more illius ætatis inauratus, una cum patena capax admodum est: in cujus pede inter varia animalia & lilia aurifex iterum exhibuit supra recensita, ut videretur Ellenhardi insignia. His adjungitur canaliculus argenteus oblongus, quo fideles laici olim sub altera etiam vini specie sacram synaxin è calice attrabebant, qui usus postea gravissimis ex causis in Ecclesia Dei iisdem laicis interdictus fuit, ut nôrunt Theologi.

Vas sacra Ellenhardi.

In Ellenhardi Humerali, seu amictu, qualis à sacrificaturis super humeros circa collum assumi solet, exhibentur iterum *Agnus Dei* & quatuor animalia, margaritis gemmisque pbyrgio opere distincta. *Alba* sacrificantis Ellenhardi vestis, ex lana tenuissima contexta, proceram Viri illius staturam prodit. In ea verò *Alba* parte, quæ à collo ad pectus peringit, Phrygio seu acupictor filis aureis ac bombycinis varij coloris exhibet effigiem Christi, quem Nicodemus è cruce solvit, ponè astantibus Maria Matre Jesu, ac Joanne dilecto discipulo. Versus ac prope fimbriam partis anterioris eodem artificio filisque similibus effigiatos spectamus Christum sedentem cum duodecim discipulis astantibus. Christus medium inter eos locum habet: ad cujus dexteram Petrus cum clavi in dextera, libro in sinistra, ac tonsura in capite: ad sinistram Paulus cum libro visitur. His junguntur Andreas cum libro, Jacobus cum libro, & sic alij Apostoli, preciosò, quamvis non artificiosò nostris annis labore efficti. Pars *Albæ* posterior eodem situ exhibet Synagogam cum Prophetis duodecim. Sedens in medio conspicitur figura mulieris, cultrum manu dextera: volumen seu rotulum aut membranam oblongam (nisi fallimur) sinistra tenentis. Inscriptio super caput: *Synagoga*. Ad dexteram adstat David Rex coronatus cum ejusdem formæ volumine icu rotulo: ad sinistram stans itidem Isaias propheta, Hieremias propheta, Helisæus propheta, & prophete reliqui conspiciuntur, jucundo sanè antiquariæ rei amatoribus spectaculo. Porro è cingulum icidem ex filis aureis atq; bombycinis constat, villosq;e habet ejusdem materiæ, neque aliàs ab hodierno usu admodum recedit. *Casula* Ellenhardi retinet formam, antiquis temporibus usitatum, & instar castri (ut alicubi Rabanus noster de casula loquitur) omnia præ-

Vestis Sacra

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Kk

ter

ter caput tegit, rotunda & usque ad talos protensa, cæterùm ex omnibus partibus clausa: unde bine inde super brachia aptari debet & revolvi diligenter, ne celebrantem impediatur. Dalmaticæ hodiernis non multum sunt absimiles, nisi quòd magnitudine nostras superent. Verùm de his satis.

Cæterùm Ellenhardo factis non erat Collegiatam illam S. Andreae Ecclesiam fundasse, ac propriis hæreditariis bonis dotasse, iisque, quæ descripsimus, munificentiæ suæ præclaris testimoniis exornasse, verùm etiam Cæsarem Henricum adiit, ut ejus favorem novo Collegio conciliaret, felici sanè exitu. Donavit enim Imperator Collegio illi bona quædam in Histria, veluti constat ex Cæsaris literis, quæ sunt hujus tenoris.

Ellenhardus ab Imperatore obtinet suæ Ecclesiæ bona quædam in Histria.

IN nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. H. divina favente Clementia Rex Romanorum Augustus. Omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum pie devotioni pateat, quemadmodum nos pro æterna retributione, & pro anima Patris nostri bone memoriae Heinrici Romanorum Imperatoris Augusti, obq̄ petitionem & interventum dilecti nostri Annonis scilicet Colonienfis Archiepiscopi, nec non ob devotum & fidele servitium Ellenhardi Frisingensis Episcopi quædam juris nostri proprietates ad fiscum nostrum pertinentes in Marcha Histria, & in Comitatu Marchionis Udalrici, inq̄ locis subnotatis, id est, in Pyrian & Nirvvenburch sitas cum omnibus utilitatibus ad eas ritè pertinentibus, hoc est, mancipiis utriusque sexus, arvis, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, navium stationibus, Thelonæis, viis & introitibus, exitibus & redditibus, quasitis & inquirendis, cunctisque aliis appendiciis, quæ ullo modo dici, vel nominari possunt, ad Monasterium S. Andreae Apostoli in Civitate Frisinga, à præfato ejusdem Civitatis Episcopo in Dei nomine initiatum & constructum ex proprio in proprium donavimus, ea videlicet ratione, ut fratribus inibi Deo militantibus, in quantum eisdem bonis provideri possit, ad divinum officium peragendum victus & vestitus singulis annis subministrentur. Et ut hac traditio nostra nunc & in futuro stabilis & inconvolva permaneat, hoc regia donationis præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione jussimus insigniri, manuq̄ propria, ut infra videtur, corroboravimus atque firmavimus. Dat. VIII. Kal. Novembr. anno Dominicæ Incarnationis MLXXI. Indiæ. I. anno autem Ordinationis Domini Heinrici quarti Regis VIII. Regni vero VI. Actum Augusta in Dei nomine feliciter. Amen.

Advertet hic Lector, Regiam hanc donationem factam esse anno 1062. ad Monasterium S. Andreae Apostoli ab Ellenhardo Episcopo NB. initiatum & constructum. Quibus verbis ipsa prima fundatio non restringitur ad hunc eundem annum, sed potuit, imò fortassis debuit uno aut altero anno præcedere, ut adeò de primo fundationis anno nihil certi statui à nobis possit. Quare anni illius determinationem aliorum judicij libenter subjeicimus. Observamus interim, Collegiatam Divi Andreae Ecclesiam ab Henrico vocari *Monasterium*. Ast id mirum non est, cum ipsa Cathedralis Ecclesia circa ea tempora adhuc fuerit appellata *Monasterium*. quod proinde nomen etiam inferioribus Collegiatis Ecclesiis Scriptores illius ævi tribuerunt.

§. III.

Continuatio Actorum tum domesticorum tum extraneorum usque ad annum Christi 1070.

Honorium II. Pseudo-Papam in publico Concilio fuisse communi suffragio reprobatum, & electionem Alexandri confirmatam, supra jamjam dicere cœpimus. Id contigit anno Christi 1062. in Germania, in loco, cui

Confirmatur
et Cæo Alex-
andri PP.

cui *Osbarium* nomen. Plurimum eam in rem contulit scriptio illa nostri beati Petri Damiani, quam Baronius plena manu recenset. Multum quoque operæ addidisse memoratur S. Anno Coloniensis Archiepiscopus. Ita tum quidem Schisma præfente ipso ac affectiente Rege sublatum fuit, ast non idcirco Cadalous superbiendi finem fecit, ut suo loco dicemus. Pottò Alexander, in Petri Sede stabilitus, eodem anno Gebhardo Archiepiscopo Salisburgensi pallium misit: ac anno sequenti Romæ Concilium convocavit, in quo contra Simoniacos, maximè contra Petrum Episcopum Florentinum actum est, qui, cùm Simoniacam labem negando à se amoliri studuisset, postea per Monachum quendam Vallis umbrosæ. Petrum igneum dictum, maximò miraculò Simoniacæ pravitatis convictus fuit, cùm Monachus ille, qui inter alios sodales suos Episcopum accusaverat, assertionem suam ignis iudicio, stupente maxima Cleri populique frequentia demonstrasset, uti fusè Baronius refert. Henticum Regem à Parente ipsius Petri Episcopi aurò corruptum fuisse, Pagius tradit.

Simoniacus
Episcopus re-
probatur.

Inter Germaniæ res coepetunt ite in detectius ex mutata Regis Henrici educatione. Causas habeo, cur fata illa non meo, sed aeternius, & quidem Adelzeiteri calamo referam. Sic igitur ille. Pueri, Hentici Regis, inquit, ætatem Moguotinus & Coloniensis Archiepiscopi adhuc satis ad Virtutis Studium flexerant. Verùm ubi Albertus, alij Adalbertus, Bremensis seu Hamburgensis Archiepiscopus ob nonnullam prudeotiz speciem & genitris claritudinem, in partem Coosiliorum irrepfit, nactus per absentiam Annonis Agripinensis (io Italiani missi) occasione Regis pervertendi, assentando, quò nihil Principibus est pestilentius, & moliendo est affecturus, ut Collegas auctoritate & gratia supergressus, gravissima quæque negotia ad se raperet, & quod, ambitionis proptium est, omnia Regis munia, suo arbitratu gereret, vetseretque. Illi ad summam potestatem grassanti, foventique juvenilem Henrici, ci lasciviam, accessit Wenerus Comes, homo ferox & insolens, cujus audecià ad firmandam improbitatem utebatur. His instructus præsidij, nihil penes si habebat, Episcopatus, velut sub hasta vnum habere, Monasteriorum, optima distahere, Ecclesiæ honores turpissimo quæstu vendere, illustriora, Reip: munera non virtuti aut bene meritis, sed onduioatoribus committere. Habuit quidem paulò molliùs potentiores Episcopos, metu factionum, sed, tantà licentiâ usus est in minùs validos, ut non cum hominibus, Religionis, immunitate tutis, sed cum vilibus mancipiis, quæ exigendo insueta tributa, quæ cogendo ad indigna servitia, per insatiabilem avaritiam, summo jure, agere videretur. Cùm Corbeiensem & Laurisheimensem opulentas Abbatias invasisset, ut ejus rapinæ infamiam & publicum odium minuere, haberetque, unde bolò objectò os æmulis obstrueret, Regi persuasit, ut Coloniensi Ancistiti donaret Malmundatiense, & Endanum Cœnobium, Moguntino Seliogenstadianum, Rudolpho Suevotum Duci Campidonense, Wenero Comiti Sacras Kirchbetgæ possessiones, Ottoo Bojotum Duci Alsatienfes, quæ huoc demùm calamitosum inopemque reddiderunt. Hæc, Adelzeiterus, qui ex Metropoli Hundij poterat addere etiam Monasterium Benedicoburanum, ejusdem Alberti sive Adalberti Archiepiscopi opetâ Ellenhardo Frisio gensi Episcopo à Rege puero, pessimos motes induto, concessum: id quod rursus non alio in fine fecerit Adalbertus, quàm ut etiam Ellenhardum Regi aliàs familiarem, rebus suis faventem tedderet. Diploma Henricianæ Doacionis apponimus.

Henricus Rex
juvenis per-
vertitur ab
Adalberto
Hamburgensi
Archiepisco-
po.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Henricus divina favente clemencia Rex. Omnibus Christi nostrisq; fidelibus, tam futuris quàm presentibus notum esse volumus, qualiter nos ob remedium anime Patris nostri pia memoria Henrici Imperatoris Augusti, nostraq; in Christo perpetua felicitate

Adalbertus
Archiepisco-
pus Ellenhardo
Imperat. AV-
barum Bene-
dictoburan-
ensis.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.


Kk 2

tate

tate, in finem quoque fidelis nostri Adalberti Hamaburgensis Archiepiscopi, nec non ob fidele Servitium Ellenhardi Episcopi ad Ecclesiam Frisingensem in honore Sanctæ Dei Genitricis & Sancti Corbiniani constructam, Abbatiam Burum dictam in pago Sundergome in Comitatu Sigemari Comitis sitam, cum omnibus appendicijs, hoc est, villis, vineis, in quacunque Provincia, seu quocunque pago vel comitatu sitis, nec non utriusque sexus mancipijs, arvis, adficijs, agris, campis, pratis, pascuis, silvis, forestis, forestarijs, venationibus, terris cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, exitibus & redditibus, viis & introitibus, quasijs & inquirendis, omnique jure & utilitate, quam nos inde habuimus, in proprium dedimus, ea videlicet ratione, ut prædictus Ellenhardus Frisingensis Episcopus, suisque Successores liberam inde potestatem habeant tenendi, constituendi, vel quidquid ad communem utriusque Ecclesie utilitatem voluerint, faciendi. Et ut hoc nostra Regalis traditio stabilis & incorrupta omni permaneat tempore, hanc cartam inde conscribi, manique propria corroborantes Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrichi quarti Regis.

Sigehardus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarij recognovi.



Data 15. Kal. Sept. anno Domini Incarnationis MLXV. Indictione III. anno autem Ordinationis Domni Heinrichi quarti Regis XI. Regni vero VIII. Actum Gerlungun in Dei nomine feliciter. Amen.

Ellenhardus dictum in modum Abbatiam Burum, nempe Benedictoburanam, donatus, contra, & sperari poterat, statim Megiogofum, Abbatem legitimum, exautoravit, & e monasterio S. Stephaei (nempe Weichenstephaoenfi) assumpsit Ratumundum, quem Benedictoburanis præfecit, virum quidem bonum, sed non bonum Abbatem, quippe qui mores quidem Religiosos exhibebat, verum curam aliorum exiguam habebat. Quo factum est, ut in eo Monasterio disciplina religiosa paulatim penè collapsa sit, uti in duobus antiquis Chronicis Benedictoburanis legimus. Interim Adalberti Hamburgensis Archiepiscopi facioora, ut ait Mabilionius, omois populus damnabat, damnabitque posteritas. Certè aono statim sequente, ut Brunnerus cum alijs scribit, Adalbertus, qui Divorum opes spolia fecerat, sacrilegæ prodigalitatis pœoas luit, odijs totius Imperij in eum concitatis, quibus illum eripere ne Rex quidem potuit. Jactatæ palàm fuere nudatis etiam ensibus liberæ voces, Henrico aut Regnum aut Adalbertum esse ejurandum. Ita demùm Henricus,

nc

ne Regnum & vitam amitteret, Adalbertum dimittere coactus fuit, cuius proinde fortuna, eo quidem tempore, penitus concidisse visa est. Ita ferè illi.

In Bojaria nostra cùm anno sequenti, Christi 1067. Nobiles in hac ipsa sua patria prædas impunè agerent, eademque infamiâ etiam Dux ipse Otto laboraret, Ellenhardus noster pro sua Ecclesia sollicitus, non solum nullum suæ Ecclesiæ detrimentum fecit, sed insuper hanc ab Henrico Rege novam & insignem donationem impetravit.

In nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. *Henricus Divina favente Clementia Rex. Sanctarum Dei Ecclesiarum profectui tantò diligentius providere debemus, quanto excessus ex divino munere sublimate sumus. Quapropter omnibus Christi nostrig fidelibus, tam futuris, quam presentibus novum esse volumus, qualiter nos Frisingensi Ecclesia, in honorem S. Mariae, Sanctique Corbinianni constructæ & consecratae, ob petitionem, ac interventum Bertha Reginae, Regni thoricque nostrig consortis dilectissima, instinctu quoque Epontis Norwenburgensis Episcopi, Ekkeberti Marchionis, Oudatrici Marchionis, nec non ob fidele mercurium, Ellenhardi, ejusdem sedis Episcopi, has villas Cubida, Lonca, Orze, Razari, Trusculo, Steina, Sachte Petre in pago Istria in Marcha Oudatrici Marchionis sitas, cum omnibus appendicijs suis, hoc est, utriusque sexus mancipijs, vineis, agris, pratis, campis, piscuis, silvis, venationibus, forestis, forestarijs, Ecclesijs, arcibus, adificijs, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus, & redditibus, visis & invisis, merkatis, theloneis, monetis, quasijs & inquirendis omniq; utilitate in proprium dedimus, confirmavimus, perpetuo jure obtinendum concessimus, ea videlicet ratione, ut nullus successorum nostrorum Imperator sive Rex, Dux, Marchio, Comes, aut alia major vel minor persona judicialis hæc data præfata Ecclesie auferre, alienare, aut ullo modo presumat inquietare, sed prænominatus Episcopus ejusque successores liberam inde possessionem habeant tenendi, precariandi, commutandi, vel quidquid inde ad utilitatem ejusdem Ecclesie voluerint faciendi. Et ut hæc nostra Regalis traditio stabilis & incorvulsa omni permaneat ævo, hæc cartam scribi, manique propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Henricus in-
pam erga El-
lenhardum
incedit
munificus.

Signum Domni Henrici quarti Regis. Gregorius Cancellarius vice Annonis Archicancellarii recognovi. Data tertio nonas Martii anno Dominice Incarnationis MLXVII. Indictione V. anno autem Ordinationis Domni Henrici quarti Regis XII. Regni vero XI. Actum Ratisponæ feliciter amen.

Ad eundem annum Pagius revocat Concilium Mantuanum, quod Baronius ad annum Christi 1064. reposuerat. Ast Baronio in actis Conciliorum adscriptur Harduinus. In eo Concilio Cadalous Pseudo-Papa iterum condemnatus, & Alexander à criminibus sibi objectis absolutus est.

Tom. IV. part. 2.
Pag. 1141.

Sequenti anno Christi 1068. Otto Dux noster, una cum Annone Coloniensi Archiepiscopo, & Henrico Episcopo Tridentino legatione, Cæsaris nomine in Italia functus est, quo ipso tempore rursus civile inter Bojos Bellum exarsit, quod tamen subito mutatis tumultuantium animis divinitus sopitum est. Henricum Regem hoc, non verò sequenti anno ferias Christi Natalicias Frisingæ coluisse, verò similis est: qua de re post Lambertum Schaffinaburgensem Aventinus ac Palatius agunt. Paulò post, cùm Henricus, assentientibus quibusdam Episcopis, Bertham Reginam Conjugem repudiaret. Sanctus Petrus Damiani noster Pontificia Legatione functus, probrum illud cœlesti quadam facundia avertit. Interea Ottone Bojariz Duce perduellionis per calumniam accusato, atque nihilominus exautorato, Rex Henricus Welfonem substituit: ex qua occasione calamitates illius temporis, egregio, pro more suo, sti-

Rev iterum
Frisingæ Ca-
non Christi
venereat,
Acta varia.

lò Brunnerus describit deploratque, statim ad initium tertiæ Partis, ad quem Lectorem remittimus. Cæterum annuentem eodem anno votis suis habuit summum Pontificem Alexandrum II. Gebhardus Salisburgensium Metropolita, dum Papa novæ Episcopali Cathedræ Gurcensî apud Carinthios statuendæ auctoritatem Pontificiam libens eidem commodavit, uti post alios Mezgerus noster tradit. Nec minus propitium sensere Pontificem Archiepiscopus Moguntinus & Episcopus Bahenbergensis, qui, cùm Simoniacæ Iahsrei constituti, & ad causam dicendam Romam vocati essent, ad iudicium subeundum illuc se contulerunt: quos veluti obedientes filios Pontifex absolvit, & ad suas Ecclesias liberos remisit. Qua de re Baronius ad hunc annum fusè disserit, qui videri potest.

§. IV.

Ellenhardi, & illius temporis gesta usque ad annum Christi 1074. ubi de fundatione inclitorum Monasteriorum Rotensis & Raittenbuchenfis.

Consecratio
Ecclesiæ S.
Udalrici Au-
gustæ.

Anno Christi 1071, Embrico Augustanus Episcopus, templum SS. Udalrici & Afræ à se instauratum sacris caremoniis iniciavit assistentibus sibi Gunzone Eistetensi & Ellenhardo nostro Frisingensi Episcopis. Henricum Regem eidem festivitati interfuisse Mahillonius ex Stengelio refert: Ast R. P. Corhinianus Khamm in Hierarchia sua Augustana Regiæ præsentis mentionem nullam facit. Potuit tamen Rex interesse ea ipsa occasione, qua eo anno ad Bojos se contulit, ut illos imposito nuper Duci Welfoni conciliaret: quod etiam ex animi sui sententia consecutus est. Proximò annò, cùm Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus ultimam manum fundationi Gurcensî Episcopatus admovisset, Guntherum nominavit & confirmavit primum Gurcensium Præfulem, eumque cooperantibus sibi Episcopis Altwino Brixinensi, Ellenhardo nostro Frisingensi, & Candiano Histriensi consecravit, ut iterum Mezgerus tradit. Eodem anno Bremensis seu Hamburgensis Archiepiscopus Adalbertus, qui rursus in aulam redierat, obiisse fertur. Henricus indies prolapsum in deterius, cùm pessimi Regiminis iterum palàm fuisset commonitus, religiosissimum Annonem Colonensem Archiepiscopum, cujus admonitiones antehac fastidièrat, rursus publicis officiis, quamquam invitum, admovit: qui licet pessimos Germaniæ mores sancta severitate coercere studeret, aded tamen nihil in emendanda Regis indole profecit, ut is continuò etiam pejor fieret. Unde etiam Anno Archiepiscopus demùm ex aula sese subduxit. Refert ex antiquis scriptoribus Bucelinus noster, Sigefridum Moguntia Archiepiscopum incredibili Imperii ab Henrico administraci fastidio, simulata ad S. Jacobi cineres in Castiliam peregrinatione, Cluniacum se recepisse, & cucullum induisse: postea verò simoniaco Antistite in Moguntina sede ab Henrico collocato per obedientiæ virtutem adjuratum ab Abbate, & Pontificatum resumere iustum. Quod is etiam præstiterit, ac peste illa tam illustrem Cathedram liberaverit. Id ipsum ex Mariano Mahillonius affirmat: qui hoc ipso anno refert mortem beati Petri Damiani nostri, qui Florentiæ ex schri sanctissimè decéssit. De eo Baronius testatur, *hoc deploratissimo saculo, eum excrépisset diluvium carnis ad obruendam Ecclesiam, dromitus datum tantum Virum, qui austerissima vita exemplo, verbique prædicatione & scriptis exsiccaret tantam putredinem pariterque pugnet contra simoniacam Hæresin, qua ubique grassabatur impune.* Hæc ille.

Gorcensî
Episcopatus
origo.

Henricus in-
dies pejor.

Insequens annus, Christi 1073. Alexandri Papæ II. ultimus, Gregorii VII. primus, magnis motibus Imperium concussit Authore maximè Rege Henrico,

cujus

ejus flagitiosi & turbulenti actus totum ferè Occidentem perturbarunt. Is Romam citatus fuit ab Alexandro Papa, responfurus ad accusationes, quæ adversus eum à Saxonibus delatz fuerant ad Apostolicam Sedem, Simoniaca potissimum hæresi, aliisque criminibus, in Ecclesiis, Personas sacras, ac profanas perpetratis. Ille verò Pontificis mandato contempto, cum ut supra diximus, Annonem Archiepiscopum jam non haberet monitorem domesticum, refractis omnibus pudoris ac modestiæ vinculis deinceps etiam liberius omnibus flagitijs & sceleribus atque subditorum vexationibus fræna laxavit, Saxoniz ac Turingiz colles castellis ac præsiidijs firmavit, prædâsque ex agris vicinis villisque agendi liberam facultatem militibus suis permisit, ut cum alijs Mabillonius scribit. Neque deerant ex Imperij Principibus, qui de abjiciendo consecrato Rege consilia tractarent, fuissetque ille absque dubio è folio deturbatus, nisi Rudolphus Suevus Imperij coronam decretaisset.

Interea Alexander II. Optimus Pontifex die 21. Aprilis è vita migraverat, cui Romani statim postridie, cum Alexander tumulo illatus fuisset, inconsulto Rege Henrico Hildebrandum, ex Monacho Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, *Virum*, ut Lambertus noster testatur, *sacris literis eruditissimum & in tota Ecclesia tempore priorum Pontificum omni virtutum genere celeberrimum, quamquam invitum ac merentem*, ut Centius Camerarius apud Pagium scribit, subrogarunt. Eligentium iudicium his verbis erat conceptum: *Nos Sancte Romana Ecclesia Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, presentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, & Monachis, consentientibus pluribus turbis, utriusque ordinis, eligimus nobis in Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, Virum Religione, doctrina justitiæque præstantem, in adversis constantem, in prosperis moderatum, pudicum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in premio huius Ecclesiæ à pueritia egregie educatum, & eruditum, eundemque posthac esse & dici Gregorium VII. Pontificem volumus & consentimus.* Hæc Baronius ex Actis publicis refert. Sanè Hildebrandi celebritas jam ante Pontificatum tanta fuit, ut Pantaleon Consul, cum portas areas pro Ecclesia S. Pauli via Ostiensi, admirabili artificio Constantinopoli fabricari curasset, ijs inter alia hæc insculpi iussisset; *Anno millesimo septuagesimo ab Incarnatione Domini, temporibus Alexandri Sanctissimi Pape secundi, & Domini Hildebrandi venerabilis Monachi & Archidiaconi, instructæ sunt porta ista in Regia Urbe Constantinopolitana adjuvante Domino Pantaleone, qui illas fieri iussit.* id quod cum eodem Baronio Mabillonius refert. Ubi vides, Lector, Hildebrandum jam triennio ante Pontificatum habitum fuisse ipsi Pontifici Alexandro quasi supparem, cum Urbis consul tempus confecti tanti operis non solum ad Alexandri, sed etiam Hildebrandi Venerabilis Monachi atque Archidiaconi ætatem retulerit.

Hanc nihilominus electionem velut se inconsulto factam, indigne tulit Henricus, mistique, qui facti rationem à Romanis exposularet. Verùm ubi comperit, Gregorium ad eam dignitatem non ambitione sed vi adductum, ordinari se passum non fuisse, donec electionem tum Regi, tum Teutoniz Principibus probari iatelligeret, assensum suum Henricus adiecit, ac teste Centio Camerario supra laudato, statim Gregorium Vercellensem Episcopum, Italici Regni Cancellarium, ad Urbem transmisit, ut Auctoritate Regia electionem ipsam confirmaret. Addit Lambertus, Regem *latisimo suffragio, ut ordinaretur*, mandasse. Sanè Willelmus S. Remigij Abbas promotionem congratulatus Gregorio inter cætera hæc habet: *Tantus autem, inquit, ut nobis relatum est, totius populi tui electioni tua conspiravit assensus, ut nullus omnino ex tanta multitudinè visus fuerit dissentire. Et unde, queso, tanta unanimitas, tanta potuit esse concordia, nisi ex Spiritu illius instimètu, cuius olim adpiratione plebs primitiva credentium unum cor, & unam animam habuisse describitur?*

Gra.

Hildebrandus
fit summus
Pontifex.
In Hist. Ger-
manorum ad
annum 1073.

Ejus solidissi-
ma laus.

Adm. 1073:
N. XXV.

Baron. ad ann.
1070. N. XXXII.
Mabill. ad con-
tra annum N.
LXXV.

Henricus Rex
electionem
Gregorij VII
tam habet.

Gratias ergo Deo, qui sic tua favit Electioni, ut non pateret Ecclesia scissioni. Addit verò, huic electioni tam unanimem neminem ausurum repugnare, nisi qui respectu misera conscientia pondus sententia Gregorij sibi imminuere formidaret. Hæc Willelmus. Porrò Gregorius postea primùm measse Junio ejusdem anni in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli consecratus est.

In hoc ipsum tempus incidit amplissima fundatio, ac tum Pontificia tum Cæsarea confirmatio inclyti Monasterii Rotensis in Bojaria superiori ad Oenum in hac Frisingensi Dicecesi sita, quam non aliis aptiùs, atque ipsius Regis Henrici verbis exprimendam censuimus: quæ tamen proluxiora sunt, per extensum hic damus, ex Rotensi Autographo, ut non solum quendam Boicorum scriptorum lapsum detegamus, verùm etiam aliquam publicæ Historiæ Ecclesiasticæ lucem afferamus. Henricus sic habet:

H *Auricus Divina favente Clementia quartus Romanorum Imperator Augustus. Regalis dignitas & Imperialis Majestas ad hoc divinitus ordinata est, ut superborum temeritatem comprimat, fidelium verò devotionem maximeque Deo famularium humilitatem pia devotione nutriet. Ideò fidelis nostri Cononis Palatini memoriam posteris scripto transmittimus, quia Deum & Sanctum Petrum omnium rerum suarum heredem reliquit. Habuit enim duos liberos, quibus substantiam suam divisit, Cononem scilicet, & Irmogardam, que cum marito traderetur, portionem sibi debitam accepit, & de parte reliqua omnem calumniam legitime refutavit. Deinde filius quoque duxit Uxorem, celebratisque nuptiis, cum multi convenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua, ne in die bonorum unmemores essent malorum, & ut illi, qui omnia dedit, aliqua tribuerent. Convenerunt ergò in hoc, ut in loco & fundo, qui dicitur Rota, quem præterfluit Enus fluvius, qui est in Comitatu Arnolfi Comitum, Monasterium construerent, ibique Monachos Deo famulantes aggregarent. Placuit hoc filio, placuit Nuru, simulque cum Parentibus ad Altare Sanctorum Marini & Aniani procedentes, tradiderunt Deo & Sanctis ejus; quidquid in Regno nostro possiderunt, si absque liberis obirent. Nurus quoque dotem, quam ex Marito acceperat, Monasterio in legitimam possessionem tradidit cum omni patrimonio, quod in Lotharingia possederat, si ex eodem Marito Conone liberos non generaret. Evolutis autem aliquot diebus filius ad servitium nostrum vocatus in bellis cecidit, & sic omnis hereditas ad Monasterij jus, cui traditum fuerat, rediit. Orbatu verò Pater tota mente ad Deum convertitur, sublatoque corpore filij, & assumpta Nuru, qua sine prole remanserat, ad Monasterium properat, exequias celebrat, celebratisque exequiis traditionem renovat. Dat procer hereditatem, Nurus dotem; non conditionate, ut prius sed persèctè Deo & Sanctis ejus in perpetuum. Offeruntur Viri militares, qui dicuntur ministriales cum pradiis & possessionibus suis, quos domi, forisq; custodes lateris habebat, quibus etiam jura statuit, ut Monasterij gloriam teneant, & Abbatibus liberè ac regulariter substituendis honesto loco, gradu & ordine deseruiant. Traduntur familia diversi sexus & ætatis, quibus etiam tertiam partem servitij sui relaxavit, hisque dispositis conditionem consummat, & pradia, notata inferius Deo & fratribus regulariter viventibus confert. Rota, in quo est Monasterium, cum Ecclesiis, terminis & appendiciis suis. In Barochia Chermeringen 30. mansos cum parte Ecclesia decimis, terminis & appendiciis suis Bberstetten, Ottingen, Ashe, Nuirpara cum Ecclesia decimis & appendiciis suis. Herigolteshusen cum Ecclesia, decimis, terminis & appendiciis suis. Volkmaristorff cum vineis & agris vinitorum. Rota, quod adjacet Glone fluminis cum Ecclesia, decimis, terminis, & appendiciis suis. Harde, Bruntal, Helseendorff, Torinhusen, Warte, Veristetten, Wachreins, Ourholz, Walcheje,*

ebse, Choletal, Billessee per totum cum Ecclesia, decimis, terminis, & appendiciis suis, in Luichental, Stegen, Wisinwanck, Oriesanowe, Grantowe, Barne, & quidquid à Stricken usque ad Jochberg habuerat, præter unam mansionem apud Wisinwanck, quam filia ad pernoctandum traderat, cum de loco ad locum transfret. Apud Halle patellam salis, & locum patelle. In Stubeia duos mansos, in Wibetal stabularem curiam. Ad valles in monte, qui dicitur Ritino, quinque mansos, ad Susan in Poscen curiam & vineas, in Carinbia Castrum, quod dicitur Ursen, & circa Castrum sexaginta mansos. Juxta Moram fluvium Flachfaba. Juxta Liessiche Meizzenstein. In Marchia juxta Rabam fluvium Cbuniberga cum terminis & appendiciis. In Oriens Breitenowe Swarzaba, Luiprandestorff, Snozindorff, Hederisberwerde juxta Danubium versus Hungariam, Viskabegemunde, Cbrunbinuzbrwoane cum terminis & appendiciis suis. In Tongowe curiam. Ad Grunmbach sex vineas ad Huriperch cum vineis agris vituorum. Ultra Cbambe Cbostingers & Neawerlingen cum Ecclesia, decimatione, Tbeloneo, terminis & appendiciis suis. Juxta fluvium, quod dicitur Naba, Undebestorff. Curiam suam Ratisbone juxta sanctum Cassianum cum atrio per circuitum & edificis. In Suevia villam, que dicitur Eslingen. Hec omnia cum omni jure tradidit cum arvis & edificis, agris, campis, pratis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, silvis, venationibus, sectione, saginatione, & que habentur & haberi possunt in legitima possessione Rotensis Monasterii, de quibus etiam Nurus sua Elisabeth statim Monasterium investivit, & postea in beneficium accepit. His ergo prædiis & redditibus vir fidelis Rotense Monasterium suadavit, ac fundatum beato Petro ac Romane Ecclesie tradidit per manum Eberhardi de Razenboven, qui & primus Bizanziam aureum annuatim persolvendum Lateranensi Palatio persolvit, ac sic loco atque familie tutelam apostolica defensionis obtinuit. Obtinuit quoque Monasterio liberam Abbatis electionem, Baptisum, sepulturam, & ut Advocatum non habeat, nisi quem velit, quia jam legitima successio advocatorum cessaverat, mortuo sine liberis filio, & ad filios filie jus illud non pertinebat. His ita peractis nostram presentiam adin, nostraque imperiali auctoritate hac omnia roborari expetiit. Nos vero devotione tanti Principis exblarati, ac petitione ejus inducti, Pontificialem auctoritatem nostra auctoritate munivimus, & quidquid concessit, concessimus, statuentes, ut nulla Ecclesiastica secularisve persona audeat præfati Monasterii jura infringere, personas turbare, possessiones invadere, minuire, auferre, vel ablata retinere, terminos cobibere, vel transgredi, nec ullam possessis, vel in futurum possidendis violentiam inferre. Si quis banc nostre constitutionis paginam sciens, Rotense Monasterium infestare presumpserit, veniat super illum Apostolica maledictio, nostrique violati edicti dura compositio, noveritque se multatum centum libris auri, cujus medietas nostra Camera, alteram vero medium fratrum usibus persolvatur. Hoc ergo ut firmiter teneatur, loctique libertas, pax & securitas omni loco stabili & inconcussa permaneat, banc presentem nostre constitutionis paginam inde conscribi fecimus, nostrique sigilli impressione muniri.

Signum Domini Henrici Regis invictissimi, Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovit. Dat. Non. Sept. anno Dominice Incarnationis M. LXXIII. indict. XI. anno autem Regni Henrici XX. Actum Ratisbona feliciter. amen. Præsidente Romæ Apostolicam Sedem Gregorio VII. qui & Hilspaudus. Ita Henricus; cujus Diploma postea anno 1126. Fridericus II. Imperator confirmavit, illudque totum suo Diplomati inseruit, uti in additionibus Gewoldi ad Hundii Metropolitim videre est.

Observatio-
nes ex Diplo-
mate Henrici.

In utroque hoc Diplomate duo annotamus. Henricus, ut ut aliàs vi-
tis supra recensitis obfuit, in hoc suo Diplomate Gregorii Pontificalem
auctoritatem rursus agnovit, & apostolicam Monasterii Rotensis confirma-
tionem sua quoque auctoritate munivit, Gregoriumque, qui & Hildepran-
dus, nomine expressit, ac Apostolicæ sedi præfuisse testatus est, idque
Nonis Septembris ejusdem anni 1073. postquam Mense Junio Gregorius
consecratus fuerat. Nullum igitur eo quidem tempore cum Gregorio dissi-
dium, nullum de ejus legitimo Pontificatu dubium habuit, & futuros suos
adversus Pontificem illius potestatem ausus damnavit.

Error quo-
rundam
Scriptorum
detegitur.

Deinde Henricus anno salutis 1073. Mense Septembris disertè asserit,
Chunonem, Chunonis Rotensis fundatoris filium *in bello cecidisse*; fortè non
alio, quàm quod Henricus nuper cum Saxonibus gesserat. Quo igitur jure
quidam præcepti rerum Boicarum Scriptores asserunt, eundem Chunonem
primùm anno Christi 1081. obiisse, & quidem instar fautoris auxiliatoris-
que Schismaticorum vitam clausisse, diris Pontificiis obnoxium, cujus tamen
Parens, haud invitò Henricò, Apostolicæ Sedi devotissimus fuit, uti Diploma
demonstrat? & cur Chuno junior diris Pontificiis devotus dicitur, quando ipse
Henricus-Rex Anathematis fulmine nondum percussus, neque Schismaticus
declaratus fuit? apage igitur hunc errorem è Boica Historia, ut sua laus utri-
que Chunoni inviolata persistat, qui fundatione tam magnifica, accedente
Pontificia, ac consonante Cæsarea auctoritate divino Numini æterna præ-
paraverunt obsequia. Illud sanè dolendum est, quod de illustri laudato-
rum Chunonum ortu ac sanguine majores nostri plura literis non consignã-
tint; aut, si quæ fuere consignata, intenerint.

Fundatio Mo-
nasterii Rait-
tenbuech.

148-159

Ad annum Christi sequentem scil. 1074. referenda sunt prima initia in-
clyti Monasterii B. M. V. Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini in
Raittenbuech, uti docetur ex. Instrumento pervetusto, quod Tomo III.
Metropolis Salisburgensis producit Gewoldus, tamen Hundius cum Aren-
beckio primordia ejusdem Ecclesiæ primùm ad annum Christi 1085. diffe-
rat. In eo instrumento legimus, *Welfonem cum Coniuge sua Juduba quen-
dam sui prædii locum, Bebingoe (hodie Böbingen) appellatum cum villis, man-
cipiis, agris, prati, silvis & redditibus, ad Cellam, quæ vulgò dicitur
Raittenbuech, tradidisse, quæ in nomine Jesu Christi, ejusque sanctæ Genitri-
cis Mariæ condita & consecrata fuerit; hac scilicet conditione, ut deinceps Deo
ibidem servientibus Clericis in usum cedat. Additur, huic factò interfuisse
beate memoriæ Pataviensem Episcopum Almannum cum suis Clericis.* Id
quod egregiè confirmatur ex. Catalogo Pataviesium Episcoporum, quem
nuper edidit Clar. P. Hieronymus Pezius Mellicensis Scriptorum Austriaco-
rum Tom. I. ubi sequentia de Altmanno legimus: *Hic devotissimus in Episco-
pato suo tria convivia Clericorum, juxta Regulam S. Augustini communiter vi-
ventium, instituit: & tertium in Episcopatu Frisingensi (nempe Raittenbue-
chenic) in alodio Welfonis Ducis per Clericos suos edificavit, & regularibus
disciplinis subdidit.* Hæc in confirmationem Welfoniani Instrumenti per pa-
rentesin.

col. 16.

Recitatis postea ex more veterum factæ Welfonianæ donationis testibus
subjungitur, eundem Ducem *triginta & unum mansos proximos ad Raitten-
buech* (nempe agros Monasterio adjacentes) *donasse Reliquiis S. Mariæ* (fortè
de vestibus, capillis, aut aliis ejusmodi) *aliorumque sanctorum, quæ ibidem
continentur, pro redemptione anime suæ, omniumque debitorum* (fortè pro-
genitorum) *suorum stabiliter illic ad DEI servitium manendos, id est specta-
turos.* Subjunctis postea novæ illius donationis testibus additur, id conti-
gisse

gisse anno Dominica Incarnationis M. L. XXIV, Indiæ, XII. Kal. Januarii. quæ notæ chronologicæ tum inter se benè cohærent, tum etiam ætati B. Altmanni & Welfonis, eo nomine primi Bojaræ Ducis egregiè respondent. Demùm Charta dictæ traditionis subdit, *Welfonem Ducem filium Ducis Wolfhardi, prædium suum in loco, qui dicitur Wulfsteig, iudem reliquiis tradidisse, retento tamen sibi usu fructuario.* Ita Instrumentum Donationis. Sanè quis fuerit Welfo ille Wolfhardi filius, hæcenus nos nondum assequi, ulterò facemur. Cæterùm de recitata huc usque donatione, ac primæva illius Ecclesiæ fundatione Poëta pervertustus pro simplicitate illius ævi hæc cecinit.

*In populo quasi lux effulgens Welfo pius Dux.
Qui dulcis quasi nux, cunctis nec corde fuit trux.
Hujus fundator claustris fuit & relevator
Summus Plasmator ipse fit renovator.*

Welfonis
fundatoris
laus.

Huc revocandi sunt alii de laudato Welfone antiqui versus ex Raittenbuechenfi Codice:

*Anno milleno septuagesimo quoque quarto
Dux Welfo insignis virtutibus clarus dignis.*

De Juditha verò idem Poëta sic lufit:

*Judent * dicta locum struxi studiosius istum.
Ergo mei memores precor ut sint hic famulantes.*

* Judith.

Porò fundationem eum in modum factam Urbanus II. Pontifex Maximus daris anno 1090. & 1092. literis probavit. Extant autographa earum literarum, quæ ex singulari gratia Reverendissimi & Amplissimi Domini Patritii moderni dignissimi Præpositi, nec non eximia humanitate D. Gaudentii Mayr Decani, Frisingæ conspeximus non sine admiratione veterum characterum, qui in exemplari de anno Christi 1090. apparent, &, ut æri aliquando incidantur, omnind merentur. Iisdem literis idem Pontifex Udalricum, primum sacri illius Collegii Præpositum confirmavit.

Ut primùm res Raittenbuechii dictum in modum propositis superis fuere constitutæ, mox tantum Sanctitatis odorem sparsere novæ plantæ, ut is non in vicinam duntaxat Bojariam, verùm in Saxoniam usque ac Flandriam penetraverit, atque Viros præstantissimos ad Cœnobium illud attraxerit. Inter horum primos numeratur Lambertus, Rottenburgius in Franconia Comes, & Metropolitanæ Colonienfis Ecclesiæ Canonicus. Hic dum sub initium duodecimi sæculi iter Hierosolymitanum meditatur, consilio Razonis Raittenbuechenfis Laici, & Udalrici Pataviensis Episcopi, Regularibus deinceps Canonicis Raittenbuechii accenseri voluit; ubi tantos Virtutum radios sparsit, ut Conradus Salisburgenfis Archiepiscopus eundem ad Adelgotum Magdeburgeniæ Metropolitanam unà cum Berevico Raittenbuechenfi Præposito (qui Udalrico proximus successit) aliisque illius Monasterii Viris Religiosissimis mittendum censuerit.

Monasterii
Raittenbue-
chenfis cele-
britas.

Adelgotus tantorum victorum virtute fretus Halæ in Saxonia Monasterium *Novi Operis* (Neutwerck) erexit, eidemque Lambertum præposuit, officio suo deinceps tam piè sanctèque functum, ut beati titulum à morte in domesticis Chronicis retulerit. Paucis postea elapsis annis Sigismundum cum aliis quatuor fratribus Quelphoropitum (Wolfsenbittel) vocatum, noviter erecto Collegio (Hammersleben nuncupato) fuisse Præpositum, domesticæ itidem membranæ produnt. Rogerius Raittenbuechenfis datus esse dicitur Præpositus Collegio Rhodensi recens erecto prope Aquisgranum. Intra Bojariam nostram Eberwinus è Monasterio Raittenbuechenfi primus præfuit Ecclesiæ Berchtoldsgadenfi (quæ hodie Principatûs jure gaudet) adductis

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Ll a illuc

illuc secum octo fratribus, quatuor videlicet Clericis, & quatuor Laicis: de quibus plura Hundius. Verùm de celeberrimo Monasterio Raittenbuecheni satis in præfens: de quo suis locis & temporibus plura dicenda occurrent.

Traclatus inter Archiepiscopum Sa-
lub. & Episcopum Frisingensem.

N. 1248.
Tom. 5.

Ad hunc eundem annum Christi 1074. pertinere videtur conventio facta inter Sigehardum Patriarcham Aquilejensem, & Ellenhardum nostrum Episcopum Frisingensem, super decimis, mancipiis, curthuis, areis & Ecclesiis in Carniola sitis. Conventionis literas in altera parte exhibemus. Ughellus in Italia *sacra* hunc Patriarcham appellat Singifredum, Sigewardum, & Sigehardum, Cancellarium Henrici IV. Ortum ex Comitibus de *Pleien*, nempe Plain prope Salisburgum: anno 1068. electum.

§. V.

Prosecutio tum publicorum tum domesticorum actorum usque ad annum Christi 1078.

Zelus Grego-
rii VII.

Post stabilitam Gregorii Pontificis electionem tentata fuere omnia, ut pax Henricum inter & Saxones conciliaretur. Nec deerat spes felix successus, nisi levitas Regis tractatum abruptisset. Interim cum Gregorius novus Pontifex ex veteri Canonum instituto simoniacam pestem, ac inveteratam Clericorum incontinentiam Conciliis ac Decretis paulatim acriter persequeretur, Regem & Episcopos quosdam, qui aut Cathedris aut concubinis suis timebant, graviter offendit. Ajunt Mogunnum Archiepiscopum, cum Pontificis mandatis strenue cooperaretur, vitæ periculum à quibusdam Episcopis adfuisse. Inter hæc Henricus Ellenhardo Episcopo Frisingensi labente adhuc anno Christi 1074. 6. Kal. Decembris sequentem donationem fecit.

Henricus IV.
iterum erga
Ellenhardum
Liberalissimus.

IN nomine Sanctæ & indivisæ Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rex. Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter nos in presentia Principum nostrorum Gebhardi Salzburgensis Archiepiscopi, Ottonis Ratisponensis, Willelmi Traiectensis Episcoporum, Welfi Ducis Bannariorum, cæterorumque fidelium nostrorum ex prædio, quod Salomon Rex Ungarorum nostræ potestati subjungavit, Sanctæ DEI Genitrici Virgini Mariæ in Ecclesia Frisingensi, ubi Corpus Sancti Corbiniani quiescit, rogatu & servitio ejusdem Sedis Episcopi Ellenhardi centum mansos his locis sive Ascherichesbrugge, Chunningesbrunnen, Nowendorf, Haslowe, sive de Litaba usque ad eum locum, qui terminus est inter Litaba & Vertowe cum omnibus appenditiis hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, edificijs, pratis, piscuis, Vineis, terris cultis & incultis viis & inviis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & redditibus, quasvis & inquirendis, exceptis venationibus & Wilbanno in Litababerge, aliis autem omnibus utilitatibus in proprium tradendo firmavimus, firmando tradidimus, ea videlicet conditione, qua cum omnibus ex præfatis prædio donatis convenimus, ut idem Frisingensis Episcopus Ellenhardus, sui que successores in quolibet Castello, specialiter in Misenburc muniendo pro his centum regalibus mansis nobis serviant, & in aliis omnibus nobis fideles existant. Cujus traditionis testem cartam presentem nostro jussu conscriptam, nostra autem manu confirmatam, sigillis quoque nostri impressione insignitam cunctis seculis reliquimus.

Sequum Domini Henrici Quarti Regis invictissimi.

Adalbero Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi.

Anno Dominice Incarnationis millesimo LXXIII. Indictione XIII. VI. Kl. Decembris data: anno autem Ordinationis Domni Henrici III. Regis XX. Regni XVIII. Actum Ratisponæ in Nomine Domini Jesu, Amen.

Hæc Rex Ellenhardo nostro : quem tamen non idcirco Regi contra Pontificem adhaerisse dicemus, cum Ellenhardus usque ad id temporis à nemine unquam aut simoniaci criminis, aut prævæ libidinis reus fuerit habitus. Dicendum potius videtur, quòd nondum eò dementiæ tum Rex pervenerit, ut virtutem præmiò indignam censeret. Cùmque ei donationi intervenisse constet Gebhardum Salisburgensem Archiepiscopum, Virum Sanctitatis fanà Clarissimum, atque sedi Apostolicæ addictissimum, dubitari non potest, quin Ellenhardus ejusdem cum Metropolitano suo mentis ac consili fuerit, ac eousque Pontificiorum Decretorum prævaricatorem sese minime constituerit.

Ex quo tamen Ellenhardus non probatur alia Henrici Acta laudasse.

Sequenti anno Christi 1075. Adalzeittero teste, Henricus pro Salomone Hungaricæ Rege bellum suscepit promisso sibi in præmium aliquo terræ Hungaricæ tractu. Verùm certatum est ingloriè, Salomone fortunæ succumbeante, & Henrico sub autumnum Ratisbonam regresso.

Romæ eo tempore Gregorius totus erat in reformandis depravatis simoniacorum ac Clericorum incontinentium moribus. Stupenda verè sunt, quæ de sanctis ejus laboribus ad hunc annum refert Baronius, qui recenset plura Decreta Pontificia contra quosdam Germaniæ Episcopos edita, inter quos tamen Ellenhardum nostrum nullibi Lector inveniet. Cæterùm annum illum, teste Lamberto nostro, lugubrem fecit obitus Annonis Coloniensis Archiepiscopi, qui se semper velut murum pro Pontifice contra Henricum ejusque asecclas objecerat. Ejus exemplum eodem anno Natali die Redemptoris nostri Populus Romanus secutus est, cum Gregorium Pontificem aggressionem sacrilegi hominis Quintii, Romani Præfecti, dum tacra ageret, captivum abductum, & carceri per summum nefas mancipatum, pristinæ libertati restituit.

Pontifex pergit pravorum emendate.

Atrox facinus Guiberti antiqui schismatici, postea Episcopi Ravennatis, sed Romano Pontificatu inhiantis artibus fuisse concinnatum, Baronius latè demonstrat. Guiberti vestigiis anno sequenti turpiter insitit Henricus Rex, Apostolicæ Sedis contemptor ac hostis acerrimus; qui cum de neglectæ Pontificiæ potestatis cultu per legatos Gregorii interpellatus fuisset, teste Lamberto nostro, illius ævi homine, statim abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes, qui in Regno suo essent, Episcopos & Abbates Wormatiæ Dominica Septuagesimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua ratio pateret; in hoc cardine totam verti ratus salutem suam, & Regni stabilitatem, si is non esset Episcopus. Statuta itaque die Rex Wormatiam venit. Venerunt etiam Episcopi tum Gregorio ob causam Celibatus insensu, tum ab Henrico pollicitationibus (ut Palatius loquitur) excitati, & Abbates amplissimò numero. His accessit inceptor Hugo Blancus, à Papa nuper ob pravorum mores à Cardinalum Cætu motus, deserens secum, ut ait Lambertus noster, de vita & institutione Pape scenciis figmentis consimilem tragediam, qualiter ab ineunte etate conversatus, quam perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit. Hujus autoritatem (pergit Lambertus) tanquam divinitus sibi destinatam gratissimè amplexati, & promptissimè secuti sententiam promulgarunt, quòd Papa esse non possit, nec ullam juxta privilegium Romane Sedis ligandi aut solvendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probis ac criminibus commaculaverit. Hæc apud Lambertum nostrum.

Defecidit i Populo Romano.

Henricus fuit in Pooan. tem.

Conciliabulum Wormanenst studet Gregorium castroruo.

An Ellenhardus Decreta Concilii subſcripſit.

126. 6. pag. 591 ad ann. 1076.

Scribit Adelzreiterus, inter alios Episcopos, quibus veri amor, & ſuprema Romanæ Sedis Autoritas Regis gratia fuerit potior, Ellenhardum Frlingenſem datæ ad Papam ab eo Conciliabulo epiſtolæ non ſubſcripſiſſe. Adelzreiterum Mezgerus noſter ſequitur. Suffragatur etiam P. Nicolaus Schaten S. J. in Annaliſus Paderbornenſibus iis verbis: *Obſtitere, inquit, hiſ (nempe Episcopis, Gregorii VII. inimicis) acriter alii Episcopii, Gebhardus cumprimis Salisburgenſis Archiepiſcopus, Adalbero Wirzeburgenſis, Hermannus Metenſis, Adalbertus Wormatienſis, Altmannus Patavienſis, Ellenbardus Frlingenſis, Cibo Tullenſis Episcopii, aſſerentes, iniuam eſſe, Episcopum aliquem nullis adductis teſtibus, nullis probatis criminibus condemnare, uedum Romanum Pontificem, Sacroſanctum Episcoporum caput, aduerſus quem neque Episcopii neque Archiepiſcopii reciperetur delatio.* Hæc ibi: *Ubi in teſtes vocantur Beka, Heida, & Bucherius.* At Gualtetus Belga in *Chronico Chronicorum*: Palatius lib. 18. cap. 3. inter alios Episcopos Henrico aſſentantes etiam Ellenhardum numerant: quibus ex Heterodoxis ſubſcribunt Goldaſtus Tom. 1. *Conſtitutionum Imperialium* pag. 237. & Leukfeldius in *Antiquitatibus Halberſtadienſibus* pag. 687. item in Additionibus ad eandem *Antiquitates Halberſtadienſes* pag. 83. & 84. Palatius & Goldaſtus Ipiam Pseudoſynodi Epiſtolam produciunt, & Episcoporum ſubſcribentium, imò, ut rectius dicam) præſcribentium nomina recent. Has ſibi contrarias aſſertiones quo pacto conciliare poſſimus, non videmus, qui nullius autoritati abſque authenticis instrumentis quidquam detrahare intendimus, ſed iudicium noſtrum ſuſpendimus. Interea Lambertus noſter Schaffnaburgenſis, Monachus Hirsfeldenſis, qui ſtatim anno ſequenti totam Hiſtoriam latè conſcripſit, & de rebus recentiffimè geſtis procul dubio exactam notitiam habuit, ait, ex Episcopis, qui conuenerant, ſolos Adalberonem Wirzeburgenſem, & Hermannum Metenſem Episcopum aliquandiu reſtiſſe, ſed tandem à Wilhelmo Trajeſtenſi, qui cauſam Regis pertinacius tuebatur, metu adactos manum dediffe, & unà cum cæteris ſubſcripſiſſe. *Igitur ex nomine omnium (ſubdit Lambertus) qui conuenerant, Episcoporum & Abbatum, plena contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denuntietur Romano Pontifici, ut Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatque, poſt eam diem quidquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi.* Cæterum aduerto, in ſerie Episcoporum ſubſcribentium apud ipſos Palatium & Goldaſtum Archiepiſcopum Salisburgenſem Gebhardum, & Altmannum Patavienſem non reperi: ex quo, ſi cum Lamberti dictis rem conferamus, apparet, ſanctos hos duos Antiftites ad illud Conciliabulum ne quidem ſe contuliſſe, & ipſa ſua abſentia impio contractui ſeſe oppoſuiſſe: quod idem ex eadem ratione de Altwino Brixinenſi dicendum eſt.

Conciliabulum Papienſe adreſſus Gregorium VII.

Huic Pseudo-Synodo breui aliam ſucceſſiſſe Papiæ, Palatius refert ex Bertoldo. In ea poſt criminationes acerbiffimas rursus prodiit decretura de Hildebrando (ita vocabant Gregorium) abdicando. Huius decreti verba ultima ſunt, quæ ſequentur. *Huic decreto Germania, Galliaque & Italia Episcopii ac Proceres, conuentu in hac Regia urbe Papiæ acto, ſubſcribere, iuraueruntque, ſe nunquam Pontificem maximum iſtroc nomine recepturos.* Hæc ex Bertholdo Palatius. Ubi tamen monendus eſt Lector, Bertholdum loqui de iis ſolùm Episcopis, qui Papiam ſe contulerunt, non verò afferere, omnes omnino eorum Regnorum Episcopos Papiæ comparauiſſe.

Rolandus vocabatur Clericus ille, cui Conciliabulum epiſtolam dedit ad Gregorium deſerendam. Imaturato itinere Romam contendit, ut in urbem veniret, antequam illic ſacroſanctum Præfulum Conuentus, à Gregorio jam

jam indictus, institueretur. Delatus in urbem Gregorio Pontifici absque omni salutationis honore, Tibi, inquit, *Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Italiae, Germaniæ, Gallie Episcopi, & sacer Ordo Christianus precipiunt, ut te munere, quod actu, pecuniâ, gratiâ occupasti, confessim abduces. Nec enim fas est, in vitium illis te adversus auctoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ovili DEI ultra incubare.* Postea ad cæteros verius: *Pienissimi, inquit, fratres, Pastorem jure vestro deligite. Deinde sacratissimus Consul, Tribunus & Princeps vester more majorum auctor fiat.* Hæc iterum Palatius.

Gravis sanè erat audacia, qua Pontificia auctoritas laceflebatur, imò in Ordinem redigebatur ab eo, qui defensoris Ecclesiæ titulò gloriabatur, & Gregori legitimum electionem dudùm suo suffragio comprobaverat. At tamen, ut Lambertus subjungit, *Papa nù per motus atrocitate Nuncii, postera die, cum Clerus & populus frequens ad synodum confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit, & sic cunctis, qui convenerant, Episcopis, id fieri decernentibus, Regem excommunicatum, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigifridum, Episcopum Trajectensem Wilhelmu, Episcopum Babenbergensem Robertum. Cæteris, qui conspirationis hujus participes extiterunt, diem statuit, qua nisi Romæ presentati causam dicerent nova hujus & iniuriæ contra Sedem Apostolicam rebellionis, similem cæteris excommunicationum sententiam sortirentur. Porrò Ottonem Ratisbonensem Episcopum, & Ottonem Constantiensem & Burcardum Losaunensem Episcopum, & alios nonnullos, quibus Rex potissimum Consiliariis utebatur, jam pridem excommunicaverat.* Hæc Lambertus scriptor planè Synchronus. Porrò formulam Excommunicationis, ac depositionis Henrici Palatii plena manu cum Lectore communicat.

Dum hæc ita in Germania ac Italia geruntur, Boariæ, Saxonie ac Sueviæ Principes de alio Rege deligendo in Conventu Triburienfì tractant, & in Henricum arma parant: qui demùm coactus pacem petit, & metu exauhorationis pro consequenda absolutione, lugubri licet itinere, in Italiam properat.

Canusii, firmiori Castro, eo tempore Pontifex morabatur, ubi ejus alloquium Henricus petebat. Ast Papa hominem, criminibus gravissimis oblitum, coelo terræ detestabilem, ac Christiani nominis probum, noluit admittere, priusquam triduanâ pœnitentiâ, quamquam sceleribus neutiquam pari, alloquium, atque absolutionem utcumque promereretur. Finito eo triduo ad se admissum Henricum certis conditionibus absolvit. Ast is, qua erat depravata indole, vix à Pontifice regressus, statim ad vomitum rediit, dum interim etiam Principum conventus Henricum abjecit, & Rudolphum, Sueviæ Ducem in Regem elegit, Deo gravibus pravorum Episcoporum atque aliorum Procerum supplicibus Pontificis innocentiam faciente luculenter testatam. Narrat Baronius, quod sequenti die, postquam Rolandus literas Pontifici tradiderat, Romam allatæ fuerint literæ pœnitentium Episcoporum ultramontanorum. Verba, quæ Scriptor vitæ Gregorii habet, Baronius hæc refert. *Die verò altera ab Episcopis ultramontanis literæ ad Pontificem sunt allatæ, in quibus confitebantur se errasse, & nimium deliquisse: qui postulabant quoque veniam, & omnem de cætero sibi obedientiam observaturi firmiter sponderunt.* Hæc vitæ scriptor. Quòd si inter eos Episcopos, qui, ne unâ cum Ecclesiis suis infelices essent, Henrico contra Pontificem ad tempus, & non nisi in speciem adhasere, etiam Ellenhardus noster numerandus sit (quod quidem ob dissidentes scriptorum opiniones asserere nec volumus, nec possumus) dubium esse vix potest, quin idem Ellenhardus unus de numero illorum ultramontanorum Episcoporum fuerit, qui factum suum

* forte le-
gend. irritat.

Henricum
Gregorius
dicit devo-
ret.

L. 12 cap. 3.

Qui cogitur
gravius Pon-
tificis exorare.

& absolvitur,
sed nulla e-
mendatione
secuta.

à Proceribus
Impeni seju-
ciunt.

Reliquiæ
quidam Epi-
scopi.

Au Ellenhardus Decreta Concilii subſcripſit.

lib. 6. pag. 591 ad ann. 1076.

Scribit Adelzreiterus, inter alios Episcopos, quibus veri amor, & ſuprema Romanæ Sedis Authoritas Regis gratiâ fuerit potior, Ellenhardum Frisingenſem datæ ad Papam ab eo Concilii epistolæ non ſubſcripſiſſe. Adelzreiterum Mezgerus noſter ſequitur. Suffragatur etiam P. Nicolaus Schaten S. J. in Annalibus Paderbornenſibus iis verbis: *Obſtinere*, inquit, *his* (nempe Episcopis, Gregorî VII. inimicis) *acriter alii Episcopi, Gebhardus cum primis Salisburgensis Archiepiſcopus, Adalbero Wirzeburgensis, Hermannus Metenſis, Adalbertus Wormatiensis, Altmannus Patavienſis, Ellenbardus Frisingenſis, Cibo Tullenſis Episcopi, aſſerentes, iniquum eſſe, Episcopum aliquem nullis adductis teſtibus, nullis probatis criminibus condemnare, nedum Romanum Pontificem, Sacroſanctum Episcoporum caput, adverſus quem neque Episcopi neque Archiepiscopi reciperetur delatio. Hæc ibi: Ubi in teſtes vocantur Beka, Heida, & Bucherius. At Gualterius Belga in Chronico Chronicon: Palatius lib. 18. cap. 3. inter alios Episcopos Henrico aſſentans etiam Ellenhardum numerant: quibus ex Heterodoxis ſubſcribunt Goldaſtus Tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 237. & Leukfeldius in Antiquitatibus Halberſtadienſibus pag. 697. item in Additionibus ad eandem Antiquitates Halberſtadienſes pag. 83. & 84. Palatius & Goldaſtus ipſam Pſeudofynodi Epistolam produciunt, & Episcoporum ſubſcribentium, imò, ut rectius dicam) præſcribentium nomina recenient. Has ſibi contrarias aſſerſiones quo pacto conciliare poſſimus, non videmus, qui nullius autoritati abſque authenticis instrumentis quidquam tetrahære intendimus, ſed iudicium noſtrum ſuſpendimus. Interea Lambertus noſter Schaffnaburgensis, Monachus Hirsfeldenſis, qui ſtatim anno ſequenti totam Hiſtoriam latè conſcripſit, & de rebus recentiffimè geſtis procul dubio exactam notitiam habuit, ait, ex Episcopis, qui convenerant, ſolos Adalberonem Wirzeburgenſem, & Hermannum Metenſem Episcopum aliquamdiu reſtitiffe, ſed tandem à Wilhelmo Trajeſtenſi, qui cauſam Regis pertinaciùs tuebatur, metu adactos manuſ dediffe, & unâ cum cæteris ſubſcripſiſſe. *Igitur ex nomine omnium* (ſubdit Lambertus) *qui convenerant, Episcoporum & Abbatum, plenæ commeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denuntiatur Romano Pontifici, ut Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpâſſet, ſeſe abdicet, ſciatque, poſt eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi. Cæterum adverto, in ſerie Episcoporum ſubſcribentium apud ipſos Palatium & Goldaſtum Archiepiſcopum Salisburgenſem Gebhardum, & Altmannum Patavienſem non reperi: ex quo, ſi cum Lamberti dictis rem conferamus, apparet, ſanctos hos duos Antifites ad illud Concilium ne quidem ſe contuliſſe, & ipſa ſua abſentia impio contractui ſeſe oppoſuiſſe: quod idem ex eadem ratione de Altwino Brixinenſi dicendum eſt.**

Concilium Papienſis advenus Gregorium VII.

Huic Pſeudo-Synodo brevi aliam ſucceſſiſſe Papiæ, Palatius reſert ex Bertoldo. In ea poſt criminationes acerbiffimas rursùs prodiit decretum de Hildebrando (ita vocabant Gregorium) abdicandum. Hujus decreti verba ultima ſunt, quæ ſequentur. *Hinc decreto Germaniæ, Gallięque & Italiæ Episcopi ac Proceres, conventu in hac Regia urbe Papiæ acto, ſubſcripſerunt, juraruntque, ſe nunquam Pontificem maximum iſtuo nomine recepturos. Hæc ex Bertholdo Palatius. Ubi tamen monendus eſt Lector, Bertholdum loqui de iis ſolùm Episcopis, qui Papiam ſe contulerunt, non verò aſſerere, omnes omninò eorum Regnorum Episcopos Papiæ comparuiſſe.*

Rolandus vocabatur Clericus ille, cui Concilium epistolam dedit ad Gregorium deſcendam. Is maturato itinere Romam contendit, ut in urbem veniret, antequam illic ſacrorum Præfulum Conventus, à Gregorio jam

jam indictus, institueretur. Delatus in urbem Gregorio Pontifici absque omni salutationis honore, *Tibi, inquit, Caesar noster Christianissimus, sanctissimi Italiae, Germaniae, Galliae Episcopi, & sacer Ordo Christianus precipiunt, ut te munere, quod actu, pecuniâ, gratiâ occupasti, confestim abduces. Nec enim fas est, in vitis * illis te adversus auctoritatem Imperatoris,* <sup>* forte le-
gend. iornis.</sup> *contra Christianae Ecclesiae decretum, ovili DEI ultra incubare.* Postea ad ceteros vertis: *Pientissimi, inquit, fratres, Pastorem jure vestro deligite. Deinde sacratissimus Consul, Tribunus & Princeps vester more majorum auctor fiat.* Hæc iterum Palatius.

Gravis sanè erat audacia, qua Pontificia auctoritas lacefebatur, imò in Ordinem redigebatur ab eo, qui defensoris Ecclesiae titulo gloriabatur, & Gregori legitimum electionem dudum suo suffragio comprobaverat. Attamen, ut Lambertus subjungit, *Papa sui permotus atrocitate Nuncii, postera die, cum Clerus & populus frequens ad synodum confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit, & sic cunctis, qui convenerant, Episcopis, id fieri decernentibus, Regem excommunicatum, & cum eo Archiepiscopum Magonianum Sigisfridum, Episcopum Trajectensem Wilhelmum, Episcopum Babenbergensem Robertum. Ceteris, qui conspirationis hujus participes extiterunt, diem statuit, qua nisi Roma presentati causam dicerent novae hujus & iniustitiae contra Sedem Apostolicam rebellionis, similem ceteris excommunicationum sententiam fortirentur.* Porro Ottonem Ratisponensem Episcopum & Ottonem Constantiensem & Burcardum Losaunensem Episcopum, & alios nonnullos, quibus Rex potissimum Consiliarius utebatur, jam pridem excommunicaverat. Hæc Lambertus scriptor planè Synchronus. Porro formulam Excommunicationis, ac depositionis Henrici Palatii plena manu cum Lectore communicat. <sup>Henricum
Gregorius
dicit devo-
ret.</sup>

Dum hæc ita in Germania ac Italia geruntur, Bojariæ, Saxoniae ac Sueviae Principes de alio Rege deligendo in Conventu Triburicensi tractant, & in Henrico arma parant: qui demùm coactus pacem petit, & metu exaudivationis pro consequenda absolutione, lugubri licet itinere, in Italiam properat. <sup>Qui cogitur
Henricus Pon-
tificis exoritur.</sup>

Canusii, firmiori Castro, eo tempore Pontifex morabatur, ubi ejus alloquium Henricus petebat. Ast Papa hominem, criminibus gravissimis oblitum, coelo terræ detestabilem, ac Christiani nominis probrum, noluit admittere, priusquam triduanâ poenitentia, quamquam sceleribus neutiquam pari, alloquium, atque absolutionem utrunque promereretur. Finito eo triduo ad se admissum Henricum certis conditionibus absolvit. Ast is, qua erat depravata indole, vix à Pontifice regressus, statim ad vomitum rediit, dum interim etiam Principum conventus Henricum abiecit, & Rudolphum, Sueviae Ducem in Regem elegit, Deo gravibus pravorum Episcoporum atque aliorum Procerum supplicibus Pontificis innocentiam faciente luculenter testatam. Narrat Baronius, quod sequenti die, postquam Rolandus literas Pontifici tradiderat, Romam allatae fuerint literae poenitentium Episcoporum ultramontanorum. Verba, quae Scriptor vitæ Gregorii habet, Baronius hæc refert. *Die verò altera ab Episcopis ultramontanis litera ad Pontificem sunt allata, in quibus confitebantur se errasse, & nimium deliquisse; qui postulabant quoque veniam, & omnem de cetero sibi obedientiam observaturi firmiter sponderunt.* Hæc vitæ scriptor. Quodsi inter eos Episcopos, qui, ne unâ cum Ecclesiis suis infelices essent, Henrico contra Pontificem ad tempus, & non nisi in speciem adhasere, etiam Ellenhardus noster numerandus sit (quod quidem ob dissidentes scriptorum opiniones asserere nec volumus, nec possumus) dubium esse vix potest, quin idem Ellenhardus unus de numero illorum ultramontanorum Episcoporum fuerit, qui factum suum <sup>& absolvitur,
sed nulla e-
mendatione
fecit.
à Proceribus
Impeni seji-
ciunt.
Respicunt
quidam Epi-
scopi.</sup> ^{Lib. 18 cap. 3.} ^{ocys}

De hoc Polens Episcopo nihil habet uigebat.

pag. 3.

Rudolphus contra Henricum Rex electus.

oculus detestati, veniamque suere consecuti. Certè anno Christi M. LXXVII. precibus Hazigæ Comitissæ Schyrensis, ac jussu Frisingensis Pontificis, neinp Ellenhardi, à Polensi Episcopo, Hazigæ affine, consecratam fuisse Ecclesiam S. Margaritæ in Cell, intra Alpes, ubi prima initia cepit ea Benedictina Sodalitas, cujus posterii Schyram hodie incolunt, Conradus Schyrensis in Chronico tradit. Unde non immeritò argumentum ducere videmur, Ellenhardum eo tempore cum Romano Pontifice communionem habuisse non minùs ac reliquos Bojariz Præfules. Porrò Episcopos simoniacos Italos, ac præcipuè Guibertum Ravennatem Archiepiscopum aliòsque Cæsari junctos anno Christi 1078. Gregorius è fidelium catu exclusit. Interim eodem anno diversis studiis in imperio nutabant, bellisque flagrabant omnia, & Rudolphus recens electus Rex cum Henrico gravi prælio congressus, cruenta admodum victoria potitus est; Ellenhardo postro interim ad extrema vitz delato.

§. VI.

Acta Ellenhardi Episcopi incertorum annorum, ejusque mors.

Ellenhardi operà ingentes accessiones tum Cathedrali B. V. tum Collegiatæ S. Andreæ Ecclesiæ factas esse, ex iis, quæ hæcenus commemoravimus, satis superque constat. Hæc bonorum incrementa auxit Ellenhardus utilissimis bonorum commutationibus, quas in partem alteram differimus more nostro, ne nimia Instrumentorum mole ac copiâ Historiæ filum rumpamus.

fol. 9. a.

Ellenhardus Weichen-Stephanensibus beneficus.

In Codice Traditionum Weichen-Stephanensium de Ellenhardo reperimus donationem sequentem, Monasterio illi factam.

Notum sit omnibus in Christo fidelibus, presentibus scilicet & futuris, qualiter Venerandus Frisingensis Ecclesiæ Episcopus Ellenhardus pro remedio anime suæ, nec non ob amorem interuenitque HERRICI Abbatis tradidit in dotem Altari S. Dionisii à se dedicato in Monasterio S. Stephani Proto-Martyris duo vinea ad Bozana sua, unum in loco, qui dicitur Scala; alterum in loco, qui dicitur Altum Chellari perpetualiter seruiendum fratribus inibi Christo militantibus. Et ut hæc ejus traditio firma & incorruissa in perpetuum permaneat, testibus subscriptis firmaverat,

Luitpolt. Ratolt. Reginbart. Willipolt. Gerhart.

Hanc donationem secuta est alia, quam, omiſſis ambagibus, breviter damus.

fol. 9. b.

Auget libertatem.

Notum fieri cupimus - - - qualiter Venerandus Frisingensis Ecclesiæ Episcopus Ellenhardus pro remedio anime suæ tradidit ad Altare S. Stephani Proto-Martyris II. vinea, in loco, qui dicitur Vnachorena sua, perpetualiter seruiendum ejusdem altaris seruatoribus, unum ad complendum mandatum: alterum in annonam. Hujus rei testes sunt de Nobilibus Ep̄o &c.

Componitur eum Archiepiscopo Salisburgensi.

N. CXV. II.

Cæterum Ellenhardus noster non tantum cum Sigehardo Patriarcha Aquilejensi super bonis ac juribus in Camiolia sitis tractatum utilem instituit, quod supra jamjam meminimus, verum etiam cum Gebhardo Salisburgensi Archiepiscopo amicam conventionem fecit super decimis, quas Frisingensis Ecclesiæ in Archiepiscopatu Salisburgensi in & prope Wertsee habuerat. Suspicio, id contigisse paulò post annum Christi 1062. quo scilicet anno Alexander II. Pontifex maximus teste Baronio Gebehardum Archiepiscopum ingentibus quidem gratis affecit, laudibusque cumulavit, nihilominus tamen eundem duciufcule reprehendit, tum quod Clericos haud modestè viuentes, non cohiberet, tum quod sui suffraganei (uti que Frisingensis) decimas retineret.

neret. Ex quibus etiam manifestum fit, Ellenhardum ea de causa Romanum Pontificem interpellasse. Porro eum tractatum non piget hic referre, prout eundem quarto seu magno Traditionum Frisingensium libro insertum reperimus. Tenor talis est. fol. 114. a.

IN nomine Sanctæ & indivisibæ Trinitatis. Ad omnium Christi fidelium notitiam perpetuamque cautelam literis commendavimus, qualiter contentio, que erat de decimis, quas in Archiepiscopatu Salzburgenſi Sancta Frisingensis possidet ac possidet Ecclesia, juxta communem assensum utriusque Ecclesie fidelium determinata est. Convenit namque inter Venerabiles Pontifices prædictarum Ecclesiarum, ut Dominus Ellenhardus Frisingensis Episcopus de tribus curtiferis, quibus velit sibi que placeat apud Werſe, decimam integram habeat. De reliqua autem decimatione ipse tertiam. Dominus Gebehardus verò Archiepiscopus duas accipiat partes. Item de prædiis Frisingensis Ecclesie in loco Chatzis posita complacuit, ut Præsul Frisingensis de curtifero uno quo velit, decimam integram habeat. De ceteris decima in tres partes dividatur, quorum una sit Episcopi Frisingensis, duas Archiepiscopi Juvaviensis. Et ut hæc conventio perpetuam inconvulsa permaneat, Dominus E. Frisingensis Episcopus communi consilio fidelium suorum tam Clericorum quam Laicorum cum manu Advocati sui Ottonis I. mansum Sclavonicum in prædicto prædio Catzi in Villa que dicitur Pederdoff in manum Archiepiscopi nec non Advocati sui Egilberti in proprium tradidit, atque delegavit, & cum hac parte decimationis, que sibi cessa, concambavit. Præterea cum tractarent de Basilicis, quas in Liburnia Frisingensis Ecclesia habuit, una scilicet Sancti Petri apud Frezna; altera S. Michæelis apud Bozjarinza, tertia S. Martini apud Veluz, earundem Advocatus Ecclesiarum A. * juramento confirmavit, quod prenotate Ecclesie terminationem totius populi, qui habitat infra terminos in sequentibus annotatos, XXX. annos absque proclamatione obtinerent. Idemque jure eandem perpetuam obtinere deberent, his quidem signis & circumscriptionibus; scilicet de loco ubi Rißara in fluvium Tra ad Villam, que dicitur Zregiab, & de hac villa ad villam, que vocatur Fubta, & inde ad montem Huona-resperch, & per circuitum montis illius, nec non ab utraque ripa fluminis Molna ad cacumen montis, qui dicitur Juro in litore prædicti Tra sursum ad paludum Gerlindamos nominatam. Quo finito communi assensu utrobique laudatum est, & quicquid decimarum Archiepiscopus, cujus Barrochia est, & regimen Episcopale, infra prædictarum Ecclesiarum terminationes à populo exigat, vel in posterum exigere poterit, hoc in duas dividatur partes: quarum una Archiepiscopo Juvaviensi, altera Frisingensi persolvatur Pontifici, excepta decimatione prædiorum, que tunc temporis in Liburnia sancta Frisingensis possidet Ecclesia, quam Episcopus Frisingensis sine partitione integram obtineat. Et si forte tres præscriptæ Ecclesie à populo longius remoto viarum longitudine & itineris difficultate facile non possint visitari, novæ ibi à Præsule Frisingensi, consensu tamen & ordinatione Archiepiscopi edificentur, quas vel Archiepiscopus consecret, & populum juxta velle petitionemque Episcopi Frisingensis terminet, vel sibi idem faciendi potestatem committat. Et ut hoc pactum stabile & inconvulsum perseveret, sæpe dictus Dominus E. Frisingensis Episcopus conlaudantibus suis Clericis, militibus, servientibusque cum manu Advocati sui A. mansum unum Sclavonicum & dimidium in loco, qui dicitur Lengenдорff, in manum Domni Gebehardi Salzburgenſis Archiepiscopi nec non Advocati sui E. in proprium tradidit & delegavit. Sicque decimarum portionem, que sibi cessa, concambavit, atque redemit. Hujus rei testes sunt. - - - Ita Ellenhardus Episcopus difficile illam controversiam facilliter superavit, & jura Ecclesie suæ egregie tutatus est.

Augustus
proventus
Cathedralis, &
S. Zenonis Iu-
venis Ecclē-
siae.

N. 1232.
1239. 1240.
1241. 1244.
N. 1238.

Mors Ellen-
hardi Episco-
pi.

B. Batho El-
lenhardi Sa-
cellanus.

Sub ejusdem Episcopi nostri regimine etiam Dominis Canonicis tum majoris Ecclesiae, tum S. Zenonis (nempe Iſanenſibus) complures donationes factae sunt, quas inter ejus instrumenta reponemus: ubi in praesens illud adverte, in duabus ejusmodi membranarum inter testes reperiri Meginwardum, quem Ellenhardo in Sede Frisingensi successisse arbitramur. Ceterum ipsemet Ellenhardus *ad altare S. Petri in Crypta* praedium quoddam Sigolſteten assignavit, atque anniversariam sui memoriam fundavit, fratribusque commendavit.

Tandem Ellenhardus, rebus Ecclesiae suae egregie constitutis, senio morboque fractus terrenis rebus valedixit anno Christi 1078. die 11. Martii, veluti discimus ex inscriptione sepulchri in Collegiata S. Andreae Ecclesia, ubi sequentia legimus. *Anno Domini MLXXVIII. in Vigilia S. Gregorii obiit Ellenhardus Episcopus Frisingensis, Fundator hujus Ecclesiae cum XXI. Praebendis, & cum officialibus.* †. Hæc ibi.

Ad commendationem Ellenhardi Episcopi cum primis pertinet, quod is à sacris dicatur habuisse B. Bathonem, quem Raderus in tertio volumine *Bavariae Sanctae* Frisingensem Presbiterum appellat. Qui etiam observat, legi in antiquo sacrarum precum Breviario Fruſingenſi Iolemem precationem, ex qua cognoscatur, illum per caeleste quoddam prodigium magnam hominum vim pane repente sub manibus crecente pavisse. Sic enim habere formulam: *DEUS, qui in deserti regione multitudinem populi tua virtute satiasti, intercedente B. Bathone Confessore tuo in hujus seculi transiens ex-cursu victum nobis spiritualem, ne deficiamus, impende.* Ita Raderus. Ad quem anno Christi 1622. 24. Septembris literas dedit Reverendus ac Religiosissimus Dominus Andreas Scherer Collegiatae Ecclesiae S. Andreae Decanus, quas non piget hic inferere. S. Batho, inquit, *secundum traditionem antecessorum nostrorum dicitur fuisse nostri Ellenhardi quondam Episcopi Frisingensis, & Fundatoris Ecclesiae nostrae Collegiatae Sacellanus, sed non extat scriptum; in Calendario autem nostro fundationum vetustissimo inscriptus, S. Watho Confessor. Habet in Ecclesia nostra precipuum Altare: cujus dies festus tricesimo primo Julii duplici ritu peragitur. Locus sepulchri est in Choro nostro à Cornu epistolae, prout parvus lapis & singularis eum designat. Antiquus verò lapis, sub quo ejus ossa requievère, pone Altare summum, cui Epigraphae sequens est inscripta:*

Hoc sub saxo Divi Bathonis corpus quondam requievit, quod tandem anno Domini 1376. cum reliquiis S. Sixti Papae una cum altari in sacellum S. Udalrici ob commoditatem translatus est.

Ubi est locus sepulchri antiquus, postquam hoc primum anno (1622) chorum lapidebus quadratis sterni, scalisque seu gradus ex marmore recens fieri curavi, saxo quoque antiquo remoto, ac retro Altare summum translato & erecto, tamdiu terram effodi & amoveri praecepi, quousque vestigium sepulchri inveni, prout tandem fornacem, in quo aliquot, quavis parva ossa, baud dubie B. Bathonis una cum carbonibus fuisse, reperi, ac denuò illo fornacem, terram locum impleri & adequari jussi. In sacello Episcopi veteri, ubi jam novum Cathedralis Ecclesiae Organum, reservatur brachium S. Bathonis, quod Reverendissimi & Illustrissimi Principis & Episcopi Viti Adams, qui hodie Pontificatum Frisingensem gerit, Sacellanus in praesentia Joannis Fierhaber Theol. Doctoris, Canonici S. Andreae, & Notarii publici mihi monstravit. Nos verò habentis mandibulam inferiorem argenteo pedi infixam, ac potiora ossa. Oratio ejus habetur in antiquo Breviario Frisingensi. Sed praeter haec plura habere & inquirere non potui. Actum Frisingae 24. Sept. anno 1622.

Andreas Scherer, Decanus S. Andreae in fidem manu propria subscriptus.

Hæc

Hæc, ut superius monui, ex RADERO desumpta sunt. Quibus adimere nihil, addere verò id unum potui, in antiquis Liturgiis Frisingensibus reperiri etiam duas alias orationes, festiva B. Bathonis die dici olim solitas: quarum hæc sunt formulæ:

Secreta.

Da nobis, quesumus, Domine, semper hæc tibi vota gratanter persolvere quibus Sancti Confessoris tui Bathoni depositionem recolimus, & presta, ut in ejus commemoratione semper gloriam tuam prædicemus.

Complenda.

Sumptum, Domine, celestis remediæ Sacramentum ad perpetuam nobis provenire gratiam beatus Batho confessor obtineat.

Hæc de B. Bathone conscribere poteramus, tum ex RADERO, tum ex Scherero laudatis, atque ex antiquis Liturgiis Frisingensibus. Ubi non dissimulamus, S. Bathonem ab Arenbeckio in Chronico Bojoariorum vocari *Carinthie Apostolum*. Unde verò id hauserit Arenbeckius, nobis non constat. In Megiseri *Annalibus Carinthie* hæcenus de S. Bathone nihil invenimus. In Liturgia illa antiquissima, quam Gamanus vidit, ad diem 3 r. Julii præter festum S. Tertulini Martyris, apponuntur hæc verba: *Translatio S. Watonis Confessoris.*

col. 74.

Discessit è vita Ellenhardus anno sui regiminis 25. Gregorio VII. Pontifice, Rege Henrico IV. an potius Rudolpho Suevo contra Henricum electo? Salisburgensi Archiepiscopo Gebehardo: Bojarie Duce Welfone I. præsentibus vicinis Cathedralibus Ecclesiis Ratisbonensî Ottone, Patavienfî Altmannò, Brixinenfî Alrwino: de quibus imposterùm fortassis plura referenda occurrent.

Habuit Frisingensis Ecclesia hæcenus à tribus ferè sæculis advocatos seu defensores nobiles, uti ex multis documentis passim apparet. Verùm ex quibus prosapiis illi assumpti fuerint, non ita facile discernimus. Sub Ellenhardo nostro advocatum Ottonem, filiumque ejus Ekhardum fuisse Schyrenses Comites, discimus tum ex instrumento Hazachæ, seu Hazigæ, tum ex Conradi Schyrenfî Chronico. Porro de ejusmodi Ecclesiarum advocatis frequentior imposterùm recurret sermo, ubi res postulaverit.

De Advocatis
Ecclesie
Frisingensis.

pag. 4

In pervetusta illa Liturgia, quam Gamanus laudat, ad 10. Kal. Augusti ponuntur verba sequentia: *Ellenhardus Laicus obiit*. Verùm hic Ellenhardus utique nihil cum Ellenhardo Episcopo commune habet. Fortassis tamen Ellenhardi illius nomine intelligitur, qui in toties laudata Gamanfî Liturgia dicitur depictus esse *adgeniculatus pluribus sanctis, manibus protensis, capillatus modicè coronatus in vertice cum sago breviorè; & adscriptum est aurò. XPE recorderis ELLENHARDI famularis. Forè ministerialis*, inquit, *Gamanus, aut ei devotus Laicus*. Hæc ille. Et sanè hunc Ellenhardum sæpius inter testes Frisingensium tractatum (ast Ellenhardò Episcopò antiquiorum) reperiri, *Pars nostra altera* hujus Opus docebit.

Ellenhardus
Episcopus di-
fingendus
à qui, dum Fris-
ingenfîs Ec-
clesiæ mini-
stro ejusdem
nominis,

Scribit Arenbeckius, Urbem Frisingensem circa annum Christi MLXXV, à Guelfone Duce teinporre Ellenhardi Episcopi fuisse destructam; ast illam hujus urbis direptionem, vel potius spontaneam deditionem ad aliquot annos esse differendam, infra videbimus.

apud P. Bern.
Fec. Tom. III.
Anecd.
Part. III. col.
190.

CAPUT IV.

Meginwardus XX. Episcopus
Frisingensis.

§. I.

*Electio Meginwardi, & quæ eam consecuta sunt usque
ad ann. Christi 1085.*

Meginwardus
fuit men-
brum Capi-
tuli.

Libere ele-
ctus.

Eius proſapia
incerta.

Meginwardum quemdam Ellenhardi tempore fuisse in Collegio Canoniorum Cathedralis Ecclesie Frisingensis, manifestum est ex duobus Instrumentis commutationum, ut superius jam monuimus. Hinc existimare omnino licebit, quod vel illum ipsum Meginwardum deinceps Henricus Rex designaverit eligendum, ut Aventinus scribit, vel electum acceptaverit, ut ejus ætatis mores ferebant. Electum fuisse libere suffragiis, ex eo videtur colligi posse, quod ejus electio statim undecimo post Ellenhardi obitum die contigerit, ut mox videbimus. Sanè unde Natales suos Meginwardus hic noster traxerit, incompertum nobis hæcenus manet. Sunt, qui eum è Schyrensis Comitibus prognatum fuisse existimant. Verùm cum Conradus Schyrensis, ubi in suo Chronico de Meginwardo Episcopo nostro sæpius agit, eum nullibi Schyrensi familie accenseat, idemque alios ejus temporis Episcopos, nempe Patriarcham Aquilejensem, & Episcopum Polensem in Histria, è Schyrensi familia exortos, accuratè designet, nescitur, an illi opinioni turo subscribi possit? Porro Meginwardi electionem incidisse in 11. Kalendas Aprilis, seu in diem 22. Martii anno 1078. docemur ex Chronico quinto, seu quinto Episcoporum Frisingensium Catalogo, sub Philippo Episcopo conscripto: idque longè firmius demonstrari potest ex sæpè laudato pervetusto Codice Weihenstephanensi, ubi cœva, scilicet sæculi Undecimi manu ad annum Christi supra dictum legimus: *Ellenhardus Episcopus obiit V. Idus Martii: & successit Meginwardus Episcopus in XI. Kal. Aprilis.* Ubi vides, Lector, statim undecimo, postquam Ellenhardus decesserat, die Meginwardum fuisse in Frisingensi Cathedra collocatum.

Monasterium
Benedictobu-
ranum resti-
tuitur liber-
tati.

Tom. 2. pag.
145.

Interea Ellenhardo Episcopo defuncto Benedictoburani Cœnobite statim ad Imperatorem sese contulere, atque, ut Monasterium suum in eam, qua prius gavissimum fuerat, libertatem restitueretur, supplices petierunt. Annuit votis Imperator, ac Monasterium omni servitutis jugo exemit, seridò dolens, quod illud unquam alterius obsequiis subjecisset. Literæ Imperatoris, quas etiam in *Metropoli Salisburgensi* legimus, sequentia continent.

*In nomine Sanctæ, & indivisæ, Trinitatis. Henricus divina favente
Clementia Rex.*

Diploma
Henrici IV.

Omnè, quod scribitur instrumentum, gestarum rerum continet fidem, notitiam, memoriam, & firmamentum. Qua ratione & per hoc scriptum notum sit omnibus in Christo viventibus, tam futuris, quàm presentibus, qualiter nos Ecclesiam nomine *Beyrn*, quam à nostra manu & Regia potestate dimissam & alienatam sua libertate destitueramus, qualiter banc, dum respicendo nobis inde consultum voluimus, tum quoque ob salutem anime, & peccatorum remedia beata memoria Patris nostri *Henrici*, ac Matris nostre *Agne*.

Agenis, & ob salutem duorum filiorum nostrorum, pro quibus ibi specialiter continuis intercedendum orationibus in aeternum volumus, in eam, quam ab institutione sua sumpsit, libertatem restituimus, & immutabiliter in perpetuum destinavimus, quatenus deinceps ea utatur ita, ut in Regia tutela & defensione contineatur. Cujus libertatis restitutio ut stabilis, & inconversa omni permaneat vivo, hanc Chartam inde iussimus scribi, ac propria manu corroboratam nostro sigillo insigniri.

*Signum Dⁿⁱ Henrici IV. Regis Invictissimi
Gebhardus Vice-Cancellarius recognovi.*

Data Anno Dominice Incarnationis 1078. Indi. I. anno autem Henrici IV. Regis Invictissimi Ordinationis 24. regni 22. Ita instrumentum. Et quoniam nullibi legimus, Meginwardum Episcopum liberationi ejus Monasterii sese opposuisse, colligimus, non solum Henrico factum quondam suum, verum etiam Meginwardo graviter displicuisse. De ea re plura in Benedictoburani Codicibus reperiri possunt.

Dum hæc ita geruntur, pax nulla Regnum inter, ac Sacerdotium sperari posse visa est. Ipsi maxime duo Germaniæ Reges, Henricus inquam, & Rudolphus, gravissimis dissidiis præliisque collisi fuere. Romæ anno Christi 1080. Nonis Martii Gregorius Pontifex convocavit Concilium generale, in quo Henrico Regi, Germaniam bello, armisque vastare pergenti, neque toties repetiti sacramenti fidem servanti, anathema dixit, eidemque Regnum abrogavit; Rudolphi verò electionem, missâ coronâ aureâ, confirmavit, eâ nihilominus lege, ne deinceps beneficiorum, nempe Episcopatum atque Abbatiarum collationes, seu *Investitura* à laicis sive traderentur, sive acceptarentur. Ea re effertior factus Henricus Herbipoli, seu ut tum appellabant, Wirceburgi primum: mox Brixinæ, hodierni Comitatus Tyrolensis Urbe, triginta factorum Episcoporum collecto conventu legitimum Papam abjuravit, eique Guibertum Ravennatem Archiepiscopum, biennio abhinc ob simoniacam hæresin à Gregorio diris devotum, sub nomine Clementis III. opposuit, atque ita totam non modò Germaniam, verum etiam Italiam perturbavit, ut nemo citra periculum Apostolorum limina adire posset, nisi prius jurasset, quòd Gregorium Papam convenire non vellet. Deinceps rursus ad arma, & persequendas Germanici belli reliquias conversus Henricus, Rudolphum summò aggressus est præliò, in quo Rudolphus, suis licet felicissimè pugnantibus, Idibus Octobris, tertio, ex quo Rex dictus fuerat, annò ex duplici gravissimo vulnere occubuit.

Cæterum post Brixinensè Conciliabulum integerrimi quique Antifites, qui nec vi, nec metu à vera in legitimum Pontificem fidei constantia dimoveri poterant, ab aris fuere proscripti, & è sedibus suis ejeti: contra verò ab Henrico nominati, qui eorum Episcopatibus incubarent. Adelzeiterus hic subdit verba Herrandi Halberstattenensis sequentia: *Dominus Henricus, inquit, Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alias Ecclesias pro pecunia: Ratisbonensem, Augustensem & Strasburgensem pro gladio: Abbatiam Fuldensem pro adulterio: Monasteriensem verò Episcopatum, quod dicere, & audire nefas est, pro Sodomitica immunditia vendidit.*

Subjungit idem Adelzeiterus: Gebhardo Salisburgensi Bertholdus, manifestarius templorum, Admontensis præciticum, spoliator superinductus est. Wigoldo Augustano Sigefridus: B. Akmanno Passaviensi exulanti post Hermannum, Luitpoldi Ducis filium, qui ultra biennium in ea Sede non superstit, suscequo nescio quis, Thiemo: Luitpoldo Abbati Sangallensi Vdalricus, Marquardi Carantani filius, & passim alibi Viris Catholicis subrogati Ecclesiæ Romanæ perduelles, tanta sacrorum perturbatione, ut geminatis insulis, plebs hæretet ambigua, ab utris salutis auxilia posceret?

*Acta Concil.
Editi Star-
duan Tom. 6.
P. L. col. 1587.*

Conciliabula.

*Clades Ra-
dolphi dadi
Regni.*

*Fata Episco-
porum.*

*Parte I. pag.
490.*

Ibidem.

Hæc ille, Brunnerus addit, Welfphonem Bojaræ Principem, in Pseudo-Synodo Brinxenſi fuiſſe diris devotum, quòd Henricianæ factioni adherere nollet. Quæ cauſa eſt, ut, cùm in tantis rerum triſtiſſimarum turbis nulla de noſtro Meginwardo hæcenus occurrat mentio, meritò conjiciamus, eum Welfphonem potentiâ nixum, legitimo Pontifici ad hæſiſſe, neque in ſuam Sedem Friſingenſem alium Pſeudo-Epiſcopum admittere coactum fuiſſe. Ejus conjecturæ fulcimentum ex eo delumimus, quòd conſtet, etiam Wigoldum Auguſtanum legitimum Epiſcopum, à Welfone noſtro fuiſſe deſenſum, de quo paulò inferiùs. Imò Meginwardum noſtrum fuiſſe eo tempore unum ex quinque Catholicis Regni Teutonici Epiſcopis, in Vita S. Gebehardi Saliſburgenſis Archiepiſcopi diſerte traditur.

Meginwardus
ſub Welfpho-
ne totus.

Henric. Ca.
niſ antiq.
lect. Tom. 6.
Pag. 1234.
C 1236.

§. II.

*Novæ turbæ Regni inter ac Sacerdotium usque
ad obitum Gregorii VII.*

Gregorii PP.
vix pro Ec-
clesia.

Interempto Rudolpho, quem contra Henricum fuiſſe electum, atque à Pontifice confirmatum diximus, Gregorius non tam de nova Regis electione, quàm de fundendis aſſiduè precibus, largiſſimis dandis elemoſynis, Deoque modis omnibùs exorando, conſilia tractare cepit, *ut inimici (in-
quiebat) noſtri, quos ſub præcepto diligimus, reſpiciant, & ad gremium Sanctæ Eccleſiæ redeant.* Ita enim ipſe ad B. Almannum Epiſcopum Patavienſem, & S. Wilhelmum Abbatem Hirsaugienſem, ſuos in Germania Legatos, ſcripſit. Verùm longè aliter, atque optaverat optimus Pontifex, res vertit. Henricus ſequenti anno, Chriſti 1081. Cum ingenti exercitu primo Vere in Italiam contendit, ut vel à Pontifice novam abſolutionem extorqueret, vel eum è ſolio Petri plenè deturbaret, irritò tamen eo anno conatu. Licèt enim unà cum idolo ſuo Clemente Romam acceſſiſſet, atque eam Urbis partem, quam Leoninam vocant, trans Tiberim poſitam, obſediſſet, atque ſuburbana ſuccendiſſet, Gregorio tamen de conſtantia Pontificia nè latum quidem unguem decedente, ſagittis ac lapidibùs a Romanis è muro impetrus, ac re infecta diſcedere coactus fuit, unde Ravennam ſe tantisper recepit. Poſtero tamen annò eduçto ex hibernis exercitu Romam reverſus, Leoninam in poteſtatem redegit, Gregorio in Caſtrum S. Angeli, ſeu, ut vocant, Molem Adriani ſeſe recipiente. Urbe quoque veteri anno Chriſti 1083. potitus, Guibertum, ſeu Clementem ſuum in throno divi Petri anno Chriſti 1084. collocavit, atque ab eo Coronam Imperii apud S. Petrum accepit, cùm eam Gregorius illi velut veruſiſſimo, & nequicquam pontifici homini imponere noluiſſet. Cæterùm minimè diuturnum erat Clementis Pſeudo-Pontificis Romæ Imperium. Roberto enim Guiſcardo, Apuliz Duce à Deſiderio Caſinenſi Abbate in auxilium veri Pontificis adducto, Henricus cum ſuo Clemente Urbe exceſſit, & in Germaniam rediit, ubi res ſuas malè ſuccedere intellexerat, Hermannò Lucelburgiò interim à Germanis in Regem electò. Porrò Romani tamen aliquamdiu Roberto ſeſe oppoſuiſſent, dedicationem tamen ſacere coacti ſunt: qua ſecuta, cùm Gregorius coactò novò Conciliò novam anathematis ſententiam in Clementem Pſeudo-Pontificem, atque Henricum protuliſſet, Caſinum ſe contulit: atque inde Salernum ad dedicandam S. Mathæi Apoſtoli Eccleſiam contendit.

Henrici Imp.
propoſita.

Qui coronatur à Pſeudo Pontifice.

Novus Germanus Rex.

Novæ in Germania turbæ.

In Germania, ut diximus, ea tempeſtate res Henrici neutiquam ad ejus vota gerebantur. Iſ, quo tempore Italiam ingredi cogitabat, Germaniæ Gubernationem Friderico Hohenſtauffenſi commendaverat. Hunc Regni Vicarium Hermannus Comes Lucelburgius, à Saxonibus, ac Welfhone noſtro in Regem electus, præliò ſtravit. Welfo noſter poſtea Auguſtam expugna-

pugnavit, & Wigoldum, legitimum Episcopum Augustanum, adversus quem Henricus Sigefridum, eo nomine secundum, intrulerat, in sede sua Augustana collocavit. Et licet Fridericus Henrici Vicarius, paulò post Augustam recuperaverit, ac Sigefridum suum rursus in Sedem Augustanam invexerit, anno tamen sequenti, Christi 1084. Welfo rursus cum validiori exercitu advolans, urbem iterum in potestatem redegit, & Sigefridum ejecit. Verùm ubi ex Italia demùm Henricus cum exercitu supervenit, cedendum Welfoni fuit. Posthac Henricus, recepta Augusta, Wigoldum custodiæ mancipavit, & Sigefridum suum restituit.

Annò proximo, Christi 1085, ineunte, Gregorius Pontifex prædixit, se circa Kalendas Junii ã vita migraturum. Imminente itaque vocationis suæ die convocatos Cardinales & Episcopos 15. Kal Junii sub districti iudicii comminatione, & sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut, si qua in se reprehendenda advertissent, sibi liberè proponerent. Verùm cum nemo unus compareret, qui alicujus defectus Gregorium commoneret, hæc subjecit Pontifex. „Ego, fratres mei dilectissimi, labores meos nullus momenti „facio, hoc uno confusus, quòd semper dilexi justitiam, & odio habui ini- „quitatem.

Tum eòdem Cardinales singillatim datà dexterà polliceri sibi iussit, se neque Guibertum, seu Clementem Pseudo-Papam, neque Henricum, nisi resipiscerent, in communionem recepturos. Sic finem vivendi fecit strenuus Pontifex. 8. Kal. Junii, *Martyr & Confessor* ab Hugone Flaviniacensi appellatus, uti Mabillonius habet, qui de Gregorio subjungit: „Hic „finis, inquit, fuit Magni illius Pontificis, qui vivens mira, & difficilia ope- „ratus est restituendo exilium Sacerdotum, Simoniam extirpando, & in- „vesturas Ecclesiasticarum dignitatum moderando. Qui denique magno „spiritu vidit ultima, & inter Sanctos Pontifices adscribi meruit. Hæc Mabillonius. „ De Gregorio Breviarium nostrum Monasticum hæc habet: *Imnumerabilia sunt, qua vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit, Vir verè Sanctus, criminum vindex, & acerrimus Ecclesie defensor - - - Pluribus in vita, & post mortem miraculis clarus - - - ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorificè conditum.* Hæc ibi. Martyrologium Romanum de Gregorio ad diem 25. Maji hæc habet: *Salerni depositio beati Gregorii Papæ septimi, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi.*

Ejus corpus post quingentos ferè ab obitu annos ad confusionem sui nominis hostium omnino integrum, & incorruptum se vidisse oculus testis Baronius apud Bucelinum nostrum, & P. Gregorium Kolb S. J. testatur.

Hujus laudatissimi Pontificis officium ac Verba superius recitata, Clemens XI. PP. Anno Christi 1719. die 19. Augusti prædicto Breviario nostro Monastico inseruit, die 28. Maji quotannis *ritu*, ut vocamus, *duplici* celebrandum. Luberet in amplissimos hujus Sanctissimi Pontificis laudes excurrere, & acatholicos quosdam scriptores, acerrimos Gregorii VII. hostes, atque inter hos præcipuè Guilielmum Cave refellere. Verùm id non permittit institui nostri ratio, ac satis esse nobis debet, quòd id alii Catholici centies validissimè prælulerint.

Decretum ultimum, à Gregorio adversus Henricum, & Guibertum seu Wibertum editum, per Legatos Petrum Albanensem in Franciani, per Ottonem, ex Monacho Cluniacensi factum Ostiensem Episcopum & Cardinalem, in Germaniam perlatum est. Hic postquam in eandem Germaniam venit, Convenium in Saxonia convocavit, in quo sententiam in Schismaticos vulgavit, quam Saxones ratam habuere. Successit alter conventus in Turingia convocatus utriusque partis Episcopis & Proceribus, ubi Gregori partes defenden-

Mart. Grego-
rii VII. PP.

Ejus laudes.

Corpus in-
corruptum.

In anal.
German. ad
ann. 1085.
In ferre Ro-
man. Pontif.

Varij Con-
ventus in
Germania.

fendente Gebehardo Salisburgensi Archiepiscopo : Henrici verò causam propugnante Wecilone Moguntino, tanto animorum æstu certatum est, ut non sine sanguinis effusione conventus solveretur. Convenire postea Catholici Quintlinburgi in Saxonia, ibique iterum publicata fuit in Schismaticos sententia. Contrà verò Henriciani conciliabulum habuere Moguntia, cui Meginwardum nostrum Frisingensem Episcopum interfuisse Aveninus, & ex eo Goldastus scribunt, neque Adelzreiterus diffidetur, idémque in *Annalibus Paderbornensibus* traditur. Id si verum est, merito dicemus, Meginwardum fuisse ex iis unum, qui Palatiò, & iisdem Paderbornensibus annalibus testantibus, ore, non tamen corde adhererunt Henrico, territi tristibus exemplis, quæ inter melioris causæ patronos euebantur. Argumentum ejus rei in signe sequenti anno occurrit : quo eodem anno Saxones e quidem Henricum certis conditionibus iterum in Regem suum recepere : at cum is fidem datam, more suo, mox sefellisset, subeunte facti poenitentia eum rursus repudiârunt.

N. 1249.

N. 1250.

Incendium
Monast. Wei-
bensteph.

Donationem ad sepulchrum beati Lantperti Frisingensis Episcopi anno superiori: hoc verò anno aliam Collegio Cathedrali factam in Parte Altera recensemus. Eodem anno Vicinum Monasterium S. Stephani in monte in-curiâ cujusdam Monachi incendio confagravit.

§. III.

*Acta Meginwardi, & quæ aliàs accidere usque ad
annum Christi 1090. ubi de Attilensî Monasterio*

Beato Gregorio VII Pontifice VIII, Kal. Junii anno Christi 1085. ad superos translato, statim post Pentecosten Episcopi & Cardinales, Gregorii Partibus additi convenere ad eligendum successorem, omnésque unanimi suffragio in Desiderium, Casinensem Abbatem, Gregorio & Ecclesie semper fidelissimum consensere. Verum ille electioni nullis modis acquiescens, ad suum Casinensè Monasterium se recepit; universos tamen, quibus res Catholica cordi erat, ut Pontificem, gerendis Ecclesie negotiis magis idoneum legerent, identidem cohortatus est. Integrum annum & amplius tenuit ea reluctantis Desiderii constantia, quippe qui diceret, mori se potius velle, quàm Pontificatum admittere. Tandem sancto quodam astu Romam accersitus, rogatusque fuit, ut saltem eum designaret, quem Pontificatu dignum censeret. Desiderius ad hæc Ottonem seu Odonem Ostiensem Episcopum, mox supra laudatum, suggestit. Tum plerisque in eam sententiam jam jam inclinantibus surgens Cardinalis quidam, *ne frueris DEUS*, inquit, *ut alium quàm Desiderium Pontificem habeamus*. Qua voce commoti cæteri, Desiderium uno consensu comprehenderunt, & in ædem S. Lucie pertractum, sub nomine Victoris III. Pontificem inaugurarunt: qui tamen quadriduo post Româ regressus Pontificia ornamenta deposuit, & ab Episcopis, & Cardinalibus nulla ratione reduci potuit: quæ omnia post plurimos alios referens Mabillonius, aliam narrationem, ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo animò invidia exulceratò scriptam, validissimè refellit. Certè Desiderius, anno, ut diximus, 1085. electus, ante annum 1087. ordinari sese passus non est; ut non constet, an ullus unquam tantâ constantiâ Summum Pontificis dignitatis honorem à se amoliri conatus sit?

Desiderius
Abb. Casin.
eligitur in
Pontificem,

Reluctatur.

At nihilomi-
nis inaugu-
ratur, dictus
Victor III.Meginwar-
das cum aliis
opponit se
Henrico IV.

Interea in Germania dum Henricus Saxones iterum armis divexat, in Bojariam rejicitur, ubi, præter Ottonem Ratisbonensem Episcopum, neminem suis partibus faventem reperit, Bojæ cæteris Welphoni Duci suo adversus Henricum adherentibus, quibus junctus Meginwardus noster, Frisingâ Pascha-

Paschalibus feriis ejus assensu captâ, in fœderis, & belli societatem cum Saxonibus concessit. Ea occasione Gebehardus Salisburgensis Archiepiscopus è novem annorum exilio Salisburgum revertitur, Alkmanno Pataviensi, & (quod bene notabit Lector) Meginwardo nostro Episcopo comitantibus; ut meritò iterum judicemus, Meginwardum id, quod fortassis in Moguntino Conciliabulo peccaverat, non fecisse, nisi metu, quippe qui statim postea majori libertati restitutus, Catholicis viris adhæsit, atque ad eorum Communionem ultrò admissus fuit. Porrò ut in Mausolæo S. Emmerami legimus, eodem adhuc anno Welphò unâ cum Saxonibus, Henricò fugâ elapsò, Ratisbonam obsidione cinxit, eâque capta, Ottonem Episcopum, qui inter primæ admissionis amicos ab Henrico numerabatur, adegit, ut deserta Henrici fœdione Catholicis accederet, ac legitimum Pontificem veneraret. Posthac Heribopolim arma Welfo cum fœderatis Saxonibus ac Suevis convertit, cui Urbi 20000. milites admovit, susòque grandi strage Henrici exercitu, Urbe positus est. Henricus salutem suam Ratisbonæ quaesiturus erat; ast eo delatus, portis conclusis, admissus non fuit, cum eum Ratisbonæ nemo non execraretur. Paulò post Timo, Pataviensis Ecclesiæ auctore Henrico incubator, cum de salute æterna planè desperaret, infelicem animam efflavit: Cujus mors sanè terribilissimos schismatici Henriciano addictos, & inter hos Wezdonem Moguntinum Archiepiscopum ad Catholicas partes traduxit. Henricus tamen, cum eo factò nihil moveretur, rursùs in Saxones movit adscitò priùs in armorum societatem Vratislao Bohemiæ Ducæ, quem Diademate Regio per Engelbertum Trevirensis Archiepiscopum coronari jusserat, sed non alio fructu secuto, quàm strage, quàm ei Saxones novam intulêre.

Qui res suas succedens ad voc.

Interea eodem anno Meginwardus noster prid. Idus Octobris Ecclesiam B. M. V. apud Tegernseenses nostros consecravit, uti loci Chronicon ad hunc annum, Christi 1087. testatur. In *Cella* illa Alpestri, cujus Ecclesiæ anno Christi 1077. ad preces Hazigæ Comitissæ Schyrensis consecratam fuisse supra diximus, annis subsequentibus augeri cæpit Fratrum numerus, & piæ Fundatricis sancta liberalitas. Quare ut Ordo Regularis illic sive introduceretur, sive potiùs consolidaretur, Haziga locum S. Wilhelmo, Hirsaugensium Abbatì, commendavit. Hic è suis misit XII. Monachos, & totidem Laicos, eam, quam Hirsaugiæ didicerant, Divi Benedicti Regulam in sæpe dicta *Cella* observaturos. Hi ad locum delati, eundemque contemplati, cum ob viarum difficultatem, sylvarumque asperitatem ea, quæ ad victum quotidianum pertinent, non nisi ægrè illuc afferri posse cernerent, impetrârunt ab Haziga, ut ea cum Episcopo Meginwardo (cujus Ecclesia Frisingensis in Vicinia amplissima prædia eo tempore possedit, ut suò locò demonstrabimus) quandam bonorum commutationem faceret, atque talem postea novo Cænobio locum assignaret, in quo divinis laudibus, juxta Divi Benedicti Canones absque id genus obstaculis insiti posset. In ea igitur bonorum Commutatione, quam ex Membranis Frisingensibus in Parte Altera dabimus, Haziga à Frisingensi Ecclesia & Episcopo Meginwardo eum locum, qui olim dictus fuerat *Vispach*, hodie verò *Vispachau* appellatur, à *Cella* supra dicta uno milliari Germanico, non integro distantem, obtinuit, ibique ad majorem Fratrum commoditatem Ecclesiam construxit, quam etiam Meginwardus Episcopus noster hoc, quem diximus, anno Christi 1087. consecravit. Aliam commutationem quarundam decimarum Haziga cum Meginwardo paulò post fecit, quam in eodem in Parte Altera unâ cum testibus exhibebimus.

N. 1252.

Monachi ex loco Cellæ migrant in Vispachau. *Comp. ad Schyrensis pag. 6. et seq.*

N. 1253.

In eundem annum ex mente quidem Aedelreitteri incidit restauratio inclyti Monasterii Attulensis Ordinis nostri, & hujus Diœcesis Frisingensis, facta ab Engelberto, Halæ, & Wasserburgi Dynasta. Primam sacri illius Cænobii originem scriptores Damasianus Comitibus, Arnolpho potissimum, R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Na Leupol-

De Monasterio Attulensi

Leupoldi Damasciæ, Andechsi, ac Summontorii Comitis filio tribuunt. Vixisse dicitur Leupoldus ille circa annum Christi 1039. Sic enim Andecesenses nostri tradunt. Genuit Leupoldus, iisdem testibus, tres filios, Conradum, Fridericum, & Arnolphum, in quibus Conradus Damasciæ Canonicus factus & Fridericus, aliàs etiã *Rochus* dictus, uxorem Chunissam duxit, quam anno Christi 1075, obiisse memorant. Arnolphum Albicius primum Comitem Tyrolis agnoscit: Et hic Attilensis Monasterii primus fundator fuisse creditur, sepultus ibidem unã cum uxore Gisala circa annum Christi 1080. Uti Hundius ex Aventino prodit. Ex qua temporum supputatione vero nobis fit quã simillimum, initia Monasterii Attilensis aliquantò post medium sæculum Undecimum reponi debere, uti ipse prudens Lector iudicabit. Porrò Monasterium recens erectum acerbiorem hostem non habuit, quam Fundatoris primi fratrem, Fridericum scilicet, aliàs *Rok* & Rochum dictum, quippe qui & Monachos eiecit, & possessiones eorum ad eam tenuitatem redegit, ut ægrè tribus cœnobitis alendis deinceps sufficerent. Indoluit tantis malis Engelbertus, Hallensium, ut diximus, & Wasserburgensium Comes, & pro Divini Numinis instauranda perpetua laude Monasterium non solum è ruinis eduxit, locupletavitque, verùm etiam castrum suum gentilitium, Lintburgum dictum, Monasterio illi contiguum, solo requavit, ne strepitu domesticorum Pällentibus in Ecclesia Monachis molestia afferretur. Ipse postea cum familia sua universa Wasserburgum migravit. Exstant ea super re litteræ apud Gewoldum in Additionibus ad Hundii Metropolim, quæ videri possunt. Ibi inter alia legitur, Engelbertum Comitem etiam Frisingensi Ecclesiæ quandam donationem fecisse, nempe, ut verba sonant, *Decimalem turrem * in Ardingen, & mansum dimidium sub ipso monte (an Attilensi, an verò Frisingensi?) suum, ad exponendum ibi vinum Frisingensis Ecclesiæ.*

Tom. 2. pag. 119.

* Legendum erittem.

Tempus restaurati Monasterii.

Verùm hic circa tempus restorationis, ab Adelzreitero designatum, non minimus occurrit scrupulus, dum allegatæ literæ habent equidem, rem illam universam gestam esse anno Christi M. L. XXXVII. Sed tamen postea additur, id contigisse in *presentia Domini Ottonis Episcopi*, qui utique ante annum Christi 1137. Episcopatum non adit? Certum itaque est, aut locò Ottonis in instrumento poni debere Meginwardum Episcopum: aut retento Ottone Episcopo delendam vel aliter legendam esse notam Chronologicam anni M. L. XXXVII. quod posterius amplectendum esse omninò existimamus, quia Engelbertum quendam Hallensium Comitem convixisse Ottoni I. Episcopo Frisingensi patet ex Diplomate Conradi II. Imperatoris de anno 1141. quod nos ad eum annum plena manu dabimus. Synchroni itidem iis fuisse Bertholdus Comes de Andechs, & Burcardus de Mosburc, in Diplomate Gewoldi adducti, uti colligimus ex Instrumento, quod in Parte Altera N. 1231. reponimus. Caterùm totam illam donationem postea Alexander III. Papa Anno 1176. literis Pontificiis, iisque amplissimis confirmavit, quas idem Gewoldus exhibet.

Eodem anno Christi 1087. tandem Desiderius, quem diximus, Casinensium Abbas supplicibus Cardinalibus, & Episcopis cessit, ac Pontificatum in Conventu Capuano admisit ut supra jamjam insinuare cœpimus. Is, Paschate Casini celebrato, ad Urbem progressus, Basilicæ S. Petri, quam hæcenus Clemens Antipapa occupaverat, in potestatem redacta, die Dominica post Ascensionem ab Ottone Ostiensi, & aliis Episcopis consecratus, & in Sede Petri collocatus est. Nullibi verò legitur, in electione Victoris consensum Imperatoris seu Regis fuisse expertum: quod nec in Electione successoris observatum est. Hinc infert Pagius, Electionem Gregorii VII. fuisse

Libertas in deligendis Pontificibus restituta.

fuisse ultimam, in qua Imperatoris consensus fuerit exquisitus. Ita deinceps vota eligentium libera esse ceperunt.

Ceterum posthac brevi Victor Pontifex exercitum ingentem conduxit ^{Acta Victoris III.} adversus Saracenos, de quibus etiam insignem reportavit Victoriam, ut jam duplici titulo Victor appellari mereretur. Cum postea indicto Conventu Clementem Antipapam, & alios quosdam, Beneventi à Communione fidelium exclusisset, & ea, quæ multi decessores constituerant, decreta firmasset, in morbum (nescitur, an non ex malis Malevolorum artibus?) incidit, & Casinum reversus est: statimque vocatis ad se Episcopis, & Cardinalibus Odonem seu Ottonem, Osiensem Episcopum (quem jam antea præ se eligi optaverat) commendavit: ac post triduum, XVI. Kal. Octobris ad caelos transit. ^{& mors:}

Post Victoris III. mortem fluxere sex propemodum menses, dum sacri Electores viduaræ Romanæ Ecclesiæ dedere novum Pontificem, & quidem eum ipsum, quem Victor optaverat, nempe Ottonem Osiensem Antistitem, Virum, ut Mabillonius scribit, mediæ ætatis, pietatæ & eruditione insignem, quem Urbanum II. appellarunt. Hunc Urbanum antehac fuisse Remensem Canonicum, posthac verò Monachum Cluniacensem, Pagus ex verbis elegiacis antiquissimis refert. P. Gregorius Kolb S. J. de eo hæc scribit: *Urbanus II. gallus, Otto quondam vocatus, parentem nactus est Milonem - - illustri prosapia ortum. Relicto seculo D. Augustini Regularibus Canonicis associatus, ad D. Benedicti ordinem transit, ex quo à Gregorio VII. Pontifice postulatus, Osiensi Ecclesiæ Episcopus, & Cardinalis presuit: demum unanimi calculo Pontifex inauguratus &c.* Quæ si vera sunt, vir iste maximè aliâ urique philoſophiâ ulus esse dicendus est, ac ii, qui contra manifesta plurium Sanctissimorum Virorum exempla, negant, fas esse, ut Canonicus ab ordine Canonicorum transeat ad Monasticum statum: quod hic in transcurso videbatur insinuandum.

Eo ipso tempore, nempe anno Christi 1087. Hermannus Lucelburgius ^{Acta variæ in Germania.} Germaniæ, ut supra diximus, Rex electus, Saxonibus in diversâ studia distractis vilescere capit. Ferant, eum abdicato regnò perüsse fermè inglorium. Alii alia de illo scribunt. Sequenti anno Otto, Ratisbonensis Episcopus, Henrici sectator, è vivis excessit, antequam ab anathematis vinculo fuisset absolutus. Ei subrogatus est Gebhardus IV. Comes Gozenheimius, alius Hohenlœnensis. Felicius eodem anno è vita migravit B. Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, invictissimus Ecclesiæ Catholicæ propugnator, in inclyto Monasterio Admontensi, à se crecto, sepultus, & miris clarus, succedente ex Ordine nostro S. Thiemone, de quo mox infra. Eodem anno, ex Bucelini calculo è vita excessit Wezilo Moguntinus Archipræsul, Henrico Imperatori plurimum obnoxius, ac sub finem vitæ serio pœnitens: cui successit Ruthardus Erfurdenſis S. Petri Abbas. Eodem tempore Welfo Bojariæ Dux Augustam civitatem, ejusque spurium Episcopum Sigefridum iterum in potestatem redegit, irasque Henrici in se concitavit; ast quem sequenti anno, Christi 1089. Welfo præhò vicit. Ipso anno celebratum fuit Romæ Con- ^{& Italia,} cilium, quo Gregorii VII. & Victoris III. adversus Clementem Antipapam, & Henricum Regem decreta fuere confirmata, & Antipapa pulvis est Urbe, postquam jurejurando pollicitus fuerat, se Sedem Apostolicam deinceps non invasurum, quamquam is postea fidem iterum fecerit.

Scribit ad eum annum Baronius ex Ivone, in Teutoniarum partibus quatuor Episcopos in Catholica Communione persistisse, videlicet Wirzburgensem, Pataviensem, & Wormatiensem, quibus Metensis accesserit. Verùm Bojariæ acta longè aliud docent, si tamen Bojariam è Germaniæ Provinciis non excludimus. Welfo Provinciæ Dux adversus Henricum victorius inclaruerat, neque erat, cur Bojariæ Episcopi Duci suo, legitimo Pontifici

fici maximis vinculis adstricto, refragarentur. Sedebat in Metropolitana Salisburgensi Cathedra S. Thiemo noster. Et quis unquam scripsit, cum aliquando Cæsari adversus legitimum Pontificem adhæsisse? Idem S. Thiemo eodem anno non solum à Beato Almanno Patavienſi Episcopo, verum etiam à Meginwardo, Frisingensi Præsule sacram inaugurationem accepit. Quis verò dicit, à B. Almanno cooperatorem, aut à S. Thiemone consecratorum adhibitum fuisse Meginwardum, si Schismaticus fuisset? Verum hæc ad refellendum Jvonem satis. Interim ad Frisingensem Historiam omnino pertinet, quod Mezgerus noster in Historia Salisburgensi de S. Thiemonis electione recenset in hunc modum: *Archipræsule, inquit, (Gebhardo) ex hac vita sublato, cum Bertholdus (incubator) antea expulsus, ad apertum sibi postliminiò vacuæ Sedis Salisburgensis adiùm anhelaret, ii, quibus sacra electionis cura incumbere, ut impium prævenirent, festinato in suffragia novi, & legitimi antistitis iverunt. Collatis votis duo ex urna electi exivere, Thiemone Abbas, & Adalbero, Ecclesie Frisingensis Decanus. Certantibus inter ambigua studia partibus convenit, ut uterque ad præsentiam consulantium vocaretur: venit Thiemone, Adalbero verò cum Almanno Passavienſi navigio huc tendens, medio in flumine nescio quo casu, salvus, & spectantibus aliis in flumine excidit, ac merſus occidit, non sine DEL provisitate, qui morte competitoris decisam litem sic voluit. Ita sine rivali superstes Thiemone Salisburgensi Ecclesie desponsatur, & à sacris Antistitibus Almanno Passavienſi, Adalberone Würzburgensi, ac Meginwardo Frisingensi auctoritate Apostolica inauguratur anno 1090. 8. Aprilis.* His Mezgeri verbis consentiunt, quæ apud Henricum Canisium, & in Annalibus Paderbornensibus fuere annotata. Vides, Lector, Meginwardum nostrum inter viros rei Catholicæ studiosissimos, imò Sanctos non receptum tantum, verum etiam Apostolica auctoritate iisdem strenuissimè collaborantem?

Adalbero Decanus Frisingensis.

Tom. 4. antiq. lect. pag. 677. ad ann. 1090.

§. IV.

Prosecutio actorum usque ad annum Christi 1098.

EX modò laudatis Sacris Præsulibus Adalbero Würzburgensis adhuc anno Christi 1090. Proximò verò B. Almannus Patavienſis beatam mortem obiit: Thiemone Archiepiscopus, ut tradit laudatus Mezgerus, ab iis, qui Henrici factioni adhæserant, in vincula coniectus est. Ast id non hoc, sed sequentibus primùm annis contigisse nobis videtur. Scribit ad illud tempus Baronius, plures Episcopatus ex pessimis rationibus turpiter ab Henrico fuisse distributos: de Frisingensi tamen nihil distinctè exprimit: sed nec domestica documenta ea de re quidquam memorant. Verum Meginwardum quoque nostrum immittia fata fuisse eodem anno perpeſsum; ex sequenti narratione manifestè deprehendo, quam in sæpe laudato pervetusto Weihenstephanensi Codice seu Calendario manu cozva conſcriptam reperio in hæc verba.

Iniqua Episcoporum distributio.

Vettingensium insolentia factum.

In hoc anno (Christi 1091.) Meginwardo, & Herimanno pro Episcopatu altercantibus, nullique Rectore nec fas, aut nefas discernente, excitati sunt Vettingenses cives (nempe incolæ Vettingæ, pagi ad pedem montis S. Stephani sit) in diabolicum Zelum, invidia instigante, super tres pauperculas mulieres, quasi essent venefica, & boninum, & frugum perditrices: quas quodam mane in lecto adhuc dormientes apprehenderunt, & ad aquam eas examinantibus sibi in eis culparum invenerunt, & flagellantes eas crudeliter, volebant eis aliquid eorum, quæ ipsis mendosè inscutabant, extorqueri, nec potuerunt.

potuerunt. Tunc quidam eorum ibant ad Frisingensem vulgus, & impetabant erga quemdam Roudolfum, & Chounradum, quod plebium turbas congregaverunt & pervenerunt ad easdem mulieres, & comprehenderunt eas, & usque Frisingam eas adduxerunt. Et iterum eas flagellantes nihil in eis veneficii extorquere valentes duxerunt eas ad ripam Ysone fluminis, & combusserunt eas omnes tres simul, quarum una viventis pueri pregnantis fuit: & sic in igne Martyrizate sunt in XIII. Kal. Julii, & a quodam consanguineo in ipsa ripa fluminis sepulte sunt. Quas postea tulerunt ibi Sacerdos, & duo Monachi, & in atrio S. Stephani sepeliunt, sperantes, eas verè esse dignas Christianæ Communionis. Hæc ibi. Ex quo Lector facile sibi persuadebit, Ecclesie etiam Frisingensi contra Meginwardum fuisse intrusum alium quendam Pseudo-Episcopum, cui Meginwardus sese opposuerit, furibunda plebe interim libertatem sibi arrogante, & malè sanum illud iudicium exercente. Sanè quis fuerit Herimannus, qui cum Meginwardo de Episcopatu contenderit, infra ex conjectura quadam monebimus. Interca licèt tunc Frisingæ quidem, uti etiam alibi res turbatè agerentur, certum tamen est, & fatetur Baronius ad hunc annum, in Germania tempore gravissimi Schismatis multos etiam laicos duxisse vitam sanctam, & moribus primitivæ Ecclesie non admodùm abfimilem. Baronio subscribit Mabillonius, qui ex Bertholdo tradit, communem vitam in multis Germaniæ locis florere cepisse non modò inter Clericos & Monachos, verùm etiam, eorum exemplo, apud laicos utriusque sexûs, qui se suaque omnia in communem usum contulerint, & sæculi rebus abdicatis, congregationibus Clericorum, atque Monachorum regulariter viventium sub eorum obedientia manciperint. Existimat verò Mabillonius, hanc institutionem initum sumpsisse ab exemplo fratrum Laicorum, quos sanctissimus ille, ac in Urbe, & Orbe notissimus Hirsaugiensium nostrorum Abbas Wilhelmus in suis Monasteriis admisit, & ad certas leges adstrinxit. Verùm utur hujus institutionis ampliationem Wilhelmo libenter concedamus, initium tamen ejus normæ tribui eidem posse inficiari cogimur, cum neuiquam desint exempla superiorum, non dico annorum, sed sæculorum, quibus quàm plurimi etiam laici se suaque omnia Monasteriis deoverunt, & ad vitam communitatem transtulerunt, tametsi non idcirco etiam Monachorum, vel Clericorum sæcularium Habitum assumpserint, aut castitatis voto sese adstrinxerint. Chartæ ejus rei quàm plurimæ reperiuntur in variorum Monasteriorum Scriptoriis, neque Frisingæ desunt, uti ex tot instrumentis hætenus didicimus, ac paulò post simillima referemus. Cæterùm hanc primitivæ Christianorum vitæ restitutionem cum maligni quidam carperent, institutum illud Urbanus II. Pontifex comprobavit literis ad Monasteriorum Præsides scriptis in hunc modum. *Quosdam accepimus, inquit, morem vestrorum canobiorum corrodentes, quo Laicos sæculo renuntiantes, & se suaque ad communem vitam transferentes, regendos obedientiâ suscipiitis. Nos autem eandem conversationem, & consuetudinem, sicut oculis nostris * conspeximus, laudabilem, & ad perpetua conversatione * dignissimam, quo in primitivæ Ecclesie formam ingressa est, judicantes, approbamus, sanctam & Catholicam nominamus, & per presentes litteras Apostolica auctoritate confirmamus.* Hæc Pontifex apud Mabillonium. Ita tum quidem apud multos humilioris conditionis Germanos meum ac tuum, frigidum illud verbum, innumerorum parens malorum, sanctè eliminatum fuit; cum interim Rex Henricus pro coronis sanguinem alienum, Pseudo-Episcopi pro Myrtili pecunias profundere, & alius quibusvis modis dignitates sibi raperent, non facti forma gregis ex animo, sed lupi rapaces in ovili. Certè hoc ipso anno Guibertus seu Clemens Antipapa contra id, quod jurato promiserat, iterum Urbem: Henricus verò Italiam

Studium vite
communis in
Germania.

à Pontifice
approbatum.

* nam ante
hac in Germa-
nia aliquando
fuit.

* foris leg-
conferatio,
na.

Alia Henrici
Imp. studia.

armis invasit: cum interim Udalricus Tyrolensis, Udefcalci Comitis filius, non aliunde ascendens, sed per officium virtutis, ac legitime electionis intrans, sedem Pataviensem adiret, à S. Thiemone Salisburgensi Archiepiscopo inauguratus.

In Italia dum Henricus partes Transpadanas turbat, ad Canusium caditur: quo tempore Adelheidis, sive Praxedis (aliis Bertha) Imperatrix, à marito pessimo scelestè habità, ad Urbanum Pontificem fugit, quam non ita multo post secutus est Conradus filius, oblarum à Patre turpissimum in Matrem scelus detestatus. Summa humanitate gratissimos hospites excepit Pontifex: & Conradus quidem, ducta Rogerii Siculi filia paulo post Langobardiarum Rex adversus Patrem salutatus est, Gebhardo interim Constantienſi Episcopo, velut Legato Pontificio Allemanniæ proceres adversus Henricum concitante: quo tempore conventu apud Ulmam habito Welfo Bojaris Dux, fraterque ejus Bertholdus Allemanniæ Dux, ceterique utriusque Regionis Optimates in duos annos fœdus adversus Henricum jurejurando pepigerunt.

Media illa tempestate mox laudatus Gebhardus Constantienſium Pontifex, & Apostolicæ sedis Legatus Synodum frequentem convocavit, in qua de disciplina Ecclesiæ, de Simoniaci, & Concubinariis, de diebus festis Paschatis, & Pentecostes, ac solemnioribus jejuniis multa fuere constituta.

Anno Christi 1095. Urbanus Pontifex Episcopos & Abbates tam Galliarum, quam Langobardiarum Placentiam convocavit ad Synodum, in qua tractatum fuit de repudiata ab Henrico Regina, seu Imperatrice: de Philippi Francorum Regis uxore itidem dimissa: ac precibus Alexii Imperatoris Constantinopolitani petentis auxilium contra Saracenos seu Turcas. Propositi verò nostri non est, universam ejus concilii historiam texere: illud tamen advertimus, præter ea, quæ synodus circa tres illos tum Reges, tum Imperatores constituit, etiam novis decretis fuisse sancitum, ne Clerici concubinas admitterent, aut pro consequendis Clericalibus quibusvis beneficiis pecunias expenderent, aut aliis ejusmodi illicitis placendi studiis ea occuparent. In Placentino illo concilio Thiemo Salisburgensis Archiepiscopus, Udalricus Episcopus Patavienſis, & Gebhardus Constantienſis Episcopus Arnolium Mediolanensem Archiepiscopum consecrassè dicuntur. Secutum paulo post fuit Claromontanum in Gallia Concilium, in quo præſente Urbano II. PP. quàm plurima ad disciplinam & Ecclesiæ regimen fuere sancita: Eodemque ferè tempore idem Urbanus primus Bullæ, ut vocant *Cruciata* auctor, expeditione contra infideles promulgata, multos Christianos Principes, & inter hos è Schyrenſi Familia Ottonem, & Eccardum, à peronibus (certo calcamentorum genere) peronarum (*Bundschuch*) dictum, ac postmodum in ea expeditione præprimis gloriosum, ad iacta arma accendit. Idem Pontifex eo ipso tempore officium B. V. M. solis eoque Monachis cognitum, & usurpatum, etiam ad reliquum Clerum transfudit, hodie etiam quibusdam Parthenio Maris cultui additiõibus Laicis familiare.

Meginwardus Episcopus noster eodem anno restaurato Weihenstephanensi Monasterio (quod incendio petiſſe supra diximus) novam consecrationem impendit 9. Kal. Septembris: Verùm (nescitur, ob quam causam) Erchangerum Abbatem exautoravit, eique sequenti anno Pabonem, ex Prifingensi Monasterio, ut legimus, educatum, substituit XII. Kal. Julii. Itaque eodem anno Hermannus (qui testibus Adelzreittero, ac P. Corbiniano Khamm ex Comitibus Wittelipacensibus ortus fuerat) Augustanum Episcopatum, quem non sine Simoniaca labe invaserat, malè administravit. Et fortassis hic ipse Hermannus erat, quem anno Christi 1091. Meginwardo nostro circa Episcopatum Frisingensem litem moviſſe supra ex Weihenstephanensi Codice diximus. De hoc Comite plura prædicti duo scriptores produunt, ad

quos

Conventus
Ulmanſis.

Synodus Pa-
centina.

Concilium
Claromont-
anum.

Bullæ Cruci-
atæ.

Acta Mona-
sterii Wei-
henstephan.

quos Lectorem remittimus. Fortè in consequentibus occasio erit plura de eodem, ejusque post aliquot annos secuta resipiscentia scribendi.

Interim, qui ad sacrum bellum Pontificis exhortatione maximò numero sese accinxerant, iter versùs Constantinopolim fuere ingressi. Meginwardum verò eo tempore, nempe 17. Kal. Augusti anno 1096. Frisingæ moratum fuisse, discimus ex instrumento Commutationis, quod exhibemus in Parte Altera. Et quoniam ibi inter testes primò locò referuntur *Otto Skirensis*, & *ejus fratruelis Udalrich*: Hermannus verò fratrem habuit Udalricum, ut Adelzreiterus scribit, crevit fortassis ea persuasio, Hermannum illum fuisse Wittelspacensem, cum idem sanguis Schyrensiùm, & Wittelspacensium fuerit, ut nemo ignorat.

Bellum sacrum.

N. 1255.

Anno Christi 1097. Henricus Rex ex Italia reversus Erchangerum, quem Meginwardus noster eiecerat, in Abbatiam Weihenstephanensem restituit, ut habent ejus loci antiquæ Membranæ. Ipse Henricus simulata boni Principis specie, Conventum Moguntia indixit, ac nonnullos ad suas partes revocavit, Ruthardum tamen, ex Abbate, ut diximus, S. Petri Erfurti Moguntinum Archiepiscopum, Sedi Romanæ addictum, vanissimo obtentu, in exilium eiecit, ac proventus illius Ecclesiæ fisco suo addixit. Præterea Henricus Judæis sese perquam benevolam exhibuit defensionem, restaurata earum libertate, & concessio rituum suorum usu. Circa idem tempus Meginwardus noster Frisingensis Episcopus Monachos Weihenstephanenses dispersisse scribitur, aut nulla ejus rei causa assignatur. Verba manûs synchronæ hæc sunt: Anno 1098. *Meginwardus Episcopus obiit III. Kal. Maji: quæ etiam die prius (intelligo, anno superiori) nos dispersit. Hæc ibi.*

Acta Henrici Imp.

§. V.

Acta certa, incertorum tamen annorum sub Meginwardo Episcopo: ejusque obitus.

Liberaturi fidem nostram, qua in superioribus promissimus, nos sub loco demonstraturos, Frisingensem Ecclesiam versùs alpes intra Amnes Mangualtam, Schlieram, & Leiznacum (quibus serè hodiernus Comitatus Waldekkenensis concluditur) quàm plurima prædia, ac jura possedisse, producimus in *Alterâ* hujus Operis *Parte* Instrumentum Meginwardi Episcopi nostri Frisingensis, cujus hæc summa est. Compererat Meginwardus Episcopus, ingentia damna circa loca supra dicta à, nescio, quibus, Ecclesiæ suæ sive illo, sive alius potius ab aliquot retrò actis annis fuisse illata. Hinc consulturus eidem suæ Ecclesiæ, ac damna ulteriora prohibiturus, Pienzennam, hodierni Comitatus Waldekkenensis vicum, sese contulit unâ cum Advocato, seu Protectore suo Ottone Schyrensi Comite, ut ibi instrueret *Placitum*, id est, iudicium, seu Conventum, ad causæ illius examen suscipiendum, & Advocatus edoceret, quænam prædia ac jura Ecclesiæ Frisingensis ejusdem protectioni fuissent commissa. Cùm itaque è vicinia quàm plurimi testes, qui conscii essent, quousque prædia, & aliæ possessiones Frisingensis Ecclesiæ eò loci sese extenderent, convocati, interrogati, & auditi: quidam insuper juramento fuissent adstricti, ut singula terminorum loca accederent, ea notarent, & indicarent, facta denique est ex testium relatione conscriptio illorum terminorum: quam Meginwardus Episcopus statim sub Episcopali banno, id est (uti Hofmannus interpretatur) sub poena excommunicationis confirmavit, ita scilicet, ut quicumque deinceps absque Episcopi licentia ea sibi usurpatus esset, à communione fidelium censereetur exclu-

Ecclesiæ Frisingensis possessiones versus Alpes trans Alperam.

N. 1256.

exclusus, donec facta restitutione absolutionem consequeretur. Sanè quoniam sint termini à testibus assignati, ipsum instrumentum latè indicat: ubi tamen notamus, plura vocabula Montium, vallium, ac similibus locorum successu temporum utique exolevisse, veluti alia quædam præcipua adhuc remanent, ac sigillatim nomina trium amnium seu fluviorum *Mangualde*, *Schlieræ*, & *Leiznaci*: nec non nomen lacus *Schliersee*: item *Schwarzenberch*, *Elpach*, *Pienzenowis*, & alia. Sanè quibus factis tot jura, prædia, ac bona Ecclesiæ Frisingensî posthac eo loci iterum decesserint, nobis manet incompertum.

Viz communis exempli Frisingæ.

Vitam communem eo tempore etiam à Laicis quibusdam in Germania cordi fuisse, superius ex Baronio, & que Mabillonio demonstravimus. Occurrit verò ejus rei egregium exemplum sub Meginwardo Episcopo nostro, dum Engila de Sandolteshusen nobilis Matrona se, ac omnem posteritatem suam Ecclesiæ B. V. Frisingæ tradidit, ac sua, suorumque bona commisit, ita, ut ipsa, ac omnes ejus posterî deinceps viverent eo jure, ac pacto, quibus etiam cæteri Ecclesiæ Frisingensî obsequiis eadem conditione addicti utebantur. Facta est ea traditio in manus Ekkihardi, Ecclesiæ Frisingensî Advocati, seu Protectoris præsentis Meginwardo Episcopo, & aliis multis nobilibus testibus, quorum nomina latius in Instrumento exhibentur.

N. 1257.

Eadem planè tempestate alii Ecclesiis se, ac sua addicebant non absolute, sed solùm sub certo censu annuo. Ejus rei exemplum sub Meginwardo habemus in Enzewiba nobili femina, quæ se, & filiam Diezam cum omni sua posteritate donavit B. Mariæ Frisingæ, ita, ut annis singulis numeros quinque eidem Ecclesiæ seu fratribus ibi Deo famulantibus pendere deberet. Eam donationem ipse Meginwardus Episcopus coram multis nobilissimis testibus suscepit, quos Instrumentum laudat. Verùm piarum hujus generis oblationum exempla passim in Ecclesiis antiquis reperiuntur ferè sine numero.

N. 1259.

Aliquando etiam ad Commune Vitæ genus quidam ultrò invitabantur ab iis, qui Communitati præerant. Meginwardus noster ab ipso Henrico Rege petiit Fridericum quemdam, in famulatio ejusdem constitutum, quem etiam Rex ipse manu cujusdam nobilis Pernhardi familiaris sui jussit tradi Sanctæ Mariæ, sanctoque Corbiniano in eorundem obsequium, ita tamen, ut is, unà cum posteris suis, inter primæ notæ familiares Ecclesiæ ministros numeraretur, & communi cum illis jure uteretur. Hunc Fridericum non solùm Meginwardus Episcopus, verùm etiam viri præcipui, Ecclesiæ Frisingensî Ministerio addicti, nobilissimis testibus adhibitis in suam societatem recepere. Hæc de moribus illius ævi.

N. 1260.

Ejusdem Meginwardi Episcopi temporibus collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Frisingensî complures bonorum accessiones factæ sunt ab ipsis potissimum Canonicis, qui ea ætate passim, imò plerumque *fratrum* nomine appellabantur. Sic Piligrim Canonicus, & Presbyter prædium suum in *Urpach* donavit Ecclesiæ Frisingensî, *ut unus fratrum det in anniversario servitium* (nempe solatium quoddam, aut monetam) *fratribus & celebret missas*. Similima præstitere Dominus Engelschalch Canonicus, & Presbyter, & Albricus de familia, qui *Confratribus* obtulere prædium in *Walfvistorf*, & Hubam in *Mammindorf*: ac alii plures alia. Fridericus verò de familia S. Mariæ dedit ad lectum, id est, ad tumulum seu aram S. Lantberti aream in *Kistingin* ad utilitatem pauperum Christi. Alius è Canonicis bona sua propria cum bonis communibus *Confratrum* suorum commutavit, velut instrumenta sub Meginwardo adducenda demonstrabunt. Verum his non vacat diutius immorari: satis nobis erit notasse, ejus temporis Frisingenses Canonicos quadam rerum peculiari proprietate omninò fuisse usos: quod maximè apparet in Wolfoldo Canonico, qui 38. jugera fratri-

Crescent reditus Frisingensî Cathedralis familia.

N. 1261.

N. 1262.
1263.

1264.

1265.

fratribus dedit, ac in vicem alia 34. jugera recepit. Postea factus Præpositus, ad anniversariam sui memoriam conservandam fratribus prædium apud *Pilimbocam* tradidit, veluti Instrumenta docent. Cæterùm cum hic occurrat Wolfoldi mentio, monemus Lectorem, in vita S. Gebhardi Salisburgensis Archiepiscopi, quam Henricus Canisus Tomo sexto Antiquarum Lectionum exhibet, occurrere Wolfoldum quendam, qui ex Canonico Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis factus sit Monachus primùm, postea Abbas in *Husenboven*, hodie Eisenhoven, ad quem locum Monachi ex *Vischpachau* fuerant ad tempus translati, transferendi posthac demùm Schyram, ubi hodieque DEO serviunt. Additur verò de dicto Wolfoldo Abbate in prædicta S. Gebhardi vita, eum ab Advocato suo dira perpeffum, contulisse se ad Monasterium S. Georgii in sylva Hercinia, ac inde à Conrado I. Archiepiscopo Salisburgensi fuisse evocatum ad Monasterium Admontense, ibique factum Abbatem summò illius Monasterii, imò totius Archidiececesos bono. Hæc cum ita sint, ac tempus hujus Wolfoldi ex Canonico Frisingensi facti Monachi & Abbatis, cum Wolfoldi supra laudati Frisingensis Canonici ætate planè consentiat, nemo eruditorum fortè negabit, inrer hos Wolfoldos non esse faciendum discrimen, sed unum eundemque Wolfoldum primùm fuisse Canonicum, ac Præpositum Frisingensem, postea Monachum, ac Abbatem Eisenhovensem, demùm celebratissimum cænobiarcham Admontensem. Interea res postulat, ut in Catalogo Schyrensiùm Præsulum Wolfoldus deinceps non reticeatur. De hoc Wolfoldo plura suò locò.

Wolfoldus
sive Wolvol-
dus Frisingen-
sis Canonicus.

Porrò in Instrumentis sub Meginwardo conscriptis semel, iterumque occurrit mentio cujusdam *Vite-Domini*. Ubi Lectorem monemus, eo nomine, uti Macri fratres in suo Hierolexico observant, majores nostros nil aliud, nisi oconomum Episcopi significare voluisse.

Vice Domi-
nus Episcopi.

Extat inter Meginwardi Episcopi Instrumenta unum, quo is, datò pretiò, oppidum, seu Castrum *Puttenperich* comparasse dicitur à nobili Adalramo de *Smuteshusan*. Illud in Altera Parte Lectori offerimus.

N. 1269.

Fuit verò Meginwardus non solùm Ecclesiæ suæ, verùm etiam aliorum, maximè tamen Nobilium commodis addictus, quippe quibus passim donationes insignes fecit. Ex referuntur in quarto, seu magno Traditionum libro in hunc modum,

Meginwardi
liberalitas.

Hic dona prestita à Domino Meginwardo hujus sedis Venerabili Episcopo.

S *Kirenses Comites P. (Pernhardus) & frater ejus. O (Otto) habent apud Seleprensteten III. Curtes, & apud Wüinckbaim II. Curtes, Dux Wefhardus habet apud Germariscowa IIII. curtes, IIII. bubas & molam, & piscatorem, & II. Wademannos. Wolfber de Perigo minister vester habet apud Skeftelarun II. Curtes. Cbuonrad de Dachebou habet apud Spachbrucka II. Curtes. Gebehardus Archidiaconus habet apud Piscofesriet. Wernber de Vagana habet apud Wichamriet II. Curtes. Comes Sigeboto habet apud Strazloch II. Hubas. Reginbalm de Hoffsteten habet curtiserum I. apud Tustein, Comes Otto de Omeras II. Curtes apud Tiniggen, & duas Hubas apud Cirlo. Adalpero de Sindellestorf habet II. curtes, & molam I. in eadem Villa. Ouzi de Husan habet Hubas II. unam apud Wilperch, alteram apud Sindellestorf. Otto de Ricbolfstorf, Uodalricb minister Comitiss Gebehardi habent II. curtes apud Wilperch. Arnolds de Perego habet bobam in media * silva.*

* Mittenwald.

Ex hæc sunt, quæ Meginwardus nobilibus concessit. Sequuntur modò, quæ Meginwardi tempore nobiles ultrò abstulerunt Frisingensi Ecclesiæ, prout in eodem traditionum libro habetur his verbis.

P. R. Caroli Meibelbeck Hist. Frising.

OO

Hæc

Annotatio
quorundam
honorum Ec-
clesiæ Frisingensis subtra-
ctorum.

*Hæc autem sunt bona, à servizio vestro prædatis substracta. Dux Welf-
hardus habet decimam apud Germariscowa. Comes de Omeras habet apud
Dinigen V. bubas, & molam I. & I. pastorale arium, & figulum I. &
Carpentarii beneficium I. & apud Vorchaideb curtem I. Rudolf de Owelstat
habet apud eandem villam molam & Sindmanni beneficium. Pilonch de
Pruchoo habet apud Flurlingen II. Curtes, & II. bubas, & bortulani aruum
& Curtem I. & bobam I. & bortulani aruum apud Polingen, & habet bo-
bam apud Litan, & II. bobas apud Cirlan. Ribbero de Pajerbrunnen habet ne-
mus suum apud eandem villam Bajerbrunnen. Hæc ibi.*

fol. 115. C.
& D.

Meginwardi
spud Bohem-
os prædica-
tio.

Freibergerus in Chronico impresso de Meginwardo hæc habet: „Cum
„Bohemia Christianam fidem recepisset, in Diocesi Ratisbonensi fuit voca-
„tus Episcopus Ratisbonensis ad consecrandum nonnullas Ecclesias: ata-
„men in sua infirmitate plurimis precibus induxit Meginwardum. Ille, ut
„animas DEO lucraret, non reculavit. Veniens in Bohemiam populum du-
„ræ cervicis in fide Christiana instruxit, & cæremonias in Ecclesiâ fecit,
„maximè in Cathedrali in Prag in Ecclesiâ S. Viti, ubi habetur brachium
„S. Viti. Ibi cum diu prædicasset, Monasteria construi impetravit, & ædifi-
„catis illis deliberavit iterum Frisingam venire: infelices verò intentionem
„scelere præveniunt, & sic post aliquos annos ibidem mortuus, & sepultus
„est in Prag in dictâ Ecclesiâ. „ Hæc Freibergerus: & idem traditur in Hi-
„storia M. S. live, ut alio nomine vocant, *Chronica quinta Episcoporum Fri-
„singensium.*

Incerta.

Verùm uti Brunnero suspecta semper fuit hæc de Meginwardo relatio,
quod ex Cosma æquali horum temporum scriptore satis constat, Boiohæ-
rum Gubertinæ factiõnis, Catholico Antistiti qualem Meginwardum fuisse
ostendimus, morem gesturum non fuisse: ita nobis quoque eadem narra-
tio planè hæcenus probari non potest, dum ex manu Synchrona Codicis
Weihenstephanensis apertè constat, Meginwardum ultimis vitæ annis Frisingæ
commoratum fuisse, quippe qui Monasterium Weihenstephanense recens
restauratum anno 1095. consecravit, ac Abbatem eiecit, aliumque substituit:
anno 1097. Monachos dispersit: ac demùm anno proximo, id est, 1098.
obiit, & quidem IV. Kal. Maji, quo ipso die, anno superiori Monachos disper-
ferat. Unde potius Frisingæ quàm Pragæ terræ commendatus fuisse omnino
dicendus esse videtur, tamen eius tumulus hæcenus inventus non fuerit. Le-
gimus tamen, Meginwardum pro fundatione anniversarii sui Curtem in
Afinkofen prope Frisingam assignasse: tamen instrumentum ejus donatio-
nis nondum conspexerimus.

Meginwardi
fundatio.

Obitus.

Obiit igitur Meginwardus noster exactis in Regimine suo annis 20.
Mense uno, ac aliquotiniuper diebus, Pontificatus Urbani II. anno XI. Henrici
IV. Regis XXXIII. Imperatoris XV. S. Thiemone nostro Archiepiscopo
Salzburgensi, Gebhardo IV. Ratisbonensi, Udalrico Patavensi, & Ottone
Brixinensi Episcopis, Bojariz Duce Welfone Seniore: nullo majori testimo-
nio commendandus, quam quod Viris Sanctis nempe Gebhardo, & Thie-
moni Salzburgensibus, & Altinanno Patavensi Religiosissimis Antistitibus sa-
miliaribus convixerit, cum quibus sine laude præcipua vivere non potuit,



CAPUT V.

Henricus I. Episcopus Frisingensis XXI.

§. I.

Genus, Electio, primordia Episcopatus Henrici I. Episcopi: ubi de fundatione inclitis Monasterii Cella Dietrami.

Henicum, Anno Christi 1098. 4. Kal. Julii Sedi Frisingensi imposi-
Natales Henrici I. Episcopi
 rum, nonnemo producit è prosapia illustissima Comitum de Semp-
 & Ebersterg, eumque Udalrici Comitis filium facit. Verum cum
ex judicio P. Adami Widl S. J. in suo D. Sebastiano Eberspergensis
 Udalricus Comes Semprensis, ac Eberspergensis supremum diem jam obi-
 rit Octogenarius Anno Christi 1029. ac rota Semprensi Comitum fa-
 milia anno Christi 1045. (vel paulo post) extincta fuerit, Insignia insuper
 Geniticia, cum ultimo stemmatis, rumulo illata, ac conspulta sint, ista
 opinio, quæ Lazio tribuitur, fidem apud eruditos non inveniet.
 Sunt qui Henricum familiae Comitum de Biburg, aut Nobilium de
 Kemnaten innectere student, quem alii sive Nobilem sive Comitem de
 Eberstein appellant. At his omnibus graviter contradicit lapis sepulchralis
 Henrici, cui inscriptum legimus de *Eberstorf*: quam inscriptionem omnes
reperiuntur in lapide sepulchrali
 hodiè que conspicimus, eidemque tanrò proniù assentimur, quanrò certius
 etiam constar Henricum Episcopum Frisingensi Ecclesiæ dono dedisse præ-
 dium in Eberstorf, uti suo loco dicemus. Equidem in insigni Codice Neo-
 cellensium traditionum reperimus Instrumentum, in quo Fridericus, frater
 hujus Henrici Episcopi, vocatur Comes de Bilnstein. At id mirum non
 est, cum eo tempore viri nobiles plerùmque non tam sanguinem, quàm
 dominia ad se aut hæreditario jure devoluta, aut Principum donatione con-
 cessa respicerent, & ab iis cognomen sibi adsciscerent: qui mos in Galliis
 etiamnum obtinet. Instrumentum illud suo locò adducemus.

Henricum non fuisse à Frisingensibus electum, sed aliunde intrusum,
Ejus intrusio,
 discimus ex quadam Conradi I. Archiepiscopi Salisburgensis ad Frisingenses
 Canonicos, atque Diocesanos Epistola, ubi inter cætera de Henrico hæc
 scribit: *Ecco lupus, non per ostium, qui Christus est, sed aliunde, ut maclet,
 & perdat, in ovile, sicut omnibus patet, ingressus, innumeris in vobis animas
 æternæ morti tradidit &c.* Epistolam illam iudò locò infra proferemus. Sa-
 nè quis sacram consecrationem Henrico impenderit, à nemine hætenùs pro-
 ditum invenimus; qui etiam non sine animi dolore deprehendimus, Hen-
 ricum Episcopum utriusque Henrico Imperatori, nempe IV. & V. fuisse per-
 quam familiarem, atque ut plurimum in eorum rum comitatu, tum aula ver-
 satum, iisdemque, quibus illi, Pontificum fulminibus, obnoxium: quæ utri-
 que causa est, cur de nullo alio Episcopo, qui tanto, nempe 40. propemodum
 annorum spatio Frisingensi Ecclesiæ præfuerit, pauciora in domesticis
 Frisingensibus tabulis reperiantur: atque ideò ab extraneis potius scriptoribus
 aliqua ejus acta emendicanda fuerint.

Cæterum proximò post Henrici Episcopi institutionem anno Henricus IV. Cæsar, Conrado filio natu Majori, arque rerum Italix potto in-
 R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. O o 2 sen-

Henricus V.
confess. Im-
perii.

senfissimus, Henricum filium natu minorem socium Imperii adscivit: Urbanus verò II. Pontifex obiit: cui unanimi Electorum suffragio successus est Rainerus, antehac Cluniacensis sub Divi Benedicti regula Monachus, demùm Pontifex Maximus renunciatus, ac Paschalis II. ducus, qui etiam Hungoni Chuniaceasi Abbati assumptionem sui datus literis, quas Mabillonius refert, nunciavit. Idem annus expugnata Viterbicis armis Hierosolimâ, Christianis omnibus gloriosus fuit, ac plures deinceps fideles in Syriam traxit; inter quos Welfo noster, S. Thimo Salisburgensis Archiepiscopus, Bernardus, & Ekkardus Schyrenses Comites eminebant.

Novi Pseudo-
Pontificis.

Secuta est altero anno mors Guiberti Pseudo-Pontificis. At non ideò cum Antipapa extinctum erat schisma, cum adhuc superviveret Henricus Imperator, cujus operâ post Guibertum tres alii sibi succedentes Pseudo-Pontifices successi sunt, nempe Albertus Neopolitanus, Theodoricus, & Maginulphus Romani, qui Paschali ingentem laborum materiam accesserunt. Porro Paschalis Pontifex Gebhardo Constantiensium Praesuli, veluti fortissimo Ecclesiae propugnatori, titulum, ac dignitatem Legati Apostolici confirmavit. De nostro Henrico Episcopo nihil simile invenimus. Scribit verò in suo Chronico Conradus Schyrensis, circa hoc tempus Ecclesiam Monasterii in *Ufenbosen* recens constructam, ab Henrico Frisingensi Episcopo fuisse dedicatam; quam tamen dedicationem postea irritaverit Conradus Salisburgensis Episcopus, *quia idem Episcopus (Henricus) pro magna irreligiositate à gratia Apostolica sedis fuit alienatus.* Ex quo firmatur id, quod diximus: nempe Henricum Episcopum Henrico Imperatori, toties Ecclesiae Romanae refractario, constanter adhaesisse.

Henricus Ep.
a Pontific.
Mortuus.

Proximò annò, saeculi duodecimi Christiani primo, Christiana nostra militia, quae nuper Hierosolimam subjugaverat, fraudibus Alexii, Imperatoris Orientis, plurima perpeffa est incommoda. Perire ex nostris quam plurimi: inter quos Welfo, dum salutem in fuga quaerit, in Cypro animam efflavit. S. Thimo noster, Salisburgensis Archiepiscopus, cum mutilam Machometi statuum reparare nòlet, sed eam insuper in frustra comminisset, horrendo supplicii genere evisceratus, illustrissimum testimonium Christo dedit, sibi quae immortalem Martyrii coronam fabricavit. Conradus Italiae Rex, eodem anno Florentiae decessit, pessimi Patris, nempe Henrici Imperatoris, filius optimus. Ipse Henricus Imperator, cum sequenti anno promississet, se indictò ad tollendum schisma Concilio Romae interfuturum, ac postea minime comparuisset, imò novum Pseudo-Pontificem instituisset, merito iterum diris devotus, & sacris interdictus est. Eodem tamen anno, praeter morem, sanctum Otho-nem, Cancellarium suum, absque ulla pecuniae largitione constituit Bambergensis Episcopus: sed quem honorem nequaquam acceptavit Otho, donec Sedis Apostolicae mandato constructus fuit. In Bojariz ducatu Welfoni seniori Welfo II. successit.

S. Thiononia
Martyrius

Continuet
Celia Do-
trina.

In eundem annum incidunt initia celebris Monasterii Ordinis Canonico-
rum Regularium S. Augustini, quod *Dietrami Cellam* nominamus, eò quòd Dietramus Presbyter cum duobus sociis in vasto nemore Cellam illam condiderit, Udalcalki Tegernseensis Abbatis potissimum ope subnixus, ut Brunnerus loquitur. Consensit Henricus Episcopus noster, & has eodem anno litteras Abbati dedit.

Geard in
adlit ad
Metrop.
Hansa 7. 2.
P. 255

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Ego Hainricus DEI gratia sanctae Frisingensis Ecclesiae Episcopus, ex petitione Dilecti filii nostri Dadascalci Abbatis Tegernseensis Monasterii, universitati fidelium tam praesentium quam futurorum in summo, quòd praefatus Abbas consensu nostro, ac totius
Capi

Capituli, & astipulatione Bernardi, & Sigibonis de Newenburg advocatorum sui Monasterii, & consilio & conniventia sue congregationis, & Ministerialium suorum in alodio ejusdem Monasterii, quod Egelingareus dicebatur, collectis fidelibus, atque religiosis personis ad divine religionis cultum, cellam beati Martini laudabiliter instituit, Ordinem secundum regulam S. Augustini inviolabiliter ibidem observari constituit: Possessiones, quibus ipse eandem Ecclesiam ditavit cum oblationibus fidelium, quas eadem Ecclesia consequi posset, usibus fratrum ibidem Deo servientium deservire concessit De institutione vero Præpositi, nobis annuente, & Præposito Dietramo præsentem, ita ordinavit: ut obeunte Præposito fratres ejusdem Cella consilio, & consensu Abbatis concorditer sibi Præpositum eligant, & electus possessiones, & investituram temporalium ab eo accipiat, nobis autem de spiritalibus respondeat. Et ut hec institutio in futuris temporibus firma & inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Acta sunt hæc apud Waringer XVII. Kal. Nov. Anno Dominice incarnationis M. CII. Indict. X. Anno Episcopatus nostri V. Hujus rei testes sum de Canonicis Matricis Ecclesie Hainricus, Wichmannus, Herrandus. De parochialibus ejusdem Monasterii Weringher de Waringer, Udalricus de Harpenigen, Gerbicus de Gmunden. De Nobilibus Sigiboto Advocatus, Werimbart de Stoffe*, Otto de Grube, Udalscalch, & Ribber de* ^{fortè stoffe.} Hobenberth. De Ministerialibus Ecclesie Rudolf, & Otto de Ribolvestorf, Egeno de Dietpreschschirchen, & filius ejus Ambricus, Udalricus, Hainricus, & duo filii ejus, Sigimar, Wolfolt de Wachbergen. Sigibo, Ekkebart, Hainrich, Werimber de Harpenigen, Pügrim, Megerch Dufbouerii, & alii quam plures.

Paschalis II. Pontificis Maximi literæ de hac fundatione hæc continent.

Paschalis servus servorum DEI dilecto filio Dieteramo, & ejus fratribus ^{Literæ Pon-} ^{tificis} Beati Martini Canonicam Vitam professis in perpetuum. Jussis votis assensum præbere jussisque petitionibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni justitiæ custodes, atque præcones in excessa Apostolorum Principum Petri, & Pauli specula positi Domino disponente conspicimur. Udalscalchus siquidem Tegernensis Abbas augenda religionis inimicus de sui Monasterii possessionibus regularium fratrum, qui Canonici dicuntur, congregationem alere Domino largiente disposuit, in loco, quem sancti Martini Cellam appellarunt. Eiusdem igitur Abbatis & Monachorum ejus justum votum piæque desiderium cognoscentes, quod ab eis institutum est, præfenti decreti favore firmamus. Ipsam enim Cellam & Canonicorum illuc congregatorum seu congregandorum conventum Apostolicæ Sedis munimine confirmamus, statuantes, ut quæcunque prædia, quæcunque bona per supradictum Tegernensem Monasterii Abbatem vel per alios fideles de jure proprio loco eidem concessa sunt, quæcunque etiam in futurum concessione Pontificum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè illic dari offerri contigerit, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneat. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat eandem Ecclesiam temerarie perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione, & Gubernatione concessa sunt, usibus omni modis profutura, salva Frisingensis Episcopi canonica reverentia. Decimas etiam novalium vestrarum vobis vestrisque successoribus habendas remota Episcopali ministrorum contradictione concedimus. Sanè post professionem exhibitam nemini vestrum liceat proprium quid habere, nec sine præposito vel Congregationis licentia de claustro discedere, ut in eo, quod assumpsistis proposito, Domino largiente constanter in perpetuum maneatis. Siqua igitur Ecclesiastica secularive persona &c. &c.

Hæc acta sunt anno Dominice Incarnationis MCVII. Paschali PP. Secundo. Ita habet antiquus Codex Tegernseensis, cujus Titulus est: Acta Papalia & Imperialia paginâ 146. & 147.

Huc merito revocamus epitaphium supradicti Udalcalci Tegernseensis Abbatis, quod exstat apud Claris. P. Bern. Pezium Tom. III. Anecdotorum, & hæc exhibet.

*Abbas loci bujus Comes de Neuuburg Udalcalcbus
Cellam Dietramo fundat mille centumque vino
Idibus Novembris transiit è carcere carnis.*

Alias Privilegii Tegernseensibus concessi Apostolicas confirmationes Hundius refert in Metropoli, & ibi Gewoldus in additionibus, ubi plura alia de fundatione celeberrimi hujus Monasterii Lector inveniet. Confirmationem ab Ottone II. Frisingensi Episcopo factam suo loco exhibebimus.

§. II.

Henricus I. Episcopus turbis se implicat. Mors Henrici IV. Imp. ac S. Benmonis Episcopi Misnensis.

Henrici IV. lusus,

Henricus Imperator, ut non solum Pontifici, sed etiam universis Christianis constantem animi inconstantiam proderet, in Conventu Moguntiae celebrato finxit se suscepturum expeditionem in Orientem adversus Turcas, Christiani nominis hostes acerrimos. Mirum est, quanto gaudio atque applausu Germanorum Imperatoris verba excepta fuerint. Verum postquam lusus Henrici brevi innotuit, odio ac ludibrio omnibus, suis nimirum atque exteris fuit.

Henricus Episc. male indutus.

Dum eum in modum Henricus Imperator Principibus populisque illudit, Henricus Episcopus noster illud sibi passus est ab Udalrico Borivoii Bohemiarum Regis fratre, qui jure natalium sibi Bohemiarum Regnum ab Imperatore adversus fratrem juniorem quidem, sed tamen legitime in solidum jam confirmatum deposcebat. Annuit votis utcumque Imperator pecunis ab Udalrico unctus. Tum is mox occupatus solum Bohemiarum, in qua omnia ad vota sua obventura palam jactitabat, in itineris potius ac gaudium, quam veri belli societatem Sighardum, Burghusianum antehac Comitem, postea ex dote (Toparchia Schallensi) dictum Comitem de Schalla aut Sala; item Henricum Episcopum nostrum, aliosque affinitate sibi coniunctos attraxit. Itum est ad epulas potius ac occupandas præpingues Præfecturas, quam ad prælium conferendum, ut diximus. Verum dum in interiora Bohemiarum ventum est, obviam cum instructissimo exercitu Borivojus, Bohemiarum Rex, occurrit, & hospites minime invitatos in angustias conclusit, multosque in fugam conjecit. Inter hos Henricus Episcopus noster cum nonnullis sociorum noctu dilapsus, sacram suppellectilem, qua ad aram uti solebat, Bohemis in prædâ reliquit. Ita rebus suis spoliati Bohemiam deferuere, qui Bohemiarum dignitates ac thesauros spe devoraverant. Factum hoc ad annum Christi 1104. referri solet.

Traditio de stipendio Advocatorum ejus temporis.

Eodem anno Henricus Imperator Conventum Ratisbonam indixit, in quo quid inter alia actum sit dicimus ex quarto, seu Magno Traditionum Frisingensium libro. Explicamus autem rei seriem nostris verbis in gratiam eorum, quibus abstrusiora mediæ ætatis vocabula minus sunt familiaria. Expendebatur in eo Conventu, constitutum olim fuisse in Concilio quodam Africano, petendum esse ab Imperatoribus, ut si, accedente Episcoporum consilio, constituerent protectores pauperum, nempe colonorum & subditorum, adversus potentiam divitum, ne ipsi pauperes nimis graves esse

esse deberent Ecclesiis, ac perpetua ex earum redditibus subsidia sibi petere. Quæsitum verò postea in eodem Conventu Ratisbonensi fuit, ecquid ejusmodi defensoribus pauperum: item Monachorum & Ecclesiarum protectoribus pro stipendio laboris esset rependendum? Constituit verò Conventus Procerum Regni, ut omnes, qui ad *Placitum*, id est, ad jurisdictionem vel potius defensionem ejusmodi Advocati seu Defensoris pertinerent, quot aunis tempore, quo convocarentur, in loco certo convenirent, in quo ejusmodi Advocatus *servitium*, id est, pensionem annuam majorem non exigeret, nisi duos modios tritici, duos porcos, tres cados vini & *Medonis*, id est, Hydromeli, decem cados cerevisiæ, & quinque modios avenæ. Advocatis verò Monasteriorum assignata fuit tertia pars *banorum*, nempe mulctarum pecuniarum, ita tamen, ut, si res fratrum dispendium quoddam passæ fuissent, fratribus præprimis restituantur aut res ipsa ablata, aut *Weringelæ*, id est, pretium æstimationis. Porro Advocatis Prælatorum, nempe Episcoporum nihil certi constitutum fuit, sed eo contenti esse jubebantur, quod Prælati, rerum suarum damnatum per injuriam passus, Advocato, cujus ope damnum ejusmodi restitutum, aut injuria depulsa fuisset, ultrò ex charitate offerret. Hanc constitutionem verbis Ratisbonæ conceptis plenius damus in Altera Parte.

N. 1272.

Hæc, ac fortè his similia plura agebantur Ratisbonæ: interea tamen Regni Proceres faciliè advertebant, verbii potius, quam sinceris curis Henricum graviora Regni negotia administrare, neque de tollendo Schismate, minùs de terræ sanctæ recuperatione stabilienda seria consilia sœvere. Inde enatæ indies majores querelæ, indignationes, iræ, & tantæ quidem, ut Boji Henrico designato Regi, Henrici Imperatoris filio, auctores esse cœperint secessionis à Patre faciendæ. Bojis accessere Suevi, Francones, Saxones, qui omnes diuturni schismatis denique intolerantes, illud penitus execrati sunt; & Ruthardus ex Abbate, ut diximus, S. Petri Erfordiæ Archiepiscopus Moguntinus; ac Gebelhardus è Zaringiæ Duce, ac Monacho postea Hirsauigeni Episcopo Constantiensis, ceu Sedis Apostolicæ Legati eas Provincias, quorum Principes ac Proceres Henricum abdicaverant, Romanæ Ecclesiæ reconciliârunt. Porro Henricus junior, eo nomine quintus, ab univerfis Principibus in Conventu Moguntino Rex salutatus, exauctorati communibus votis Parentis Imperatoris acta rescidit, ac paulo post Northufiæ in alio Conventu publicè se purgavit, testatus, se bellum Patri inferre nulla regni cupiditate, sed solo schismatis tollendi, ac defendendæ Apostolicæ Sedis studio atque desiderio. Non deerant equidem, qui Henrici Imperatoris partibus adhuc arma jungere cuperent: verùm rebus illius semper in deteriora ruentibus, demùm etiam ab iis sociis desertus est: unde coactus Imperator Insignia Augustalia in filii potestatem tandem consignavit. Succedentibus nihilominus novis rancoribus, cum Imperator frustra in quibusdam Regni proceribus, & inter hos in Henrico Episcopo Frisingensi spem aliquam adhuc reponeret, demùm in vincula conjectus præ mærore animi exinctus est Spira, aut, ut alii malunt, Leodii circa Kal. Augusti anno Christi 1106. vitæ suæ 56. Regni 50. etiam post mortem miserimus, quippe qui ob tot repetita anathematum fulmina etiam sepulturâ quinquentio caruit. Memorat aliàs inter alios Bucelinus noster, neminem alium Imperatorem toties collatis signis cum hostibus conflixisse, atque Henricum, adeò, ut is M. Marcellum & Julium Cæsarem supergressus, bis & sexages justò præliò dimicasse deprehendatur, atque utinam, inquit ille, causâ, quam successu meliore.

Mortem Henrici Cæsaris sesqui mentè præcesserat felicissimum ad coelos transitus S. Bennonis Misnenis Episcopi, hodie totius Bojaræ nostræ Patroni atque Evergetæ singularis, prodigiis clari, qui, cum ad extrema delatus esset,

sed minimal
feriæ.Definitur
Henricus IV.
a. sua.Et miserè me-
riur.Obitus S. Ben-
nonis Ep.
Misnenis.

Vita illius
compendium.

effet, suis inter alia mortem Henrici paulò post eventuram disertè prædixit. Natus est sanctus Episcopus anno Christi MX. in Saxonia, parentibus Friderico, & Bezela, Bullenburgi haud procul Goslariâ Comitibus, in sacro regenerationis lavacro dictus Benno, quod nomen genti illi eo tempore idem sonabat ac Benedictus. Quinquennis parvulus à parentibus, virtute non minus quàm generis claritate conspicuis Berwardo, sancto Hildesensium Episcopo, cognato suo commendatus, ab hoc Wigero, Religiosissimo Monasterii S. Michaelis Hildesie præposito (qualem hodie vocamus *Priorem*) literis ac pietate excolendus traditus est, sub cujus sancto magisterio nobilissimæ indolis adolescentulus profectum in literatura ac religione fecit verè admirabilem. Mundi deinceps pompas perosus, stimulantibus intuper sancti Pontificis Berwardi consiliis ac exemplo (quippe qui ipius posito Episcopali habitu Monasticum susceperat, & vitæ reliquum inter Monachos exegerat) redire ad suos Benno noluit, sed in eodem Divi Michaelis Monasterio Hildesensi (quod etiamnum floret) sese Divi Benedicti, Patroni sui, legibus solenni votorum nuncupatione arctius adstrinxit. Parisios deinde ob excellentis animi ac ingenii dotes ad studia missus, ac supremos in ea Academia gradus adeptus, domi paulò post Presbyter ordinatus, & Abbatis nuntius suscipere coactus est: à quo ipso tamen onere absolvi suis lacrimis instantissimè petit, ac demùm post trimestre etiam impetravit. Ast DEUS clarissimum lumen sub modio latere non voluit. Hinc Benno, urgente maximè Henrico III. Imperatore, Pontificis auctoritate è Monasterio extractus Cæleste Sacerdotum Goslariensium Collegio Magister datus est: quod ille munus per multos annos adèb egregiè gessit, ut ex ejus disciplina quàm plures Archiepiscopi & Episcopi ad varias Germaniæ Ecclesias fuerint evocati: è quorum numero existimant nonnulli fuisse quendam, qui *Canon* dictus fuerit, & Frisingensi Ecclesiæ datus sit Episcopus. Ast nos in tot Frisingensium Episcoporum Catalogis & monumentis nullam alicujus Canonis Episcopi mentionem reperimus, neque cui sive tempori sive anno illigari possit, deprehendimus. Cæterùm ipse Divus Benno demùm Misnensibus præfectus Antistes, cum pro DEI Ecclesiæ Henrici IV. scandalis inter pauculos alios Præsules sese omnium fortissimè opposuisset, ac pro sua Ecclesia exilium, aliâque gravissima incommoda perpeffus esset, demùm sanctam animam annò supra notatò, nonagenariò major, efflavit, vivus ac mortuus maximis prodigiis clarus. Hæc obiter ex vita ejus sancti, Monachii anno 1697. tertium edita, & ab Electoralis Insignis Collegiæ Ecclesiæ B. M. V. Reverendissimo Canonorum Collegio Serenissimo Principi Electori Maximiliano Emmanuelli inscripta, uti etiam ex Raderi Bavaria sancta depromptimus. De hoc S. Bennoe fortassis suis locò plura.

In Catalogis
Frisingen-
sum Episco-
porum nullus
reperitur, qui
Canon dictus
fuerit.

Concilium
Gualtallæ.

Eo ipso anno XI. Kal. Nov. Paschalis II. Pontifex Maximus celebravit Concilium Gualtallæ ad Padum fluvium in Langobardia, in quo salubriter constitutum fuit, ut etiam illi Præsules, ac Minoris Ordinis Clerici, qui à Schismaticis vel Simoniacis ordinati essent, in suis Ecclesiis possent persistere, dummodò non Simoniæ scelere, aut vi honorem occupassent. Interim inter alios Bertholdus, qui Salisburgensem Sedem aliquot ab hinc annis vi invadere tentaverat, rejectus: contra verò B. Conradus, Henrici V. Cancellarius, vir genere Abenspergensium sive Comitum sive Baronum, ac virtute illustrissimus, a Paschale, Benedictino Pontifice ordinatus, ac Palliò Sacrò donatus fuit, de Ecclesiæ DEI, ac sua Salisburgensi, nec non Ordine Canonorum Regularium, sub Regula S. Augustini vota sua religiosa DEO nuncupantium, plurimum meritus. Porrò Paschalis Pontifex, qui in Germaniam proficisci statuerat, cum intelligeret, Henricum à remittendis, ut sperabat, Ecclesiarum investituris, Patris exemplo, ab-

Conradus I.
Archiep. Sa-
lisburgensis.

horte-

horre, mutatò consiliò in Galliam deflexit, ubi Concilium Trecentè erat celebraturus: de quo paulò inferiùs.

§. III.

Res Ecclesiasticæ & civiles: item Monasteriorum Madronensis, Tegernseensis, & Weibensstephanensis usque ad annum 1115.

Postquam Paschalis Pontifex in Galliam delatus, Natale Domini Cluniaci celebraverat, anno statim infecuto, Christi 1107. ad varia Regni illius loca profectus, cùm Catalaunum devenisset, obvios habuit novi Imperatoris Legatos, qui causam illius de *Investiturâ* exposuere. Horum postulata cum Pontifex rejectisset, illi vix non ad convicia & injurias prolapsumulatur cooperunt, testati Pontifici, causam illam non in Gallia, sed Romæ gladiis esse dirimendam. Legatis digressis Pontifex Treas perrexit, ubi in frequenti Concilio circa Festum Dominicæ Ascensionis iterum contra conjugia Clericorum, contra Simoniacos, & seculares dignitatum atque beneficiorum Ecclesiasticorum collatores actum fuit, Carleaneanus Principis sui violatum quiritantibus. Secutum est annò proximò Beneventanum Concilium, præsentè Pontifice celebratum contra Laicos collatores beneficiorum Ecclesiasticorum, ibique Pontifex excommunicationem utrique parti, danti nimirum atque accipienti, interminatus est. Interea Henricus V. novus Imperator cum Flandris, Hungaris, Polonis atque Bohemis varia negotia habebat, quibus utcumque confectis anno Christi 1109. in Ratisbonensibus Comitibus Romana profectio decreta, atque anno proximo etiam inita fuit. Inter eos, qui Henricum ingenti numero comitabantur, Germaniæ Proceres, Welfo Dux fuit: item Theobaldus Vohburgius, Engelbertus Craiburgius, Otto Comes Palatinus, & Sigebotho Falkensteinius. Romam antequam veniret Imperator, promisit Pontifici, se usurpato hæcenus ab Imperatoribus *Investiturarum* juri renunciaturum: at paulò post parçptis exemplum egregiè scilicet secutus, non solum ptomissionem tam solemnem turpissimè convulsit, sed, cùm Romam devenisset, Paschalem Pontificem sacris ad Divi Petri aram peractis extra templi atrium captivum duci iussit. Capta quoque fuit Clericorum ac Laicorum ingens multitudo, quibus vestes detractæ, multæ verò insidiæ fuere injuriæ, uno id improbante ex Germaniæ Episcopis Conrado Archiepiscopo Salisburgensi, qui Henrico cuidam militi cognomento dicto *Caput*, nempe *Kopf*, à quo, ut nonnemo judicat, castrum Kopfsprung nomen traxit, stricto gladiò necem minitanti, ulro jugulum obtulit, ac moriturum se potiùs, quam atrox illud facinus probaturum asseruit: quod factum sanè illustre ingentes illi deinceps adversitates conscivit. Interea Pontifex apud castrum Trebecum in Sabinis, Cardinales verò apud Crocodisium in custodiam dati fuere. Captivis suis postea Henricus affirmavit, se, nisi Pontifex sibi morem gereret, omnes, quos in custodia teneret, aut interfeciturum, aut certè membris mutilaturum. Cùm verò minæ nihil proficerent apud Pontificem, ac insuper Germaniæ Episcopi precibus eum scètere non possent, vehementiùs excandescens Imperator omnes in Pontificis conspectum produci iussit extemplo necandos. Verùm nihil his motus Pontifex se ipsum obruticandum obtulit, ac ut ceteri quoque causam DEI mortem subeundo agerent, graviter admonuit. At cùm illi ad Pontificis pedes provoluti, ut sui misereretur, etiam atque etiam obtestarentur, tandem, humani quid passus, consensit, ut Imperator Episcopos atque Abbates absque Simonia ac liberè electos, annulò ac baculò *investiret*, sicq; *investiti* consecrari possent. Eo facto Henricus exhilaratus Pontifici ippondit, se ei fidem servaturum, atque erepta

Novæ difor-
diz inter Pon-
tificem, ac no-
vum Impera-
torem.

Romanæ Ecclesiæ patrimonia restitutum. Secuta est paulò post coronatio Henrici, qui deinceps in Germaniam rediit. Pontificis interea factum Cardinales illi, qui in captivitate cum eo rapti non fuerant, vehementer improbabant, illudque rescindere non dubitabant. Inde novæ eorù gravissimæ inter ipsos Pontificios turbæ enatæ sunt, donec tandem Pontifex libertati plenius restitutus convocato Concilio potestatem dedit reprobandi atque damnandi totum illud, quod ipsum inter & Henricum actum fuerat: qua facultate usi Patres & factum damnarunt, & Henricum diris devoverunt. De Henrico Episcopo nostro in his turbis nulla occurrit mentio. Welfo Bojarie Dux facti Cætarei iniquitatem eisdem audacter explicuisse dicitur: Conradus verbò Salisburgensis Archiepiscopus ob invictam pro Sede Apostolica Constantiam pluribus annis exilium tolerare compellus est.

Monasterium
Madronense.

In hac Frisingensi Diocesi anno Christi 1112. *prorsus interivisse* Monasterium Divi Petri honori in vertice Madronæ montis positum, atque ab Andecensibus, iisdemque Dieffensibus Toparchis olim excitatum, Brunnerus scribit, nescio an, & quo veteri testimonio nixus. De illius Monasterii primordiis cum nihil mihi sive in editis, sive in editis occurreret, tandem vir clar. admodum R. P. Benedictus Friepis Prior Andecensis certior me fecit, asservari in Ecclesiastico thesauro Andecensi Liturgiam verustam, quæ olim ad Monasterium Madronense pertinuerit, atque in ea legi hæc ipsa verba: *Novimus Christi fideles, quod ego F. Chunradus, & conversus de Monte S. Petri, qui dicitur Madron, & Ordinis S. Benedicti, & professus ibidem attuli hunc librum ad locum & montem Andes Deo & S. Nicolao, quia adarus meus, qui residebat in Castro Andes, fecit & comparavit cum ob remedium anime suæ. Dum nudiavi Ordinem S. Benedicti & locum S. Petri, portavi hunc librum mecum. Tempore Rudolfi Ducis Babaria cepit litigium inter eum & Comitem de Surberg, & locus S. Petri totus destructus & desolatus, & ibi fratres cum ejulatu expulsi, & res Ecclesiæ devenerunt in manus alienorum, & omnes consumptæ, & specialiter reliquæ, quas Magnus Comes de Andes dedit S. Petro, quia adarus Comitis de Andes fundavit eandem Ecclesiam, & donavit eam unâ cum fratre Mechtino, & est primus inceptor fundationis prædictæ, & frater prædictus sua professus in loco Besselsprunnensi, quas reliquias ego frater Chunradus & librum recepi mecum, & donavi eas ad montem Andes & locum S. Nicolai. Frater Mechtinus & duo fratres cum eo dederunt fugam à loco Besselsprunn tempore Arnulphi impij, dum locus (Besselsprunn) destructus & desolatus fuit. Hæc ibi: quæ si vera sunt (certiora aures hæc nunc nondum experiri licuit) prima Monasterii Madronensis fundario jam pertinet ad tempora Arnulphi Mali, id est ad inirium decimi sæculi. Secundo: rectè adscribitur Comitibus Andecensibus. Tertio: colligitur, Ordinem Sancti Benedicti illuc fuisse introductum à Monachis antiquissimi Monasterii Welfofontani.*

Cæterùm ea, quam Chunradus (ex Comitibus, ut alicubi legitimus, Hornstainii Monachus Madronensis) describit, ejusdem Cœnobii devastatio non pertinet ad annum Christi 1112. sed ad tempora Rudolfi Bojarie Ducis, & quidem, uti Adelzreiterus notat, ad annum Christi 1296. quo tempore vixisse *Meginozum de Surberch* discimus ex coevo Instrumento, quod reperimus in Codice Traditionum Monasterii S. Petri Salisburgi, ubi *Meginoz de Surberch* inter testes recensetur. Quodsi etiam aliam devastationem Madronensis Monasterii anno Christi 1112. contigisse dicere placet, testibus indigemus, quales tamen apud Brunnerum non invenimus. Monasterium Madronense anno 1112. non *prorsus perivisse* ex eo demonstratum manet, quod adhuc propè finem sæculi decimi tertii Monachi locum incoluerint, uti ex Chunradi supra laudati luculento, imò oculato testimonio discimus; & sæculò duodecimo anno Christi 1163. sub Alberto Episcopo eidem Monasterio factam fuisse insignem donationem, suò locò demonstrabimus.

Num.
M. CCGXXV.

Arabo Tegernseensis Abbas sæpe dicto anno Christi 1112. privilegium super decimis novalium in Ecclesiis suis percipiendis ab Henrico Episcopo Frisingensi obtinuit, uti tum apud Hundam in Metropoli, tum in monumentis Tegernseensibus apud P. Bernardum Pezium Lector inveniet.

Tom III pag 391. Annot. ad Tom III. col. 518.

Hoc eodem anno desinit Chronicon Sigeberti Gemblacensis, Ordinis nostri Monachi, qui merito præcipuis, ac de republica literaria optimè meritis Germaniæ nostræ scriptoribus accensetur, eo solo nomine culpandus, quòd alicubi lapsus, Imperatoribus sui ævi contra Pontifices patrocinatus fuerit.

Proximo anno, Christi 1113. S. Bernardus, Mellisbus Doctor, Ordinem Divi Benedicti, ac Cisterciensè Monasterium ingressus est, futurus ipse novæ ac amplissimæ Congregationis sub eadem Divi Benedicti Regula Fundator sanctissimus. Quo eodem anno Henricus Imperator Saxonibus, patris exemplò, bellum inutile: anno verò subsequenti Mathildem Anglam Conjugem duxit.

S. Bernardus.

De vicino inclyto Monasterio Weihenstephanensi ad annum Christi 1114. in pervetusto illo loci Calendario, toties hæcenus allegato, uti etiam in loci Chronico sequentia referuntur. Verba Chronici hæc sunt. *Clericus quidam nomine Marquardus apud Domum B. Mariæ Virginis in Chorse (id est, ut alibi legitur, curia seu palatio) Episcopali (Frisingensi) ad australem plagam diluculo, orto jam sole deambulans, vidit circa Weihenstephanensè canobium, versus occidentem, nubes condensari, è quibus grandis stella paulatim procedens usque ad turrim templi S. Stephani perrexit; ubi aliquamdiu subsistit, & mox relicta turri super claustrum versus orientem processit: unde progressa ad aquilonem reversa est: atque rursus super turrim rediit. Hinc sexus ad orientem, & inde sexies ad Aquilonem in modum crucis discurrit. Tandem ab occidente ad orientem processit, donec ad magnum aggerem pomerii perveniret, & super turrim versus orientem reverteretur, nubemque, unde primò egressa fuerat, rursus ingrederetur, nec amplius appareret, sole per magnum calis spatium progresso. Per id sanè prodigium plerique putarunt, Sanctum Michaelem Archangelum se manifestasse. Quare etiam ab Episcopo Frisingensi (utique Henrico) canobio in Patronum est deputatus, cum ante id tempus solus Sanctus Stephanus illius canobii Patronus esset. Hæc ibi. Atque hinc est, cur in eodem inclyto ac Religiosissimo Alceterio non solum Dedicatio S. Michaelis Archangeli (ut vocant) verum etiam Festum Apparitionis ejusdem S. Archangeli solennissimo ritu celebretur.*

Eventus mirus in Monasterio Weihenstephanensib.

§. IV.

Turbæ Ecclesiasticæ continuatæ: & tertia migratio nostrorum ex Eisenboven Schyram.

Cum Henricus Imperator anno Christi 1115. grandi cum exercitu Saxoniæ populabundus pererraret, ingenti à Saxonibus clade affectus, & consiliis amicorum, Principumque querelis compulsus, conventum generalem Moguntiam circa initium mensis Novembris indixit. Verùm cum nonnisi pauci admodum Proceres comparerent, Moguntini cives, quorum Archiepiscopum Imperator jam tertio anno captivum tenuerat, occasione utendum rati, palatium Cæsaris armati cinxerunt, ultima quæque eidem minitati, nisi Adalbertum Archiepiscopum quantocyus libertati ac dignitati suæ restitueret. Ex sanè obtemperare debuit Henricus, dum provivere voluit, itaque Archiepiscopum liberum dimisit.

Periculum Henrici Imp.

Concilium
Lateranense.

Sequenti anno, Christi 1116. Romæ pridie Nonas Martii celebratum fuit generale Concilium Lateranense, in quo Paschalis II. retulit, se privilegium *Irvestiturarum* Henrico Imperatori partim ob vim illatam, partim ideò concessisse, ut gravissima mala ab Ecclesiasticis ac Laicis averteret. Addidit, se privilegium illud condemnare sub perpetuo anathemate, & rogare omnes, ut idem faciant. Sanè quotquot aderant Patres, Pontifici cum plausu consensere. In eodem Concilio excommunicatio Henrici Imperatoris publicè confirmata fuit, ut Baronius scribit.

Scriptores plures memorant, emanasse eo tempore Bullam non solènt excommunicationis, verùm etiam depositionis contra Henricum Episcopum nostrum: & Conradum Archiepiscopum venisse Frisingam, ut eam populo promulgaret: at Archipræfulem ab Ecclesiæ Cathedralis Canonicis, qui tunc doctissimi omnium Sacerdotum Germaniæ consuebantur, fuisse urbe exactum. Ita illi quidem. Verùm de ea tum excommunicationis, tum Depositionis sententia nihil reperimus in actis Concilii supra laudati: & de Frisingensibus Canonicis longè aliud docemur ex quadam eorundem Canonicorum ad Conradum Archiepiscopum post sublatum Schisma data epistola, ubi testantur, se præceptum *Conradi* cum multa semper humilitate suscepisse, & susceptum nullo retractos periculo reverenter adimplere studuisse. Epistolam illam sub locò ac tempore infra recensebimus. Sanè quodnam fuerit præceptum illud, discimus ex sequenti *Conradi* Archiepiscopi Salisburgensis ad eosdem Canonicos, atque universos Frisingenses Diocelanos epistola, ex qua etiam edocemur miserum Frisingensium Ecclesiæ eo tempore statum, Henrici Episcopi regimen deplorandum, & *Conradi* Archipræfulem ferventissimum zelum. Epistola è Codice Tegernseensi alibi jam laudato extracta sic habet,

Injuria facta
Cathedrali
Collegio Fri-
singensi dete-
gitur.

Conradus DEI gratiâ Salisburgensis Episcopus, omnibus Frisingensis Ecclesie filiis ad zelum domus DEI Spiritus vehementis accendit. Si decorem domus DEI diligitis, si filios Ecclesie vos esse recognoscitis, non immeritò miserabilem Matris vestre miseriam ac patria desolationem inauditam desistere potestis. Mater enim vestra presentibus & tacentibus, ornamentis omnibus innumeris usquequaque despoliata, pessimis moribus & exemplis ad animam usque vulnerata, & membris etiam quàm plurimis ad infernum præmissis crudeliter est truncata. Vineam vestram aper de sylvâ omnimoda desolatione vastavit, & singulari verè ferus, in flagitio nulli comparabilis, non pascendo contrivit. Qui tot millia bobarum ventris baratro, tot millia animarum tartaro tradidit. Si vobis presentibus lupus irruens unam de gregibus oviculam raperet, & traheret, quis à minimo usque ad maximum ad raptorem perseguendum, ad raptum eripiendum pedem à cursu, manum à fusta, vel lapide, linguam à clamore contineret? Ecce lupus, non per osium, qui Christus est, sed aliunde, ut macet & perdat, in ovile, sicut omnibus patet, ingressus, innumeras in vobis animas aeternæ morti tradidit, cum nec unam verbò vel exemplo vivificaverit. Et tamen quidam savendo, omnes autem silentiò præbendo consensum cum perditis simul & perditò perire non formidatis? Alii deprebensum in aliquo Simonie vel fornicationis flagitio pastorem etiam Catholicum, ne contra Deum toleretur, iudiciò tollunt & eijciunt. Vos per omnia inutilem, hereticum, Ecclesiasticarum rerum distractorem tolerando fovetis, & fovendo toleratis. Capite ergò nobis vulpem, si nolueritis parvulam, saltem decrepitam, que demolita est vineam. Nam vinea vestra tandem aliquando, Domino aspirante restoruit, cum pro ejusdem liberatione S: Spiritus gratia plurimorum animos vehementer accenderit. Rogamus itaque vos, dilecti, & obsecramus in Domino, quatenus vel nunc, licet serò, Matris vestre dolor vos & labor afficiat, & ad liberationem ejus spiritus consilii & forti-

fortitudinis linguas vestras & animos ardentis officia. Ad redimendas ergo vestras vestrorumque animas in proxima Palmarum Dominica Rome, quod & ipsum vocavimus, quicumque Domini est, nobis jungatur, ut præstante Domino Apostolica Sedis jure Ecclesia vestra liberetur. Hæc Conradus ad Prisingenses.

Sanè quo anno hanc epistolam Conradus scripserit, definire difficilimum est. Illud verò ex Salsburgensis Historia constat, quod, cum Conrado Archiepiscopo exautorationem Henrici Episcopi molienti, Henricus ipse circa annum Christi 1116. resisteret, contra eum Welfo Dux arma moverit, atque Prisingam vastaverit: eamque ob causam ira Henrici Imperatoris gravius in Conradum Archiepiscopum debacchari cõperit, eumque in exilium eiecerit.

His malis anno Christi 1117. successere alia quoque communia mala. Die enim 3. Januarii terribilissimo, post omnem retrò memoriam (ut Adelzeiterius meminit) motu terra concussa, urbium moenia, sacræ ædes, turres cum immanè hominum strage everse fuere: domus passim in suos habitatores procubuerunt: villæ, castella subito hiati absorpta: arbores innumera stirpibus evulsæ: montes abrupti, desiccatis alveis flumina arfacta: quæ & alia his etiam longè graviora laudatus scriptor, alique diffusè profequuntur. Ejus terræ motus meminit Kalendarium Weihenstephanense cõvæ manu his verbis: Hoc anno (MCXVII.) contigit terra motus in III. Non. Jan. in nocte ante diem. & in die secundo contigit ante vesperam fer. IIII. Verùm his immorari nobis non licet: minus vacat reliquas Germaniæ turbas sanè insolentissimas stilo profequi. Audi, bone Lector, Trithemii nostri ad illud tempus verba. „O tempora, inquit, o mores hominum! quantis malis, quantisque perturbationibus plena videbantur omnia! vastatis undique agris, villis depopularis, oppidis & regionibus nonnullis in solitudinem penè redactis, deficiente quotidiana Clericis per Ecclesias præbenda, cessabant in multis locis divina obsequia: Monasteria Ordinis nostri multa his calamitatibus afflicta in ultimam paupertatem devenerunt: inter quas famosissimum illud Fuldense Cœnobium, quod eatenus inter omnia Germaniæ Monasteria tam divitiis quàm honoribus pollens obtinuit principatum, usque ad extremam rerum inopiam redactum fuit in tantum, ut Monachi nec victui necessaria haberent. „ Hæc Trithemius. Baronius scribit, anno Christi 1117. Henricum Imperatorem, cum Romam pervenisset, perterritum prodigiis & portentis, multisque irati Numinis signis, de impetranda absolutione fuisse perquam sollicitum. Subjungit, ea territamenta fuisse quædam prodigia, quæ magnus ille sanctusque Benno Misnensis Episcopus, qui ante 10. annos ex hac vita migrarat, adhuc post mortem contra hæreticū Henrici, & Ecclesiæ persecutores magnò numero edebat, quæ Catholicis solatio ingenti, Schismaticis maximo terrori fuerint. Addit ex Urspergensis, Henricum Imperatorem, his prodigiis sauciatur pluribus legationibus apud Pontificem, Roma absentem, egisse, atque absolutionem petisse: aut Pontificem absolutionem ad Synodum propediem convocandam distulisse.

Proximo anno, Christi 1118. 15. Kal. Februarii Paschalis Pontifex ad superos migravit: cui successit Gelasius II. Joannes antea dictus, Monachus Casinensis, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, Pontifex consalutatus 8. Kal. Februarii ejusdem anni. Quanta hic Pontifex statim post electionem suam fuerit perpeffus tum à Cincio Henricianæ factionis antesignano, tum ab ipso Imperatore Henrico, nobis iterum huic interere ob brevitatæ studium non licet. Id unum paucis notamus, cum, cum Romæ nulla esset securitas, se contulisse in Galliam, ubi anathematis fulmen in

Terra motus ingens.

Chron.

Hirsang.

T. L. P. 364.

Benno Episcopus etiam post mortem certat contra Schismaticos.

Gelasius II. PP.

Ughel. in Italia Sec. 11. lib. 5. 9. Trithem. in Chron.

Hirsang. ad annum 1118. Starobaldus in Epitome Conciliorum.

Cæsaris caput intorsit, Principibus Germaniæ de Henrico exautorando & liberantibus.

Caltrum
Schyrense
mutatur in
Mouasterium.

Ea tempestate celeberrimam ejus ævi arcem Schyrensem ab illustrissimis Comitibus atque habitatoribus (quorum serenissima posteritas hodiçque Bojariz dominatur) communi consensu fuisse mutatam in Monasterium, hodiçque sub D. Benedicti Regula florentissimum, Adelzreiterus post alios scribit, in quod Mouachi, qui hæcenus in Uenhofen, sive Eisenhofen Deo servierant, fuere translati: de qua translatione fufius agit Conradus Schyrensis in suo Chronico: ad quod Lectorem remittimus.

§. V.

Restituta Ecclesiæ, etiam Frisingensis tranquillitas: ubi etiam de erectione inclyti Monasterii in Bensberg.

Callistus II.
PP.

Ughell. in
Ital. sacra.
T. X. lib. 1. 3.
in serie Pon-
tif. Roman.

GElasio II. Pontifice post unicum Pontificatus annum Cluniaci in Gallia ad superos translato Patrum suffragiis in ejus locum electus est Vido seu Guido, quem alii Burgundicum, alii Gallum appellant, Henrico V. Imperatori, Adelheidæ Galliarum Reginæ, nec non Angliæ Regibus propinquitate junctus, ex Monacho Benedictino Cluniacensi Viennensis in Gallia Archiepiscopus, ac demùm Summus Pontifex Callistus II. nuncupatus. Is paulò post Concilio Remis coacto, cum Cæsar Ecclesiæ investituræ etiamnum renunciare nollet, nulla habita sanguinis ratione novo illum anathemate perculit. Contra verò novum sub Divi Augustini Regula Institutum Præmonstratense probavit ac confirmavit. Is cum Romam delatus ibique honorificè exceptus fuisset, Burdinus, ab Henrico Imperatore intrusus Pseudo-Pontifex fugâ elapsus: ast sequenti anno captus in carcere mortuus.

Henricus V.
incipit re-
gnare.

Calamitatibus interea in Germania etiamnum sævientibus Welfo II. Dux Bojariz diem obiit, fratre Henrico IX. successore relicto. Is novæ contra Cæsarem factioni unâ cum Boijs suis anno statim sequenti, Christi 1131. accessit. Terrens itaque Cæsar tum felicibus Callisti II. Pontificis successibus, tum etiam Principum, ob insictum anathema sibi æquè, ac olim Parenti, obnitentium potentiâ, demùm seria de pace constituenda consilia admisit, atque Conventum Herbipolim indixit, ubi etiam vera Pacis Regnum inter & Sacerdotium fundamenta jacta fuere, cum Regalia Regno, spiritua- lia verò Ecclesiæ fuere adjudicata. Porrò de excommunicatione Henrici Imperatoris, ex qua tot eousque scandala ortum traxerant, nihil in amplissimo illo Conventu fuit constitutum, sed negotium illud ad Callistum Pontificem fuit remissum, legatis quibusdam electis, qui hæc omnia Callisto nunciarent, ac absolutionem Imperatoris totius Imperii nomine flagitarent.

Canonici Sa-
lsburgenses
Divi Augusti-
ni Regule se
mancipant.

Interea Conradus Archiepiscopus Salisburgensis, cum Sereniora jamjam tempora imminerent, ab exilio suo redux, effecit, ut Metropolitanæ Ecclesiæ suæ Canonici communem sub Divi Augustini Regula vitam instituerent. His Præpositum dedit Hermannum: Decanum verò Hartmannum, è cœnobio Divi Nicolai prope Patavium accitum, virum sanctimoniam darum, ac majoribus etiam dignitatibus deinceps augendum. Eo tamen tempore Petrensis Abbati & Monachis nihil adhuc de suis antiquis juribus ac prærogativis decessit, ut suo loco monebimus. Admontensibus nostris idem Conradus Archiepiscopus circa ea tempora Abbatem dedit Wolvoldum, ex Canonico Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis olim Monachum & Abbatem in Eisenhofen, postea rursus Monachum S. Georgii in Sylva Hercynia, ac demùm iterum Abbatem, nempe Admontensem, de quo jamjam in superioribus in vita Meginwardi Episcopi agere cœpimus. Hunc cum Legatus Conradi Archiepiscopi

Wolvoldus,
olim Frisingensis
Canonici fuit
Abbas Admon-
tensis.

episcopi à S. Theogero, ejus Monasterii Abbate Spiritu DEI pleno petiisset, respondit religiosissimus Conobiarcha: *Ducite eum in gaudio, & scitate pro certo, quia per eum in Divino Officio tota vestra proficiet regio.* Hæc legimus in vita S. Gebhardi Salisburgensis Archiepiscopi apud Henricum Cansium, ubi additur, eum admirabili dexteritate Monasterium Admontense, Schismatis tempore plurima perpeffum, restaurasse, ejus fortunas multiplicasse, religiosorum virorum numerum auxisse, ac insuper novum Monasterium contubernium adjunxisse: sub ejus sacro regimine adeò viguisse Regularem observantiam, ut plures ex ejus discipulis ad myrras fuerint evocati: quos inter primò locò Reinbertus Prior, postea Monasterii S. Petri Salisburgi Abbas, ac demùm Episcopus Brixinensis memoratur, Ipse denique Wolvoldus totius Styriæ factus Archidiaconus cultum Divinum longè latèque sanctissimè propagavit, ac omnia Archidiocesis Salisburgensis Monasteria lustravit atque reformavit. Aliquando tamen turpissimè diffamatus, serum candens ex succenso clybano spectantibus fratribus aliisque raptum illusus tractavit, seque eo pacto innocentem probavit: ac demùm in opinione sanctitatis terris valedixit. Hæc tantò pronius narramus, quantò rarior laudis materia in Germania nostra ad illa tempora occurrit. De Wolvoldo plenius agitur tum in laudata S. Gebhardi vita, tum in Historia Salisburgensi Mezgeri, ac singulariter in Catalogo Admontensium Abbatum in eadem Historia exhibitò.

Anno Christianæ salutis 1121. Otto Iringensis Castri * Dominus, Calisto Pontifici prædium suum Buribergense * obtulit, ubi Principibus Apostolorum Ecclesia construeretur, in qua Regulares Divi Augustini Canonici Divina Officia perpetuis temporibus peragerent. Acceptavit gratanter Pontifex oblatum munus, eidemque Ecclesiæ Apostolicam protectionem adpromisit. Literas Pontificis Hundius in Metropoli, & Harduinus in Actis Conciliorum refert. Brunnerus atque Adelzreiterus ex Paulo Bernriedensi Synchronò scribunt, Conradum quemdam Anachoretam Ottoni sancti illius consilii auctorem fuisse, & B. Herlucam, quæ Eptatico * ejecta, apud Bernriedenses cellulam sibi struxerat, fausta auspicia, lætosque successus præstarguisse. Beurbergenfes interim Codices Ottoni fundatori suo meritò adjungunt duos fratres Conradum & Eberhardum, quippe qui & ipsi prædia quædam sua ad fundandam, dotandamque sacram illam familiam consulere. Hunc illud Beurbergæ distichon legimus supra januam, qua ad Capitulum itur, scriptum, quod nomina Fundatorum, & unà literis numeralibus annum factæ fundationis exhibet hunc in modum:

AVthor eras Otto, ConraDe, EberhârDe beate
BeVrbergæ fratres Vos tenet Vrna plos.

Sanè Otto non tantùm prædia & profanas opes erectæ à se Ecclesiæ obtulit, verùm etiam eandem pretiosis Divorum lipsanis mirè exornavit. Eum thesaurum ipse ab Adalberto parente suo acceperat, qui cùm Henrici IV. Imperatoris cor in manibus haberet, multisque etiam Principibus viris viam ad Cæsaris gratiam stravisset, ejuscemodi iactis donariis à variis Episcopis certatim cumulatus fuerat. Recens erectò Collegio Otto primùm Præpositum Henricum dedit. Accidit haud multò post, ut Eppa, laudati Anachoretæ Conradi neptis, terris valesceret. Ea cùm in Beurbergensi Basilica tumularetur, aderat, præter alios, Paulus Bernriedensis, Scriptor perquam celebris: item Bertha, Ottonis, Conradi & Eberhardi Mater, & beata etiam Herlucca, quæ dicere audita fuit, integrum cælum agmen sacris operanti Sacerdoti adstitisse. Pronum piùmque est conjicere, eos non

Ansig. Leib.
7. 6 pag.
1242. 1243.
eius laude.

* Eptatico.
* Beurberg.
Intra Monasterii in Beurberg.

* Epachium
vel Stepachium
interpre-
tatur Raderus,
fortè Eptach,
ad Lycum
fluvium intra
Landspurgam
& Schongavian.

non fuisse alios, quàm quorum sacras Exuvias Otto in ea Ecclesia condiderat. Bertham, Ottonis, Conradi & Eberhardi Matrem, è numero fundatorum nemo excludet, qui consideraverit, eam erectioni templi & Monasterii supervixisse, ac sacris sepulturæ ritibus, eùm Eppa tumulo inferretur, in eadem Ecclesia interfuisse.

Scribit Raderus in Bavaria Pia, Beurbergæ in æde Magnæ DEI Matris extare tumulum eminentem, in modum cenotaphiorum Christi, quæ ad Parasceven excitantur, in quo conditus sit solitudinis olim in Boica cultor Heinricus, & addit, per omnes anni partes ab accolis cineres illius religiosè visi, præsertim tribus post Paschatis serias Sabbatis, ubi quotidianis miraculis fulgeat. In ejus rei testimonium Raderus literas Beurbergenfes cujusdam Anonymi Præsulis adducit. Verùm pace celeberrimi Scriptoris res longè aliter se habere dicenda est. Beurbergenfes membranzæ potius affirmant, in æde B. M. V. Parochiali (nam quæ est præcipua Monasterii Ecclesia, patrocinio Principum Apostolorum gaudet) quiescere equidem Henricum, aut non Anachoretam, sed primum ejus Cœnobii Præpositum. Mira quoque, & populorum concursus à Radero descriptus (ut in incolæ & accolæ nõrunt) non fieri solent Beurbergæ, sed in Ecclesia quadam ad Lacum Vermium * à Monasterio sesqui horæ spatio distante haud procul Seeshaupto; quæ nomen S. Heinrich non ab Henrico sancto Imperatore habet, sed à beato quodam Henrico Anachoreta, qui ibi sub elevato tumulo quiescit, ac mira patrat; qui etiam olim eam Ecclesiam fundasse dicitur, Dolorosæ Virgini Matri, filium è cruce depositum in sinu gestanti sacram. Id quod Beurbergenfes ex sincerioribus Instrumentis testatum nobis secère, &, ut ista ad eximendas erroneas opiniones hîc nota fierent, à nobis facillè impetrarunt. In ea Ecclesia, Uffeldorffensis Parochialis filia, iidem Beurbergenfes sacra ministrant ex concessione Augustanorum Pontificum, ad quorum Diœcesin locus pertinet.

Præ inter Sacerdotium & Regnum.

Anno Christi 1122. postquam Legati Imperii, nempe Episcopus Spirrensis & Abbas Fuldenfis Romam ad Pontificem venerant, ac Legationis suæ causas exposuerant, Callistus Pontifex unâ cum iisdem misit Oitenssem Episcopum, duobusque è Cardinalibus, uti Urspergensis refert; qui subdit: *Facto igitur universali Conventu apud urbem Vangioium, quæ nunc Wormatia dicitur, sicut longum, ita & incredibile memoratu est, quàm prudenti, quam instanti, quàmque per omnia sollicito cunctorum Procerum consilio, pro pace & concordia per unam, vel amplius hebdomadam certatum sit, donec ipse, in cujus manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolica Reverentia obedientiam causâ Matris Ecclesie, etiam ultra spem plurimorum inflexit &c.* In eo itaque conventu communibus suffragiis hæc fuere conclusa. Dimisit Imperator *investituram* per anulum & baculum, & Ecclesiis omnibus concessit liberam electionem, electique sive consecrationem sive benedictionem. Insuper Pontifici & Ecclesiis promisit restitutionem eorum omnium, quæ schismatis tempore iisdem fuerant ablata. Contrâ verò Pontifex concessit, ut deinceps electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni in præsentia Imperatoris, absque Simonia tamen, fierent, & ut electus Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Ita tandem concordia Regnum inter & Sacerdotium restituta fuit. Secutus est paulò post alius Conventus Bambergæ, in quo Principes, qui Wormatiæ non comparuerant, in eadem leges pacis jurarunt. Subdit apud Pagum Simeon Dunelmensis, Ordinis nostri in Anglia Monachus ad eundem annum Christi 1122. *Hac concordia per gentes, & populos ubique divulgata, mittuntur etiam ab Apostolico omnibus Archiepiscopis & Episcopis per Regiones & Provincias, ut omni excusatione postposita festinent occurrere ad Concilium, quod Dominus*

Domnus Apostolicus celebraturus erat XV. Kalend. Aprilis, anni scilicet sequentis, Christi 1123.

Exiit Adalzeiterus, hoc primum tempore, quo Henricus cum Pontifice in gratiam verè rediit, Conradum Archiepiscopum Salisburgensem ab exilio suo ad Ecclesiam suam rediisse. Id nos controversum non facimus. Gratulamur tamen nobis, eundem Religiosissimum Antistitem, cum à Sede sua extorris, in locis variis hospitium quæreret, etiam illud unà cum Hildipoldo primo Gurcensium Episcopo invenisse in Monasterio nostro Benedicoburano, quod in iis turbis Summo Pontifici artissimè adhaesit, licèt dira quæque ab uno & altero vicino Episcopo pateretur. Id tum ex Chronico nostro, tum etiam ex illæis literis Pontificis demonstrari potest.

Anno proximè secuto, Christi 1123. celebratum fuit Laterani Concilium generale, de quo supra præviam mentionem ingessimus. In eo conditiones pacis Pontificem inter, & Henricum confirmate: Imperator ejusque affectæ ab Ecclesiæ censuris absoluti, & ad meliorem Ecclesiæ disciplinam Canones conditi fuere: circa quod ipsum tempus Callistus Pontifex, ex Monachis nostris, ut diximus, assumptus, institutionem Canonicorum Regularium sub Regula S. Augustini à Conrado Archiepiscopo in Ecclesia Salisburgensi factam, ratam habuit, uti Adalzeiterus scribit: qui idem Pontifex anno Christi 1112. Canonicorum Berchtoldsgadensium atque Bernriedensium institutionem approbavit, ut Hundius & ex eo Harduinus in *Actis Conciliorum* referunt.

Demùm anno Christi 1124. idem laudatissimus Pontifex Callistus, Callisti 6. Obitus. rectè à Païdolpho *Pacis Pater* dictus, non sine maximo omnium lætu ad coelos magnam animam transmuit, rebûs maximis quinquenniò sui regiminis perfunctus: cum quo sæculum nostrum Frisingensè quartum in pace absolvimus, & redditam Frisingensi quoque Ecclesiæ cum Romanâ concordiam gratulamur, cætera Henrici Episcopi acta in librum sequentem differentes.



HISTORIÆ FRISIN- GENSIS

SÆCULUM V.

Ab anno Christi 1124.

usque

ad annum 1224.

Sive

LIBER QUINTUS

De

EPISCOPI ac RE- BUS FRISINGEN- SIBUS

Quinti Sæculi.

CAPUT I.

Residua Acta Henrici I. Episcopi.

§. I.

*Ecclesiastica, Civica, ac Frisingensia Acta usque ad annum
Christi 1130.*

Ubi de primordio inclyti Monasterii Unden-
storfenfis.

Cum anno Christi 1124. Mense Decembri factis concessisset Callistus II. Pontifex Maximus, eodem adhuc Mense 13. Kal. Jan. post quasdam difficultates superatas electus est Cardinalis Lambertus de Jagnano, patriâ Bononiensis, Honorius II. deinceps nuncupatus: qui, ut notat Anonymus Zwetlensis in Historia Romanorum Pontificum prius fuerat Mediator & Legatus inter Kalixtum Papam & Imperatorem Henricum, per quem etiam investituræ resignavit. Sequenti verò anno Christi 1125. viam universæ carnis ingressus est Henricus V. Imperator 10. Kal. Junii, postea 10. Kal. Augusti Spiræ sepultus, ut Pagius contendit. Procerum deinde Germaniæ voto unanimi Rex renuntiatus est Lotharius natione Saxo, eo nomine dictus secundus, quamvis constet, eum in Diplomate, Monasterio Benedictoburano Frisingæ concessio, se nominasse Lotharium III. fortè non solum ad Lotharium Ludovici Pii filium: verùm etiam ad hujus filium Lotharium, Lotharingæ Regem respectu habito. Sanè hic Lotharius coronam non nisi invitus demùm admisit, Aquisgrani intinctus. Proximus annus, Christi 1126. Hartwico Ratisbonensium Præfili supremus fuit. Ei successit Chuno, antehac Sigebergensis sub Regula S. Benedicti Abbas, eo nomine primus. Hic est ille Chuno, qui, teste Radero in Bavaria sancta, afflatus odoribus virtutum Beati Gerholti, tum Canonici Regularis in celebri Monasterio Raittenbuchensi, eundem socium laboris petiit, cujus in Provincia Iustranda & Pontificatu administrando consiliis creteretur, quem etiam impetravit, & sacris Sacerdotii honoribus initiavit. Verùm de Chunone ac Gerhoho plura inferiùs.

Honorius II.
PP.

apud P. Bern.
Pezzum A.
notat. T. I.
part. 3. col.
188.

Mors Henrici
V. Imp.

Lotharius II.
ab. III. Imp.

Chuno Episc.
Ratisbonen-
sis.

Ad eundem annum Christi 1126. Hundius refert primordia inclyti Monasterii Udenstorfensis, quod Divi Augustini Regularibus Canonicis Otto Palatinus Comes de Wittspach, Pater Ottonis, postea Bojaræ Ducis, ad Gelonum fluvium jussu Calixti II. (qui quidem jam anno Christi 1124. obiit) in hac Diocesi condidit, quam foundationem postea Lotharius Rex ratam habuit, plurisque Pontifices confirmarunt. Calixti II. literas ad Ottonem scriptas Gerwoldus fideliter recitat ex autographo, quod ipsi non sine animi voluptate conspeximus. Eodem serè tempore Henricus IX. Bojaræ Dux, teste Adelzreitero Monasticam vitam in inclyto nostro Monasterio Weingartensi amplexus, beata morte vitam conclusit, ejusque filius Henricus X. Principatum adiit, qui Gertrudem Lotharii Regis filiam matrimonio sibi copulavit.

In addit.
Hund. T. 3.
P. 48. 440.

Anno Christi 1129. disceptatum fuit super morte Ellenhardi Frisingensis Pontificis, dudum, nempe anno Christi 1078. humanis rebus erepti, an scilicet is schilmati Guiberti (de quo supra egimus) adhæserit, atque ea habe insectus, mortem oppetierit? Recitat Hundius ea super re Instrumentum, ab Andrea Scherer, Collegiæ Ecclesiæ S. Andreæ Decano secum ex antiquo autographo (quod quidem nobis hætenùs videre non licuit) communicatum, quod sic habet.

Causa Ellen-
hardi Episcopi
Frisingensis
discussus,
Metrop. T. 1.
P. 48. 151

Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo vigesimo nono, primo Kal. Augusti. Collectis apud Lusen quampluribus Salzburgenfis, Frisingensis, Ratisponensis, Patavienfis, Astitensis Ecclesiarum Clericis, religiosis & literatis, insuper Abbatibus & Monachis, & non modico Principum ac popularum Collegio, coram Archiepiscopo Salzburgenfi Chounrado & Reginberto Brixienfis Episcopo, inter cetera, causa Ellenhardi Frisingensis Episcopi jam dudum ante annos quinquaginta duos feliciter viam universæ carnis ingressi ventilata est. Quia hoc ipse tempore Gregorii VII. qui & Hilibrandus, sub R. P. Caroli Meicbelbeck Hist. Frising. Q 9 a berefi

heresi Wicbertiana quibusdam defunctus esse putabatur, à prefato Metropolitane Sedis Archiepiscopo plus annos quinquaginta duos, quibus sine reclamazione Canonica tam mortuis quam vivis verè Catholicus est habitus, irrationabiliter est impetitus; cum utique duobus annis prius ipse de mundo excessisset, quam Wicbertus Hæresiarcha Romana sedis Cathedram invaserat. Sed beati viri meritis exigentibus probabili septem probabilium virorum testimonio Canonice excusatus; immò meritorum prerogativa & miraculorum attestazione Venerabilis semper inventus, reverentiam, quam apud DEum & homines dudum vivens emeruit, etiam mortuus Domino propitiante irrefragabiliter obtinuit. Probatum est itaque legitime ac Canonico Rudolphi Abbatis Aistitensis testimonio, Dietmari S. Andreae Decani, Hannonis Presbyteri, Chumonis Parochiani, Ricberi Presbyteri de Glane, caterarumque Venerabilium Personarum, quod Venerabilis idem Episcopus in gratia Sedis Apostolica & communi Matris Ecclesie indubitanter obiit. Ne ergo digna tante rei memoria ulla posterorum oblivione deleatur, placuit, ut hujus comprobationis notitia per literarum inditua posteris nostris transmittatur. Acta sunt hæc presentibus subscriptis testibus & aliis quam pluribus. Abbas Salzburgensis Paldricus, Abbas Sciensis Guntherus, Præpositus Salzburgensis Hermannus, Præpositus Chimsensis Hartmannus, Præpositus de Perchtere Kademan, Jiberuinus, Præpositus de Garze, Hugo, Præpositus de Que Herilortus, Præpositus de Cella Burchardus, Tagibertus Præpositus de Werda, Archidiaconus Patavienfis, Rubertus, Præpositus Aistitensis Burchardus, Wernberus Canonicus Ratisbonensis, Frisingensis Canonici Adalpero Præpositus, Adalpertus Decanus, Wichmannus Præpositus S. Andreae, Henricus Scholasticus, ac Præpositus S. Viti, Herricus Præpositus S. Castuli, Hoboldus Præpositus S. Zenonis, Waliberus Tridentinus Præpositus. Ita habet Instrumentum à Scherero exscriptum: quod cum Lectore communicandum videbatur. Nos, qui, ut diximus, autographum non vidimus, ei testimonio nihil addere, nihil demere præsumimus.

Proximo anno, Christi 1130. ad superos abiit suprà laudatus Ratisbonensis Ecclesie Antistes, ejus rogatu & jussu B. Gerhohus conscripsit præstantissimum illud opus suum de *Edificio DEI*, seu de studio & cura disciplinæ Ecclesiasticæ, quod, cum erudito orbi hucusque fuisset incognitum, nuper Claris. Vir. P. Bernardus Pezius è Bibliotheca nostra Benedictoburana in lucem protraxit. Sic enim scribit Gerohus Zelo Divini honoris plenus: *Rogatu & jussu tuo, sancta Ratisbonensis Ecclesia Venerande Presul Chumo, fateor me ad hoc animari, ut, te cogente, opusque magnum à mea parvitate exposcente, non dubitem conari, quatenus ea, que requiris, persolvam, quamvis apud me nihil tale repositum sciam, unde tibi delicatissimo Sanctarum Scripturarum scrutatori valeam satisfacere &c.* optavit postea Gerhohus, ut hoc suum opus præcipuè commendaretur designato Episcopo Frisingensi ac Clero: sic enim fratrem quemdam alloquitur in primo suo Prologo: *si quid tibi de aqua hujus putei (operis nempe sui) sapperis, propina solis dulcibus & mitibus, qualium unus esse creditur designatus Episcopus Frisingensis.* Ubi absque dubio alium Gerhohus non intelligit nisi Ottonem Henrici successorem laudatissimum. Hæc de B. Gerhoho, viro in Divinis scripturis longè exercitatissimo, etiam idè oportebat scribere, quòd is olim, inter alia loca, Frisingæ operam literis dedisse scribatur, factus ingens certè gloria Frisingensium scholarum, ob quas Frisinga *momis docti* nomen eo tempore passim promerita est.

Leginus in monumentis Tegernseensibus, Conradum Salzburgensem Archiepiscopum plura altaria ab Henrico Frisingensi Episcopo in eo Monasterio consecrata, dissipasse. *Inter qua* (ut habet loci Historiographus) *cum etiam*

Mem. Chuo-
nis Episcopi
Ratisbonen-
sis.

Reder. in
Rever. seu
Havolum II.
pag. 274

F. Bern. Pen.
Anecd.
T. 3. p. 3.
col. 579.

etiam altare sancti Chrysoconi Martyris retrò altare principale in choro tunc
 situatum aperuisset, & ossa S. Chrysoconi M. in scrinio sagnario, ut translata
 olim fuerant - - intuitus fuisset, luce quadam supercaelesti in faciem rever-
 beratus, quasi solis radium intenderet, ita penitus inhorruit, ut solo in mo-
 dum crucis prostratus penè mentis inops notatur, conqueritur suspiriis & ge-
 mitibus, quòd locum intraverit, & violentiam fecerit sanctis. Hæc ibi.

Circ. ann. D.
 1135.

Extat in antiquo, ac superius jam allegato MS. Codice Tegernseensi
 Epistola Honori II. PP. ad Conradum Salzbürgensem Archiepiscopum; ex
 qua ulterius manifestum fit, eidem Archi-Præfuli adhuc tempore hujus Pon-
 tificis, & post restitutam Ecclesiæ tranquillitatem non benè convenisse cum
 Henrico Frisingensi Episcopo. Ea sic habet.

Honorius Episcopus, Servus Servorum DEI, Venerabili Fratri Ch. Salz-
 bürgensi Archiep. salutem & Apostolicam Benedictionem. Frisingensis Eccle-
 sia, & ite. Episcopus per litteras & nuntios suos in presentia nostra adver-
 sum te graviter questi sunt, quòd videlicet ordinationes ab eo post adeptam gra-
 tiam prædecessoris nostri felicitis memorie pape C. & Romane Ecclesie factas,
 evacuare contendis: altaria etiam, quæ ab ipso sunt consecrata, subvertis, &
 de Parochia sua non sicut Metropolitanus, sed tanquam proprius Episcopus ju-
 dicas & disponis. Nos autem nec sua, nec alterius alicujus peccata, sicut nec
 debemus, ultatenus defendere volumus. Verùm si Frisingensem Ecclesiam de
 prædicta persona, prout zelo justitiæ agere videris, desideras liberari, ratio-
 nabile est, ut in causa ista Canonicè procedas. Nos enim & eam audire, &
 præstante Domino Canonicè diffinire parati sumus. Interim verò ab omni in-
 festatione tam persona quàm Parochie sue abstineas.

Henricus Epi-
 scopus Fri-
 sing. quondam
 cum Archie-
 piscopo con-
 ciliatus.

Quid ad hæc Pontifici respondent Conradus, haud constat. Interim in
 eodem Codice Tegernseensi legitur libellus quidam simplex, quem pro Hen-
 rico Episcopo eidem Archiepiscopo obtulere Frisingenses Canonici. Tenor
 illius est, qui sequitur.

C. Digno & incomparabili sanctæ Salz. Ecclesie Ar. Episcopo devota
 Frisingensis Ecclesie Congregatio debitam in omnibus sue subjectionis & ora-
 tionis instantiam. Quod cessantibus hinc inde partium schismatibus sancta
 Mater Ecclesia desiderata dudum victoria, pace, & unitate perficitur, DEO
 pacis gratias omnixè referimus. & ut nostra quoque fluctuationis anxietas
 Paternitatis tue misericordie clementia potius invenias gratiæ tue confidimus,
 & humiliter expetimus. Nunc ergo, Pater piissime, gratiam nobis in oculis
 tue Majestatis invenias, quia præceptum dignationis tue, licèt grave quondam
 & asperum, cum multa semper humilitate suscepimus, susceptum nullo re-
 tracti periculo reverenter adimplere studuimus. Ecce Patrem nostrum &
 Dominum, longo languore defessum ad Te verum Egypti dispensatorem &
 Dominum de terra famis asserimus, ut te viso, recognito, simul & consulto
 gratiæ tue presentiam, quam dudum ardenter exoptas, acquiras, & alimenta
 vite, quæ dudum absentis miseris, nobiscum præsens à te largius accipiat.
 Tu ergo Domine compassivus, Præfui amande, non immemor, stentibus Ec-
 clesie sororibus paternæ miserationis affectu digneris occurrere, & infirmum
 nostrum in Bethania, in domo obedientiæ verè jam positum nobis congemendo,
 condolendo, & lacrimando revivè. Si delatoribus discordiam inter vos
 feminantibus aliquando concitatus te patrem suum & magistrum mente alie-
 natus offenderis, juxta illud Evangelicam ex corde remittas, & reversum
 tandem filium stolidè primò & annulo pro penitentis gratulatione revestias.
 Proinde Principalis tot Principum precatio, tot cognatorum suorum, iustiam-
 que fidelium intercessio precibus nostris accedat, ut jam tibi, licèt graviter ob-
 firmato, denegare non liceat, quòd tot precatorum humilis importunitas &
 importuna humilitas efflagitat. Quid multa? Ecclesia nostræque saluti pro-

Frisingen-
 sium Canonici
 eorum inter-
 ad Archiepiscopo.

fficiens, Pater & Domine, subjectum tuum, quem paterna severitate flagellaveras, materna lenitate convenias, excusationis suae verba clementer exaudias, ignorantemque, qua possis, rationum veritate convincas, conciliamque qua ratione possit surgere, edoceas. Praeterea charitati tuae omnes in commune conquerimur, qualiter absolutionis gratiam, munere tuo absolute nobis concessam, Confrater noster C. nova semper, ut soles, exactione coartat, & vitas singulorum plus creditis usurpando discutens, alios ab ordinibus, alios ab Ecclesiis absterrens, omnes autem ad electi sui electionem usquequaque compellens, non solum dispersa non colligit, sed gratia tua donante collecta dispergit. Cur enim imperium vulgus tot abjuratum vel exactorum novitatibus absterret, cui redeunti ad ecclesiam solum hoc sufficeret, quod à Romana sede vel Metropolitana decretum accipiat? Noverit autem tuae discretionis industria, quod in electionem illius electi nec unus quidem ex fratribus nostris, ut C. assensit, Deo teste aliquando consensit. Miserator & Misericors Dominus misericordem te nobis exhibeat, ut zelum justitiae, quem delinquentis excessus in se graviter attulerat, penitentis humilitas oleo misericordiae conspersum in mente iusti reperiat. Haec Frisingenses Conrado Archiepiscopo, ad quem se se Henricum Episcopum contulisse, & de impetranda venia egisse ex ipsa epistola videtur satis aperte colligi posse. Sanè lecto hoc libello supplicii, demissione pleno, visaque seria Henrici respicientia Conradum preces Frisingensium paratissimo animo exaudivisse, dubitare fas non est. Interim ex ea epistola discimus, Frisingenses Canonicos, Archiepiscopo ceteroquin jura conciliatos, contra immoderatam austeritatem cujusdam è suo Collegio (cui fortassis Archiepiscopi vices suas in reconciliandis quibusdam Frisingensibus Clericis, Laicisque commiserat) graves querelas movisse, & alteri cuidam, adversus Henricum Episcopum nescitur, à quo designato, eosque nunquam consensisse. Verùm ista salvo semper eruditi Lectoris iudicio dicta sunt. Si recitatis hactenus epistolis adjectae reperirentur chronologicae notae, rem utique facilius assequeremur; quam nunc in sua obscuritate relinquere cogimur.

§. II.

*Acta usque ad annum Christi 1137. ubi de Foundationibus
mcltorum Monasteriorum Diessensis, Beyhartingani
& Weyarensis.*

Evangel. va.
m.

Innocentius
II. PP.

Honorio II. 16. Kal. Mart. ann. 1130. vita defuncto successit Gregorius de Marthæis, quem Baronius in Annalibus, & Ferdinandus Ughellus in *Italia sacra* Monachum Benedictinum antè fuisse existimant; alii Pagius è Canonicis Regularibus Lateranensibus electum esse contendit. Porro mutato nomine Gregorius deinceps dictus est Innocentius II. Contra hunc, nonnisi à sexdecim Purpuratis Patribus electum, alii pauculi Cardinales elegerunt Petrum Leonem, quem Anacletum II. appellarunt. Unde rursus novum schisma Ecclesiam afflixit, donec tandem Petrus Leo rejectus fuit. Inter Bojos quoque eo tempore gravissima excrevere dissidia: unde pugnae, necesse, incendia tum in superiori tum inferiori Bojaria, usque dum postea pax Wolfrathusii sancita fuit. Lotharius interim Rex rursus jamjam repetiturus erat investituram per pedum atque annulum antecessorum suorum exemplò, nisi Divus Bernardus laniora persuasisset. Cedente Rege Innocentius II, in Galliam delatus, Leodii ipsi Lothario ejusque Conjugi coronas regias imposuit: tum Remis concilium celebravit, & Anacletum Antipapam diris devovit. Postea Romam reversus anno Christi 1133. prid. Non.

Non. Junii Lotharium etiam Imperatorem coronavit; qui postea rursus in Germaniam se contulit, ac Frisingæ X. Kal. Septembris Monasterio Benedictoburano adversus Episcopum Augustanum diploma concessit; quod in Parte Altera exhibemus.

Interim anno Christi 1132. Hartwicus Raittenbuchenſis Canonice Regularis à fundatoribus Monasterii Dieffenſis seu Damafiani ob notam morum probitatem prudentiamque requisitus ac expetitus, primus eidem celeberrimò Collegio præfuit, veluti Raittenbuechenſibus literis edocti sumus. Ferunt, eum, cum esset Boicæ aulae Cancellarius, & in Comitatu Ducis Raittenbuechium venisset, ac loci Basilicam sub vespertino officio intrasset, eas sacrae paginae voces à Cantantium ore audisse: *Amice, quomodo buc intrasti non habens vestem nuptialem?* addunt, Hartwicum verba illa mox ad se retulisse, ratumque, ornatum suum sericum Evangelicis nuptiis parum convenire, extemplo rebus mundanis valedixisse, abjectoque, quem asportaverat, pretiosiori habitu regularem ibidem assumpsisse. Damafix Hartwicus non solum virorum, verum etiam Monialium Monasterium eâ prudentiâ ac moderatione rexit, quam Beatæ Mechtildis Monialium Præpositæ perspecta sanctitas abundè commendavit. Eum apud Dieffenſes publicam in ara venerationem habere, ex literis itidem Raittenbuechenſibus didicimus.

Hartwicus, primus Præpositus Canonice Regularium in Dieffenſi.

Existimamus, ad hanc ipsam ætatem referenda esse initia inclyti Monasterii Beyhartingani, primum ab Juditha nobili Matrone excitati pro sanctimonialibus; postea verò traditi Regularibus Divi Augustini Canonice, ut latius docet Hundius in *Metropoli*, & in suis ad Hundium Additionibus Gewoldus. Tempus foundationis proditur in lapide marmoreo, cui incisa visuntur hæc verba: *Consecratio hujus Cenobii facta est tempore Innocentii II. Pape, qui regnare cepit MCXXX. & regnavit annis XIV. & hac peracta est à Romano Gurcensi Episcopo.* Ex quo colliget prudens Lector, verba illa marmori fuisse incisa, primum post Innocentium II. mortem, adeoque post annum Christi 1142. Dolendum sanè est, nullum extare Coævum instrumentum foundationis celeberrimi illius Monasterii: de qua tamen anno Christi MCCCCLIV. Dominus Udalricus Cenobii Præpositus aliqua edoctus est Ratisbonæ ab Abbate Divi Emmerami, quæ in laudata Hundii *Metropoli* referentur. De inclyto hoc Monasterio plura ac certiora suis locis dabimus, ubi (velut etiam datis ad nos literis Reverendissimus & Amplissimus D. Georgius modernus loci dignissimus Præpositus testatus est) apparebit, magnam proventuum ejus Collegii partem munificentia Frisingensium Episcoporum in acceptis referendam esse, atque a gratissimis DD. Canonice referri.

Beyhartinga conditum.

Tom. 2. pag. 134.

Certiùs ad ista tempora, nempe ad annum 1133. pertinent initia inclyti Monasterii Weyarenſis, quod Illustrissimus Comes in Neuburg & Valkenstein Sigbotho (de quo jam alibi supra mentio occurrit) itidem pro Regularibus Divi Augustini Canonice prope Mangualdam annem excitavit. Collegerat Sigbotho quàm plura dominia, prædia & bona tum rebus domi militariè benè gestis, tum liberalitate Regum, Ducum, & Episcoporum, præsertim Salisburgensium, Pataviensium, Ratisbonensium, & Frisingensium: nec non etiam Abbatis Tegernſensium: ut adeò propitio Numini æternum gratitudinis monumentum, nimirum Monasterium, inde statuendum esse æstimaret. Itaque Salisburgum profectus, cum voluntatis suæ propositum Conrado Archiepiscopo detexisset, isque pio voto lubens applauderet, Sigbotho Comes propè aram Divi Ruperti, præsentè Regimaro Pataviensium Episcopo in ejusdem Conradi Archiepiscopi manus cesit perquam multa prædia; è quibus Conradus postea Monasterium excitavit, & ex suæ quoque Eccle-

Primordia Monasterii in Weyam.

Ecclesiarum bonis aliam liberalem dotem adiecit; quam causam esse censemus, cur Weyarenfis Præpositi electio etiamnum hodie ad arbitrium ac consensum Metropolitanæ Collegii Salisburgensis pertineat. Hæc tum ex domestico, Weyarenfi nempe, Traditionum Codice, tum ex Salisburgensi Historia desumptissimus.

Legimus in vetusto Calendario Weißenstephanensi, eodem anno Christi 1133. IV. Non. Augusti, sereno cæteroquin cælo, solem tantam eclipsin fuisse passum, ut meridiano tempore stellæ fuerint conspectæ.

Inter Bojariarum acta anni Christi 1136. Brunnerus recenset natales, doctes, ac res gestas Viri Clarissimi & Religiosissimi Gerhohi, tum Reicherpergensis Præpositi, de quo jam superius mentionem ingessimus, & Raderus in Bavaria sancta plenius agit. Scribit verò Brunnerus, Gerhohum de posteritate fuisse optimè meritum, quòd germanam Divi Augustini Regulam primus Bojariz intulerit, repudiatis, qui in omnium manu tunc erant, floribus collectaneis monitorum sanctitatis: quo nomine Brunnerus aliud non videtur intelligere, quàm *Regulam Canoniarum Regularium ex Sanctorum Patrum sententiis collectam*, de qua in vita Gerhohi laudatus P. Raderus agit, quamque à Regula S. Augustini, à Simone Werlino Dieffeni Præposito editam, atque hodieum laudari atque obviari solitam, planè diversam existimat, uti etiam ab ea Regula, quam B. Hartmannus Brixinensis Episcopus composuit. Verùm cum hæc expendere institui nostri non sit, & ipse B. Gerhohus in suo libro de *Edificio DEI* de ejusmodi Regulis, ac maxime de illa Aquisgranensi sub Ludovico Pio conscripta latè disserat, hæcque Aquisgrani conditam, circa quosdam articulos passim rejiciat, Lectorem ad ipsum Gerhohum, Simonem Werlinum, Raderum, Brunnerum, aliisque Scriptores remittimus, & ad magis domestica revertimur.

§. III.

Acta Henrici I. Episcopi certa, amorum tamen incertorum.

Divisio domini cuiusdam fundi prope lacum Vallentem vulgò *Wabulsee*.

Cum Monasterio Benedictoburano præfret Conradus Abbas, qui anno Christi 1090. ex illustrissimo Monasterio Campidonensi evocatus fuerat, ac deinceps annis triginta duobus cum ingenti laude ad Monasterii clavum sedebat, vicinia Lacus vulgò dicti *Wabulsee*, & ab Aventino à loci situ, & circumfusis alpebus haud ineptè *Vallentis* vocati, hodie non incelebris, tota circumquaque inculta jacebat, inaccessa omnibus, nisi piscatores & venatores, ac fortassis etiam (de quo tamen meritò dubitandum) homines & equos clitellarios excipias. Erat nihilominus propè lacum illum planities quedam, quæ, si condensæ arbores, & ligna excinderentur, ad culturam videbatur posse redigi, ubi piscatores & retia sua reficere, atque casus sibi exstruere possent. Ea verò planities, utut intra judicariam Monasterii Benedictoburani potestatem unà cum lacu ac tota vicinia comprehendebatur, proprietatis tamen jure non tota ad Monasterium Benedictoburanum, verum etiam ad vicinum Schlechdorffense Monasterium, quod eo tempore adhuc sæculares Presbyteri Frisingensis Diocesis incolebant, pertinebat, quamvis nullis certis limitibus fundi adhuc essent divisi. Id cum sæpè considerasset Conradus Abbas, statuit tandem aperire mentem suam Henrico Episcopo, quippe cujus Cathedrali Ecclesie Monasterium Schlechdorffense (ab Ordine D. Benedicti tempore Arnulphi Mali, ac irruptionem Hungaricarum avulsim) plenè, ut vocant, *incorporatum fuerat*. Commოდum accidit, ut Henricus Episcopus moraretur in Castro *Seynburg*, quod poste-

posteris temporibus *Schaurwurg* fuit appellatum, hodie verò, postquam præter pauca ejus rudera nihil superest, die *Weste* vulgò nuncupatur, situm in monte prope *Ollstadium*, non incelebrem vicum, uno à *Schlehdorffensi* Monasterio milliari germanico distantem. *Conradus* igitur *Abbas* occasione utendum ratus, tres è suis ad Episcopum misit, qui eidem exponerent, quantum utilitatis capi posset, si sylvà illa prope *Vallensem* lacum excinderetur, & in locum spatiosi nemoris prata, agri, & casæ succederent. Adjecit *Abbas*, rogandum esse Episcopum, ut permittat locum illum sylvestrem, utriusque Ecclesiæ eòsque communem, in duas partes certis interjectis limitibus dividi: ita ut una imposterum foret *Benedictoburanorum*, altera *Schlehdorffensium*, & utrumque Monasterium deinceps eò, quò utilius fieri posset, modo de sua parte disponeret.

Paruere mandatis *Abbatis*, quibus id imperatum fuerat, profectique ad Castrum supradictum, *Cænobiarchæ* sui Consilium Episcopo exposuerunt, qui re cum suis maturè discussa, cum intelligeret, nullum damnum Ecclesiæ suæ ex ea partitione emergere, imò portionem quoque *Schlehdorffensem* cum fructu excoli posse, *Abbatis* postulatis votisque libens annuit, & è suis plures adjunxit, qui partitioni sylvæ interessent: qua facta integrum tum Episcopo tum *Abbate* foret, de portione sua ad vota disponere. Itaque *Legati* Episcopi unà cum *Legatis* *Abbatis*, atque aliis è vicinia accitis Testibus locum accessere, consideratòque nemoris spatio, demùm illud in partes duas æquales divisere, ac partem unam sylvestris illius planities Episcopo, alteram *Abbate* assignaverit. Quo factò postea *Abbas* statim manum adjecit operi, partemque suam excoli à suis jussit.

Cùmque alio tempore idem *Henricus* Episcopus unà cum Nobilissimis Superioris *Bojarie* viris, *Bertholdo* Comite de *Andechs*, *Monasterii* *Benedictoburani* *Advocato* seu *Protectore*: *Ottone* Comite de *Wolfrathshausen*: item *Bernardo* de *Wilheim*, *Bertholdo* de *Ufflendorf*, *Gotfrido* de *Antorf*, *Eberhardo* de *Herrinhäusen*, *Egilolfo* de *Matolf*, *Gebolfo* de *Altcrn* & aliis ad *Monasterium* *Schlehdorffense* sese contulisset, *Conradus* *Abbas* rursus è suis aliquos ad Episcopum misit, rogatuos, ut ea, quæ in divisione sylvæ fuissent antehac conclusa, præsentè *Monasterii* *Benedictoburani* *Protectore*, rata haberet. Annuit Episcopus: & *Advocatus* *Abbatis*, scilicet *Bertholdus* *Comes* de *Andechs*, locum illum in suam defensionem suscepit. Sanè, quam partem elegerit *Abbas*, quàmve Episcopus, hodièque cernimus. Ea enim pars, ubi ab anno 1492. *Regiam* è *Bojaria* ad *Tyrolenses* ac *Italos* viam, item *hospitium*, aliàsque duas rusticanas casàs cum *facello* *S. Jacobi* cernimus, ad *Benedictoburanum* *Monasterium* pertinet. Altera, in *peninsula* lacus sua & à *Schlehdorffensibus* ferius electa, unà cum totidem piscatorum ædibus & *facello* *S. Margaritæ* dicto *Monasterio* *Schlehdorffensi* addicta manet. Eò loci, in fundo tamen *Benedictoburano* nostra ætate accessit *facellum* tertium *S. Annæ* unà cum quodam *Eremitorio*, quod duo *RR.* *Patres* *Congregationis* *B. Petri* de *Pisis* unà cum fratre quodam *Laico* hodie inhabitant. Ad eò locum olim planè sylvestris & incultus *Conradi* *Abbatis* providà *industria* egregiam deinceps amoenitatem consecutus est non sine ingenti eorum, qui illic iter agunt, commodo. Eam fundi prope *Vallensem* lacum antiquam divisionem ex pervertulo *Codice* *Benedictoburano*, manu rei gestæ coeva conscripto, cum *Lectore* curioso, & locorum illorum fortè non ignaro, communicare volumus.

Henricum Episcopum, facta utili permutatione fundi, fuisse *fundationem* *Monasterii* *Biburgensis*, *Benedictini* tunc instituti, ex ejusdem *Cænobii* *R. P. Caroli Maichelbeck Hist. Frising.* Rr bii

Confirmatur

Eremitorium.
Ad lacum
Wahlsäe.Monast. Bi-
burg.

7.2 pag. 20. bi MS. Codice Gewoldus in Additionibus ad Hundium egregiè demonstrat.

N 1275.

1282.
Henricus doctus
Ecclesiam
Cathedralem.

Vide Part.
Alt. usque
ad N. 1313.

Motivus,

Cæterum Henricum Episcopum in suam Cathedralē Ecclesiam fuisse munificum, docent duo Instrumenta, quæ in Parte Altera exprimitur. In horum posteriori agitur de prædio in Eberstorff, de quo supra dictum est. Ea donatione Henricus certa Milliarum sacrificia pro se, suiq; familiæ fundavit. Porro si alias plures donationes Frisingensī Ecclesiæ sub ejus Episcopatu factas hic insereremus, Lectoris patientiam rursus fatigaremus. Itaque eas itidem in Partem Alteram differimus.

Illud, quoad tempus, inter certa numerabimus, quòd Henricus Episcopus denique post 39. annorum, & aliquot mensium longævum regimen obiit anno Christi 1137. 7. Id. Octobris. Sic enim notatur in lapide sepulchrali: *Sepultura Henrici Episcopi Frisingensis. Obiit 7. Id. Octobr. Anno Domini MXXXVII.* ubi equidem Lector advertet, in literis illis numeralibus omissum esse C. id est, centenarium numerum: qui tamen omninò suppletus est, ac ponendus annus Christi MCXXXVII. Ejus sepultura cernitur ad aram S. Leonardi. Extat de eodem Henrico Episcopo antiqui Poëtæ distichon sequens:

Isse Pater verus, prece subvenias sibi Clerus:

Nos habet Haeredes premia dans & opes.

Sanè Altare Divi Leonardi Henricus Episcopus ipse construxit, dedicavit, ac duabus insignibus donationibus locupletavit. Instrumenta earum donationum, tum ex domestico chartario, tum ex libro Traditionum Neocellensium desumpta, in Parte Altera plena manu Communicamus cum Lectore, qui inter nobilissimos earum donationum testes primò locò venerabitur S. Leopoldum Marchionem, Ottonis, qui in Episcopatu Henrico successit, gloriosum Parentem. Sanè cur duo eorum Instrumentorum non Frisingæ, sed Neocellæ afferrentur, ex literis Ottonis Episcopi, anno 1143. ei Monasterio concessis apparebit, quas infra adducemus.

PAG. 87.
N 1282.
C. subpa-
gna.

Scribit Freiburgerus, Henricum Episcopum fuisse Principibus Bojarie à Consiliis. Ast id mirum videbitur omnibus, qui expenderit, Welfonem constanter adhæsisse Pontifici, Henricum verò aut semper, aut plenè consensisse Imperatori. Equidem ultimis vitæ Henrici Episcopi annis præfuit Henricus dictus superbus. Ast non apparet, cur hujus Henrici consiliarius fuisse dicatur, cum hic Dux raro domi, aut in Bojaria fuisse in Boicorum rerum Scriptoribus deprehendatur. Cæterum mors Henrici Episcopi incidit in annum octavum Pontificatus Innocentii II. cum adhuc inter vivos superesset Lotharius Imperator, qui primò mense Decembris illius anni è vita migravit, uti Pagius advertit. Salisburgensī Ecclesiæ etiamnum præerat Conradus I. Ratisbonensī Henricus I. Patavensī Regimannus, seu Regimarus, Brixinensī Reimbertus supra à nobis laudatus. Verùm nunc ad Henrici successorem dignissimum convertendus est stilus.



CAPUT II.

Otto I. dictus Magnus, inter
Episcopos Frisingenses XXII.

§. I.

Natales, adolescentia. & vita Ottonis I. ante
Episcopatum.

Natales Ottonis nostri nemo luculentius, nemq; fidelius nobis explicaverit quam Radewicus, Frisingensis Cathedralis Ecclesie Canonicus, qui cum ipso Ottone Frisinge familiarissimè vixit, & ipsius jussu coeptam de Friderico Abenobarba Imperatore Historiam continuavit. Hic de Ottone scripsit sequentia: Fuit Otto Imperatorum Henrici III. nepos, sororius quoniam Henrici, Conradi Regis frater uterinus, Friderici Imperatoris Augustissimi - - - patruus, ex clarissimo Regni Principe Leopoldo Marchione (nempe sancto Leopoldo, post fata Divorum Albo adscripto) Patre, & Matre Agnete, filia Henrici III. Imperatoris, pariter cum fratribus suis germanis Conrado Pataviensi Episcopo (postea Salisburgensi Archipræsule, ejus nominis secundo) Leopoldo Duce Bavorie, & Henrico Duce Austriae, nec non & sororibus Gertruda Ducissa Boemiae, & Bertha Ducissa Polonorum, ac Ita Marchionissa de monte Ferrato, N. Imperatricis Hispaniae genitrice. De tanta, inquam, tamque illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit originem.

lib. IV. cap. XI.

Otto, summus

locò natus.

Hæc Radewicus; ut dubitare nemo possit, quin parentum claritate Otto omnes suos in Cathedra Frisingensi Antecessores longissimè superârit. Huic tanto Natalium splendori ut Otto magnis virtutibus responderet, sancti Parentis providentissimâ curâ prospectum fuit. Cùmque ipsa Ottonis indoles tota in virtutem ac cœlestia propenderet, arque à sæcularibus pompis abhorreret, parens eundem Collegiarum Ecclesie Claustro-Neoburgensi, à se anno Christi 1114. fundatæ, præponendum cenluit; utque eidem rectè præset, eundem, substituto ad regendam vicaria potestate eam Ecclesiam Opaldo quodam, Lutetiam Parisiorum misit, sublimioribus disciplinis imbuendum. Quantum sanè Otto Parisiis in sacris ac profanis literis, in Philosophicis item ac Theologicis scientiis profecerit, ex eo abunde innotuit, quòd is deinceps, cùm in Frisingensem Cathedralam evectus esset, omnes Germanicæ Præsules sapientie laude sua ætare aut supergressus sit, aut sapientissimos æquaverit, ut infra suo locò summis testimoniis confirmabimus.

Minus ad
studia Parisiorum.

Cæterum cùm Otto Parisiis totum se pietati, totum literis impenderet, & nemo clarissimas ejus tum corporis tum animi dotes non demararetur ac amaret, inter alia insignibus Divorum Ispanis donatus fuit. Hæc ille, cùm aliquando ad visendam Ecclesiam suam Claustro-Neoburgensem Parisiis in Austriam se contulisset, eidem suæ Ecclesie dono obtulit, ipso sancto Parente cum Cleri populique frequentia occurrente, & sacrum Reliquiarum thesaurum cum summo júbilo excipiente: qui deinceps, Leopoldi jussu, ibidem religiosissima custodia asservatus fuit. Pauculis deinde diebus inter suos exactis Otto rursus in Galliam reversus, decursis sublimiorum studiorum spatii ad longè aliud vitæ genus vocari se sentiens, cum pluribus lectissimis locis in Monasterium Mornundense secessit, ibique inter Tyrones, atque sodales receptus, Divi Benedicti Regulæ sub Cisterciensium Reformatio-

Donatus sacris Reliquiis, quas referit in passionem.

Fit Monachus Cisterciensis.

ne sese mancipavit, exigentibus virtutum atque scientiarum meritis post paucos annos manus Abbatis admittere coactus. Id cum parens Ottonis Leopoldus edoctus fuisset, Eberhardus Salisburgensem Archipræsulem, nec non Regimarum Pataviensem & Romanum Gurcensem Episcopos, aliosque viros doctrina ac pietate conspicuos ad se convocavit, eorumque consilio sæcularibus Canonicis Claustro-Neoburgensibus Regulares substituit, sub Divi Augustini norma Deo militaturos: id quod anno Christi 1133. contigisse, ex Chronico Claustro-Neoburgensi discimus, quod vir clar. P. Hieronymus Pezius Mellicensis edidit.

In Ecclesiam Claustro-Neoburgensem introducit cum Canonici Regulares Ord. S. Augustini.

Otto fit Episcopus Frisingensis.

Interim ex morte Henrici Episcopi vacabat Sedes Episcopalis Ecclesie Frisingensis, quæ post gravissima Schismatis mala virum maximum, imò vetero Cæsaris aut aliorum commendatione adscitus fuerit Otto noster, hæcenus nullibi legisse memini. Radewicus Ottonem *calitus & à DEO* missum fuisse scribit, ut, cum eadem Ecclesia omnibus serè bonis esset destituta, *destructa facultas, collapsa palatia, familia atrita, religionis Monasteriorum nulla vel parva memoria, ope Divina tandem Clero religionem, familia libertatem, facultatibus copiam, aedificiis decorem restitueret.*

Legimus in sæpe laudato Weihenstephanensi Calendario, electionem Ottonis contigisse anno Christi 1137. eumque anno primum sequenti, Christi 1138. in Episcopatum fuisse introductum: quod utique alia ex causa non accidit, quam quia Otto factæ sui electioni acriter se opposuit, uti Vitus Arenbeckius in suo Chronico Austriaco testatur. Quo sanè anni illius mense ac die in Bojariam Otto venerit, edisserere hæcenus non possumus.

Interea eodem anno Christi 1138. ingentes in Germania, ac maximè Bojaria motus fuere exorti. Cum enim Lotharius Imperator ex Italia in Germaniam contendens, Tridenti anno superiori in morbum incidisset, & tandem etiam apud Bredunvanvillam (vilissimam casam Otto noster appellat) in alpihus circa Nonas Decembris mortem oppetisset, Henricus Bojarie Dux, qui Imperatori, socero suo, morienti adstiterat, Imperii signa, puta coronam, sceptrum, gladium & crucem, quæ Caroli Magni fuisse dicuntur, sibi cum Imperio usurpare nitebatur, ut Trithemius, & ex eo Pagius scribunt. Unde offensi Imperu Proceres omisso Henrico, cæteroque Germaniæ Principe potentissimo, Conradum Suevum, Ottonis, Episcopi nostri, fratrem uterinum, Regem renunciârunt, eo nomine tertium; qui tamen se in membranis Frisingensibus secundum appellat, ut infra videbimus. Atque ex eo maximè ille per Germaniam turbæ enatæ fuere: & Henricus, cum se Conrado Regi opponeret, ab eodem Bojarie juxta ac Saxonie Ducatu exutus est. Id jure, an injuriâ factum sit, nostrum non est disquirere. Henricus paulò post, cum Saxoniam recuperasset, finem vivendi fecit relicto filio Henrico, Leone dicto, de quo plura suis locis.

Conradus Suevus fit Imperator.

Henricus Bojarie Dux exautoratur.

Joannes Gualterius Belgæ in *Chronico Chronicorum*, ac serie Episcoporum Frisingensium scribit, Ottonem Episcopum nostrum ante aditum Episcopatum fuisse Cancellarium Conradi III. Imperatoris. Verùm cum ex hæcenus dictis constet Ottonem nostrum citius in Episcopatum, quam Conradum, ejus fratrem uterinum, in Regem seu Imperatorem fuisse electum, non est, cur Gualterii opinioni adharreamus. Sanè Ottonem (post susceptum Frisingensem lituum) Cancellarium Conradi egisse, contendit eruditissimus Mallinkrotius in suo, quod de *Archicancellariis & Cancellariis Imperialis Aule* conscripsit, præclaro Opere, & quidem duobus potissimum locis, nempe pag. 86. & 155. ubi Münsterum, Mathiam Castritium, & Heru: Kircherum pro se allegat. Addit Mallinkrotius, Ottonem non solum apud Conradum III. verùm etiam apud ejus successorem Fride-

An Otto Episcopus aliquando fuerit Cancellarius Aule Imperialis?

Fridericum Barbarossam Cancellarii munere fuisse functum, idque non solum ex Antonio Albizio, verum etiam ex ipso Radewico lib. 3. de Gestis Friderici cap. 22. ostendere conatur. Verum ejus rei fides esto penes laudatos scriptores. In Domesticis membranis nullam ejus claram mentionem reperimus.

§. II.

initia Regiminis Ottonis I. Episcopi: ubi de instauratione inclyti Monasterii Schefflariensis.

IN sæpè laudato Calendario Weihenstephanensi postquam ad annum Christi 1137. Synchrona manu notatum fuerat, eo anno Henricum Episcopum fuisse è vivis ereptum, Ottonem verò eidem subrogatum, additur. *Hoc etiam anno tonitru factum est non modicum, cujus fulmen Monasterium istud penetrans igne replevit, sed parvò dispendiò, licèt mirabili. Nam Monachos in Choro stantes & psallentes prostravit, nec tantum eos, sed & omnes foris stantes & assistentes. Imago Domini à cruce dissoluta ante altare S. crucis est prostrata: que ita ante altare jacuit, ut est in modum crucis, sinistro brachio fracta. Ipsum altare consecratum ab Episcopo Hainrico pluribus in locis perforavit, sicut & Monasterium per circuitum.* Hæc ibi.

Monasterium Weihenstephanense fulmine ictum.

De Ottone nostro in Sede Episcopali Frisingensi collocato verè dici potest, cum mox totum fuisse in eo, ut ex beati Hilarii monito *infirmis confirmaret, disrupta consolidaret, & verbum vite in eternitatis cibum alende familiarie tanquam dispensator fidelis, & vilius utilis dispenseret*: quod ex modo subjungendis Lector intelliget.

Otto verus Episcopus.

Inter ea, quæ Otto in suo Pontificatu præclare gessisse memoratur, primò locò reperimus, quòd disciplinæ Monasticæ amore, prædicto inclyto Weihenstephanensi Monasterio anno Christi 1138. Abbatem præfecerit Sigimarum, nobili prosapia ortum, quem deinceps eidem sacro collegio cum singulari laude præfuisse constat: & satis encomii foret, quod Sigimarus ab Episcopo religiosissimo, ac rerum Monasticarum expertissimo eo gradu dignus fuerit habitus. Sanè an Sigimari antecessor Meginhardus Abbas magistratu sese ultrò abdicaverit, an verò vel mors, vel nimia senectus, vel denique Episcopus pedum ei eripuerit, facti non memorant.

Weihenstephanensibus dat Abbatem opam.

Ad sequentem annum Christi 1139. Gewoldus in additionibus ad Metropolim Hundii ponit consecrationem Altaris in Madronensi monte ab Ottone Episcopo factam. Id rectè probat ex verbis lapidi aræ incisi, quæ sic sonant: *Hoc altare fecit Comes Siboto peccator. Dedicatum est autem Anno ab Incarnatione Domini MCCCXXXIX. in honore Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ DEI Genitricis Mariæ, à venerabili Ottone Frisingensi Ecclesie Episcopo, primò Episcopatus ejus annò.* Ubi advertet Lector, verba aræ incisa non respicere annum, quo Otto electus, sed quo dignitatem demùm adit.

Madronensium consecratio.

Eodem anno, Christi 1139. Innocentius II. Pontifex Maximus afflictis Christianæ Reipublicæ rebus remedium allaturus Concilium Lateranense indixit, in quo tanta Patrum frequentia comparuit, ut Oecumenicum II. Lateranense appellari consueverit. In eo non solum quidam hæretici damnati, & acta Petri Leonis, sive Anacleti Pseudo-Pontificis rescissa: verum insuper etiam multa ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam fuere statuta: quæ tamen Capitula, ut ex Orderico Pagius advertit, alicubi parùm profuere, quia ut Ordericus habet, *nimis abundans per orbem nequitia terrigenarum corda contra Ecclesiastica scina obduraverat.* An Otto Episcopus noster ei Concilio interfuerit, asserere non audemus. Quid verò de actis magni illius Convocatus Otto scripserit, Acta Conciliorum, quæ Harduinus collegit, exhibent.

Concilium Lateranense II.

Tom. 1^o part. 2. col. 1215.

Acta Salisbur.
genſia.

Salisburgi eodem anno, Chriſti 1139. Monachi noſtri Petrenſes juſſu Cathedræ Metropolitanæ, quod à condita illa Eccleſia poſſederant, ceſſere Regularibus Divi Auguſtini Canonici, à Conrado Archiepiſcopo illuc ante 18. circiter annos introductis, ea tamen conditione, ut hi prærogativam loci dignioris Petrenſibus Monachis perpetuò cederent: qui tractatus eo anno initus, ſequentibus temporibus non ſolum ab Archiepiſcopo, verum etiam ab ipſis Summis Pontificibus confirmationem accepit. Inſtrumenta P. Joſephus Mezgerus in Hiſtoria Salisburgenſi in lucem produxit.

Otto Epico-
pus reſtaurat
Monafterium
Schefflianen-
ſe.

In annum Chriſti 1140. incidit reſtauratio inclyti Monafterii Scheffliarienſis, quod eouſque ruinis ſuis ex Hungarorum crudelitate dudum ſuperius relata incubuerat. Illud olim Regulæ Divi Benedicți fuiſſe additum alibi demonſtravimus, & nemo ſcriptorum Boicarum Rerum in dubium vocat. Otto verò Epicoſopus noſter illud eo anno recens inſtitutæ Præmonſtratenſium Familiz commiſit. Literæ Inſtaurationis in libro traditionum ejusdem Monafterii hæc habent.

& illud Præ-
monſtratenſi-
bus tradit.

ac docet.

In nomine ſanctæ & indiviſivæ Trinitatis. Otto ego DEI gratiâ Friſingenſis Eccleſie Epicoſopus qualiscunque. Miſericordia Domini favente volens Epicoſopatus noſtri diruta inſtaurare, religionis ſeminarium plantare, plantata rigare, præpoſituram Scheffliarum cum univerſis, quæ vel prædeceſſorum noſtrorum largitate, vel comprovincialium liberalitate conquiſita ſunt, videlicet Eccleſiæ, mancipiis, villis, agris, pratis, poſcuis, decimis, cultis & incultis, Fratribus ſecundum Regulam beati Auguſtini, & conſuetudinem Præmonſtratenſium Fratrum DEO ibidem ſervientibus contradidimus. Quædam etiam beneficia noſtri Epicoſopatus eis perpetuò retinenda donavimus. Eccleſias inſuper eidem loco adjacentes, ſcilicet Scheffliaren, Uerſenbauſen, Niwarn, Ecboldingen utilitatis gratiâ cum cura animarum terminando ad idem Monafterium tranſmutavimus. Volentes autem Fratrum eorundem juſte petitioni aurem per omnia accommodare, Fratres ibi profeſſos ne diſcedant, diſcedentes ut nullus ſuſcipiat, anatthematis vinculo volumus confirmare. Adicimus etiam, ut de laboribus manuum, & de nutrimentis animalium eorum in noſtro Epicoſopatu nullus decimas exigat. Obeunte verò Præpoſito nullus niſi canonicè electus ſubſtituatur. Advocatum, ſi intolerabilis fuerit, mutandi facultatem, & qui ibidem ſepeliri poſtulaverint, concedimus libertatem. In Eccleſiis ad clauſtrum eorum pertinentibus ſine petitione ipſorum Sacerdotes non ponantur. Poſſeſſa vel juſte poſſidenda ut nullus ſurripere audeat, vel eosdem fratres inquietare, aut aliqua exactione infeſtare præſumat, auctoritate DEI & noſtra inſtantiffimè prohibemus. Hæc autem ut perpetuo inconcuſſa permaneant, quemadmodum præſati ſumus, auctoritate DEI, & beate Mariæ, cujus Eccleſie ipſius miſericordiâ præſidemus, & omnium ſanctorum, nec non & noſtra confirmamus, & ſigilli noſtri impreſſione munimus. Et hujus pagine noſtre violatores, ut in die extremi examinis cum iniquorum capite ultricibus flammis perpetuò exurendi involvantur, DEum teſtem invocamus & judicem. Eidem vero loco & Fratribus multa * ſervantibus ſit pax, & eterna cum Angelis ſocietas, amen. Facta ſunt autem hæc in univerſali capitulo Ottonis Epicoſopi Friſinge, ſubſcribentibus ejusdem Eccleſie prioribus, nec non etiam Clericis ac Laicis omnibus conſcientibus & approbantibus. Anno quidem ejusdem Epicoſopi ſecundo, Domniæ vero incarnationis M.C.XL.

* Forſi leg.
ſulla.

Ego Hoboldus majoris Eccleſie Præpoſitus ſubſcripſi.

Ego Adalbertus Majoris Eccleſie Decanus ſubſcripſi.

Ego Herricus Archidiaconus & Præpoſitus Moſburgenſis Eccleſie SS.

Ego Wichmannus Præpoſitus S. Andrea ſubſcripſi.

Ego

Ego *Hainricus Reitenbuochensis Præpositus SS.*

Ego *Dietramnus de Cella S. Martini SS.*

Ego *Hainricus Præpositus Burenberb SS.*

Ego *Herrandus Archidiaconus subscripsi.*

Ego *Waltherus Burenfis Abbas SS.*

Ego *Sigimarus Abbas S. Stephani. SS.*

In hoc Instrumento observabit Lector Zelum piissimi Episcopi, quippe qui palàm professus est, cupere se *Episcopatus sui diruta instaurare, religionis semina plantare, & plantata rigare.* Nos illud etiam observatione non indignum censemus, quòd eidem Instrumento inter cæteros Frisingensis Diæceseos Ecclesiarum Prædices subscripserit Waltherus Burenfis, id est, Benedictoburanus Abbas, qui tamen neuiquam de Dicecesi Frisingensi erat. Ejus rei causam indagantibus aliud non occurrit, quàm quòd Monasterium Benedictoburanum olim in villa Schefflariensi (Schefflariam superiorem appellamus) plura prædia habuerit, ut in *Breviario Chronici Benedictoburani* rectè meminit Gotthalcus Monachus, Sæculi XI. homo, idèmq; in pluribus aliis vetustis ejus Monasterii membranis asseritur: quæ prædia Waltherus Abbas cessisse videtur novellæ Schefflariensium plantationi: id quod eò fidentiùs scribimus, quòd ipsemet Episcopus testetur, tradere sese non ea tantum, quæ antehac prædecessorum suorum largitate, verùm etiam *comprovincialium liberalitate* eidem loco conquisita fuerint. Luceat hìc etiam monere Lectorem Wichmannum Præpositum S. Andreæ, qui Instrumento subscripsit, esse eum ipsum, qui postea in Weihenstephanensi Monasterio Monachus factus est, veluti in Parte Altera N. 1315. demonstrabimus. Ceterùm Donationem Ottonis Episcopi aliorumque benefactorum ad preces Engelberti, primi Schefflariensium Præpositi, Innocentius II. Pontifex maximus confirmavit. Literas Pontificias Gewoldus exhibet.

Cur Instru-
mento sub-
scripserit Ab-
bas Benedi-
ctoburana?

Fervebant equidem eo anno inter Bojos gravissimæ rixæ, quibus Leopoldus Bojaræ Dux, Ottonis nostri frater, cum ultra Lycum ditionem suam protendere conaretur, à Welfone Henrici Leonis tutore oppressus fuit: verùm ista non aliter ad se pertinere judicabat Otto noster, quàm ut placando Numini omnem navaret operam. Id eo potissimum pacto consecutorum seie existimabat, si Ecclesiarum, aliorum injuriis vexatarum, eam sedulam haberet. Hinc eodem anno non solum, ut modò diximus, Schefflariense Monasterium resuscitavit, verùm etiam Cathedralis Ecclesiæ jura firmare conatus est: quem in finem ab uterino fratre suo Conrado Rege, electo Imperatore, consecutus est memorabilem panchartam, seu generalem jurium Ecclesiæ suæ confirmationem hujus tenoris.

Metrop.
Hind. T. III.
Pag. 292.

*In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Chunradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Si religiosorum virorum dignis petitionibus benignè acquiescimus, si illorum utilitatibus paternè consulimus, si privilegia Ecclesiæ DEL antiquitus collata renovando confirmamus, si libertatis jura eadem * rationabiliter concessa retinemus, & conservamus, procul dubio prædecessorum nostrorum Regum sive Imperatorum exempla sequendo tenemus, & id nimirum tam ad præsentis vitæ felicem cursum peragendum, quàm ad futura vitæ beatitudinem promerendam nobis profuturum non dubitamus. Omnibus igitur Christi, nostrique fidelibus tam futuris quàm præsentibus notum esse volumus, nos pro remedio anime nostræ, nec non parentum nostrorum & instinctu dilectissimæ Gertrudis Regine, intervenitu quoque dilecti fratris nostri Ottonis venerabilis Episcopi omnia sanctæ Frisingensis Ecclesiæ privilegia renovando confirmasse. Nominatim autem Comitatum Cartuvria cum prædiis, adjacentibus, quæ piæ memoria Imperator Otto pios*

Otto Ecclesie
suz Panchar-
tam impetit.

* alibi en-
dem

Matri

* alibi: Adal-
baidi. *Matris sua Albaidis * petitione, & venerabilis Episcopi Abraha legitime concessit eidem Ecclesia. Decernimus etiam Regia auctoritate, ut Ministeriales ejusdem Ecclesie in ea libertate permaneant, in qua Ministeriales Regni, & ceterarum Ecclesiarum. Et in predicto Episcopatu neminem monetam habeat praeter ipsum. * Praeterea firmiter interdicens omne novum forum in eodem Episcopatu, nisi quod antiquitus roboratum est auctoritate praedecessorum nostrorum. In ipsa vero Frisingensi Civitate annuale forum concedimus. Ut autem hujus nostrae revocationis & confirmationis praecipuum stabile permaneas, hanc inde chartam scribi, * & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuque propria, ut infra apparet, corroborantes. Testes, qui praesentes aderant, subnotari fecimus, quorum haec nomina sunt. Adalbertus Maguntinensis Archiepiscopus, Adalbero Treverensis Archiepiscopus & Apostolicae Sedis Legatus, Embircho * Wirzburgensis Episcopus Wucco Wormacensis Episcopus. Sifridus Spirensis Episcopus Reimbertus Pataviensis Episcopus. Adalbertus Dux Saxoniae. C. * Dux Burgundiae. Henricus Comes Palatinus. Engelbertus Marchio. Otelricus Comes de Lenzeburch. Anno Dominicae Incarnationis MCXL. Indiæ. III. Regnante Chunrado Romanorum Rege secundo. Anno vero Regni ejus III. Dat. apud Franckenfurt V. Non Maji in Christo feliciter amen. Hæc Ottoni Episcopo Conradus: qui cur in hoc, aliisque pluribus Instrumentis vocetur eo nomine secundus, aliis dicitur etiam committimus.*

Ottonem Episcopum nostrum in Soldensi Curia apud Vilisbur presentem eodem anno fuisse, quum Conradus II. Asteni civitati jus cudendi monetam concederet, Ferdinandus Ughellus in sua Italia sacra tradit.

7. 4. col. 362.

§. III.

Fundatio inchoati Monasterii Novæ Cellæ, vulgò Neustift.

Fundat. Mo-
nasterium
Neo-Cellen-
se.

AD eundem annum Christi 1140. videntur referenda esse prima cunabula Monasterii hodièque percelebris, Nova Cella dicti, extra pomeria Frisingensis civitatis ab Ottone Episcopo nostro pro eodem Præmonstratensium Instituto constructi. Id indicare videtur Otto ipse in literis Scheflaris Monasterio hoc anno, ut vidimus, concessis, ubi testatur, cupere se non solum Episcopatus sui diruta instaurare, verum etiam Religionis seminaria plantare. Ottonem jam hoc ipso anno adiecisse manum ædificio illius Monasterii, conjecturam ex eo ducimus, quod sequenti anno, Christi 1141. jam constituerit dotem aliquam, quamquam nobis hæcenus ignoratam: qua de causa à quibusdam Rerum Boicarum Scriptoribus Monasterii illius fundatio (non verò constructio) ad eundem annum differtur. Sanè testimonium opinionis nostræ desumimus ex primariis literis Innocentii II. PP. quæ Gewoldo fortassis non innotuerunt, & anno 1142. exaratae sunt in hunc modum.

Confirmat.
Summo Pon-
tifici.

InnoCentius Episcopus servus servorum DEI, dilectis filiis Hermanno Præposito Ecclesie S. Petri de Novo Loco juxta Frisingensem civitatem sito, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Apostolici moderaminis clementia convenit religiosos diligere, & eorum loca pia protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut, quia ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & à pravorum hominum nequicia tueamur, & Apostolica Sedis patrocinio foveamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua Divino mancipati estis obsequio,

quo, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quacunque bona impresentiarum iuste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis DEO propitiò poteritis adipisci firma vobis, vestrisque successoribus illibata permaneant. Præterea quidquid à venerabili fratre nostro Ottone Frisingensi Episcopo religionis intuitu vobis concessum est, & scriptò sub firmatum, similiter confirmamus. Sanctimus etiam, ut Ordo Canonicus secundum beati Augustini Regulam & institutionem fratrum Præmonstratensium perpetuis temporibus in eadem beati Petri Ecclesia inviolabiliter conservetur. In communi verò Interdicto ipsius civitatis liceat vobis clausis januis & exclusis excommunicatis, sive interdictis, non pulsatis signis, summissa voce, divina obsequia celebrare. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus omnino Clericus vel Laicus decimus à vobis exigere presumat. Sepulturam quoque loci ipsius liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devocioni & extreme voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obstat, salvâ Matricis Ecclesie canonicâ iusticiâ. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerare &c.

(L. S.) Ego Innocentius Catholice Ecclesie Episcopus SS.

† Ego Gregorius Diaconus, Card. Sanctorum Sergii, & Bacchi SS.

† Ego Stephanus Prænestinus Episcopus SS.

† Ego Octavianus Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere SS.

Dat. Laterani per manum Gerardi S. Rom. Ecclesie Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii XII. Kal. Feb. Indiçt. XI. Incarn. Dominica Anno MCXLII. Pontificatus verò Domini Innocentii PP. II. anno XIII.

Ex his ratiocinamur sequentem in modum. Anno Christi 1142. die 21. Jan. Innocentius PP. II. ad preces *Hermannii Præpositi ejusque fratrum, Drivo obsequio (in Novo Loco) manipulatorum*, jam fecit confirmationem possessionem tum ab aliis, tum ab Ottone Episcopo Monasterio illi concessarum. Ergò jam ante menses aliquot, adeoque anno Christi 1141 in *Novo Loco* (Nova Cella) habitabat Hermannus Præpositus cum Fratribus. At si jam anno Christi 1141. in *Novo loco* habitarent religiosissimi incolæ, quis non videt, ædificio Monasterii saltem superiori anno, Christi 1140. debuisse dari initium? Hæc adeo nobis certa videntur, ut Lectorem faciliè in opinionem nostram concessurum, omninò speremus. Sanè Hermannum, primum Neo-Cellæ Præpositum è Monasterio Urspergenis Sueviæ fuisse accitum ex eo discimus, quòd Monasterii Urspergenis Abbas *Pater Domus* (uti usitato Ordinis vocabulò appellant) hodièque dicatur, maneatque loci illius, uti etiam Scheflarientis Monasterii *perpetuus & ordinarius Visitator*, velut Franciscus Petrus, Canonicus Regularis Wettenhusanus in sua *Suevia Ecclesiastica* annotavit, qui videri potest.

Anno Christi 1143. (an potiùs 1142.) Otto Episcopus noster Eidem Ecclesie à se fundatæ literas sequentes tradidit, quas hic statim subnectimus, ut primordia celeberrimi illius Collegii collecta exhibeamus.

In nomine Sanctæ & indivisive Trinitatis. Otto DEI gratia Frisingensis Ecclesie Episcopus in perpetuum Amen. Officium nostrum pro viribus excuti in Episcopatu nostro Religionis incrementa propagare, & bona, que videbantur, in melius mutare studuimus. Itaque consilio & auctoritate Summi Pontificis Innocentii, consensu quoque Ecclesie nostre bona, que pertinebant ad altaria sanctorum Thome Apostoli, Leonardi Confessoris, R. P. Caroli Meixelbeck Hist. Frising. 116. Tradit. Novell. pag. 1. & 2.

Otto Episc.
dotem ad-
icit.

Ita habetur
in dicto
Codice, sed
forte legen-
dum: in Ec-
clesia, quæ
beati Got-
thardi diceba-
tur: ad hospi-
tale paupe-
rum &c.

Lamperti Episcopi, coadunavimus, & ad Ecclesiam Sancti Petri Apostoli de-
dicandam in perpetuum absque alicujus contradictione delegavimus ad usum
Fratrum sub regula beati Augustini ex Ordine Premonstratensium Deo inibi
famulantium, exceptis decimis arce nostre, que antea ad sepulchrum beate
memorie Lamperti Episcopi pertinebant, quas nos redemimus, agris cultis,
pratris & memoribus. Præterea quedam alia bona in Ecclesia beati Godehardi
dicebatur, ad hospitale dicebatur, pauperum pertinentia transfulimus ad Eccle-
siam in honore sancti Alexii Confessoris consecratam, ita tamen, quod ibidem
non alios, sed in usum pauperum & peregrinorum cadant in hospitali admini-
stratione predictorum fratrum distribuendam: Insuper res illorum decimis
omnium honorum nostrorum amplavimus, & de predicto claustro equè deci-
mas de omnibus eò dari inviolabiliter firmavimus, & quicquid deinceps libe-
ralitate aliquorum seu Laicorum ad idem claustrum sive ad hospitale traditum
fuerit, jure equitatis & nostre auctoritatis forma ibidem & inviolata in per-
petuum manere sanctimus. Proinde ne impostitum hoc memorie bonum
decideret, scriptis notari, & sigilli nostri impressione signari fecimus.

Anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. Indiæ. V. anno autem Ottonis
Episcopi Frisingensis Ecclesie IIII. Acta sunt hæc Frisinge presentibus &
consentientibus his. Ego Sigimarus Abbas S. Stephani subscripti. Ego Udalricus
Abbas Scirensis subf. Ego Hoboldus Præpositus Majoris Ecclesie SS. Ego
Adalpertus Decanus S. Ego Herricus Præpositus & Archidiaconus S. Ego
Wichmannus Præpositus S. Ego Herrandus Archidiaconus S. Ego Burbar-
dus Præpositus S. Vni S. Ego Hainricus Custos S. Ego Engelcalcus Scola-
sticus S. Ego Chuno Parrochianus S. cum cæteris Canonicis Frisingensis Ec-
clesie. Aderant etiam Laici testes, ac de Nobilibus Comes Periboldus de Ty-
rol, Adelpertus de Richersbusen, & filius ejus Herman, Eberhardi de Herren-
busen, Meingoz & Pilgrim de Wolmuteshabe. De familia Ecclesie. Ihenric
Camerarius, & filius ejus Hainricus. Cunrat & frater ejus Fritlo de Hei-
dolfingen. Sigefritus de Wolfoltesdorf. Eberhardi de Hagenowwe, & alii
quam plures.

Neocelle o-
lim Sacellum
& Gothardi.

Hic obiter monendus est Lector, ante constructionem modernæ splen-
didæ Neocellenfis Ecclesie haud procul ab antiqua Basilica existitisse sacellum,
plim dedicatum honori S. Gothardi: cujus cultus ac memoria nostra ætate
in Ara S. Josephi intra ipsam Cœnobii Ecclesiam celebratur. De Ecclesia
S. Alexii hodie nihil superest, nisi ea, quam in recitato Instrumento conspi-
cimus, memoria.

An tota fen-
dano sit ad-
scribenda Ot-
toni?

Sanè an soli Ottoni Episcopo tribuenda sit tota celebris illius Cœnobii
fundatio, non immeritò ex productis hætenus literis Lector fortassis dubita-
bit, cum ipse Otto Episcopus disertè fateatur, se bona supra recensita dele-
gasse ad Ecclesiam sancti Petri cum consensu Cleri & populi Ecclesie sue.
Verùm licet hæc ita se habeant, & non solius Ottonis Episcopi, sed etiam
Collegii Cathedralis, aliorumque pietati atque liberalitati ea fundatio refe-
renda sit in acceptis, certum tamen est, totius piissimi operis primum mo-
torem, bonorumque recensitorum præcipuum largitorem Ottonem fuisse, ut
adeo eidem *Fundatoris* titulus ab omnibus merito tribuatur.

Nos ignoramus, scribi à nonnemine, Novæ Cellæ Monasterium in
Frisingæ conspectu ad Mosæ & Isaræ confluentes à tribus fratribus, Henrico
Bavaricæ Duce, Ottone Frisingensi Episcopo, & Conrado Antistite Salisbur-
genfi Præmonstratensium Religiosis fuisse erectum anno 1141. verùm qui
membranæ hætenus adductæ nullam Henrici Ducis, nullam Conradi Salis-
burgensis Archiepiscopi mentionem faciunt, neque dicto anno Christi 1141.
Henricus, Ottonis Frater, Ducatum Bojaricæ: sed nec Conradus, eo nomi-
ne secundum Salisburgensis Archiepiscopus, Ottonis ibidem frater, Mytram
Salis-

Salisburgensem tenuit, necitur, an illius scriptoris sententia pondus habere valeat, donec aliunde suffragiis antiquorum monumentorum fulciatur. Interea observabit Lector in literis Ottonis Episcopi annum Christi 1143. vocari quartum ejusdem Præfultis in Episcopatu Frisingensi, cum tamen videatur potius dicendus fuisse quintus Regiminis annus. Verum quia in Instrumento anno Christi 1143. adjicitur *Indictio V.* quæ potius ad annum 1142. pertinet, censemus, in notam anni chronologicam irrepsisse errorem librarii vitiò: & sic ponendum fuisse annum Christi 1142. qui verè erat Ottonis Episcopi quartus.

Ottonis Episcopi insignem erga Neocellenfes liberalitatem inter alios strenuè secuti sunt *Ministeriales* Frisingensis Ecclesiæ, nempe Vasalli, qui feuda quædam Frisingensia possidebant pro ministerio, quod Episcopo præstabant. Sic Uto de Haslbach unâ cum cognomine filio prædium in Zwainkirchen & Gumpetendorf: Eberhardus de Waiden prædium in Mosâch: Hainricus Judex Frisingensis agrum in Rietchamer, Hugo Canonicus Majoris Ecclesiæ molendinum iuum in Langheim, alii alia Ecclesiæ S. Petri in *Novo Lago*, seu Neocella, donarunt, uti discimus ex laudato Traditionum Neocellenfium libro: in quo passim traditur, etiam Virgines DEO sacras ibi domicilium habuisse, ac vitam regularem duxisse: quæ tamen omnia latius prosecui instituti nostri ratio non patitur. Alia tamen beneficia à successoribus Episcopis insigni illi Monasterio præstita suis locis commemorabimus: & illud solùm hic anneximus, in celebri illa Neocellenfi Ecclesia olim fuisse corpora sanctorum Marini Episcopi, & Teclani ejusdem Capellani, de quibus Raderus in *Bavaria sancta*: & nos alibi egimus. In vicinia quoque ad Dunkenhufiana, Divi Michaëlis Archangeli honoribus sacra, quæ sub Novæ Cellæ tutela est, S. Eberhardus Opilio cultum habet, ubi optimus hic olim pecoris custos tumulum obtinet, & glebæ, qua tegitur, salutarem adversus noxia animantibus venena vim inspirat, ab agræstibus ceu certissimum amuletum expeti solitam: uti idem Raderus cum Brunnero aliisque tradit. Dunkenhufium nonnisi tribus horæ quadrantibus Frisingâ distat: unde sanctus ille Eberhardus à Radero alicubi Opilio Frisingensis appellatur.

Liberalitas
etiam Mini-
strorum Ot-
tonis erga
Neocellam,

Etiam apud
Neocellam
erat Monas-
ter.

S. Eberhardus
Opilio.

§. IV.

Monasteriorum Schlehdorffensis & Schlierseensis instauratio. Bonorum Ecclesiæ Frisingensis confirmatio. Turba in Bojaria.

DE primæva Monasterii Schlehdorffensis & Schlierseensis origine sub Episcopi Josepho, Aribone & Attone disseruimus. Schlehdorffense inter calamitates ab Arnulfo Malo & Hunnis Bojarie illatas extirpatum, & ab Ordine Divi Benedicti avulsam fuisse, itidem suis locis demonstravimus. Successu tamen temporis eum locum cessisse secularibus quibusdam Clericis, ex iis constat, quæ in actis Gotheschalci Episcopi retulimus. Ceterùm prædictum S. Tertullini Martyris Cœnobium, quod jam Aribonis atque Attonis Episcoporum tempore Monasterio Frisingensi fuerat quodam pacto traditum, ab Episcopis Frisingensibus deinceps gubernatum fuit usque ad Ottonis I. Episcopi nostri ætatem, qui, ut primævæ fundatorum intentioni satisficeret, ex recens efflorescente Augustinianorum Canonicorum familia sodales quosdam anno Christi 1140. illuc misit, iisdemque proprium Præpositum cum certis possessionibus, piorum liberalitate olim Monasterio oblati, concessit. Hanc Canonicorum Regularium in locum

Monasterium
Schlehdorff-
ense.

Colit Cano-
nicos Regula-
rius.

Qui etiam
Schlierseuse.

Schlechdorffensem introductionem Arenbeckius equidem ad tempora S. Henrici Imperatoris reponit: ait Aventinus, Hundius, Brunnerus, Adeltreuterus & alii eam Ottoni nostro melius adscribunt. Eadem Ottonis Episcopi cura erat circa Monasterium S. Sixti PP. & M. Schlierseuse, de cujus fundatione à quinque fratribus facta in gestis Aribonis Episcopi egimus. Illud ipsum enim Monasterium eorumdem Arnulfi mali, ac Hungarorum injuriis vastatum, & à Divi Benedicti norma alienatum, anno 1141. Otto nosse reparavit, Regularibus Divi Augustini Canonicis tradidit, atque vicinis Dominis de Waldeck defendendum commisit. De his iterum Arenbeckius, & scriptores mox laudati videri possunt.

Præpositus
Raitenbue-
chenfis sit
Archidiacono
sua.

Habent Raitenbuechenfes membranae, circa hoc ipsum tempus Rudolphum, tertium loci Præpositum, optimæ vitæ Patrem, ab Ottone Frisingensi Episcopo dignitate Archidiaconi fuisse insignitum; quo sublimi munere deinceps successores eminere, & in hodiernum diem eminent, atque in amplum terrarum spatium sacram illam jurisdictionem exercent.

Sanè quàm sollicità providentiâ Otto suæ quoque Cathedrali Ecclesiæ Frisingensi prospexerit, nemo melius testabitur, quàm Innocentius II. Pontifex Maximus, qui Ottoni Episcopo eodem adhuc anto sequentes literas misit.

Pontifex ad-
juvat Ep. Ot-
tonis Studia.

InnoCentius Episcopus, servus servorum DEI, venerabili fratri Ottoni Frisingensi Episcopo, ejus successoribus canonice substituendis in perpetuum, Ex commisso vobis à DEO Apostolatus officio fratres nostros Episcopos diligere debemus, & Ecclesiis sibi à DEO concessis suam justitiam conservare. Proinde dilecte à Domino frater Episcope Otto preces tuas rationabiles admittimus clementer, & personam tuam cum commissa tibi à DEO Ecclesia sub beati Petri & nostram protectionem recipimus, & presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in presentiarum justè ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitiò, poteris adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. Sancimus etiam, ut in quocunque Episcopatu in fundo Frisingensis Ecclesiæ Monasteria vel Ecclesiæ edificata fuerint * assensu & consilio tuo in eis Presbyteri statuuntur. Jura quoque tuæ Ecclesiæ, quæ venerabilis frater noster Cbunradus Salzburgerensis Archiepiscopus recognovit, & scripti * auctoritate firmavit, * & tuæ Ecclesiæ confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè conturbare, * aut decimas, bona, & possessiones ipsius auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel ab ipsa alienare, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur, tuis, tuorumque successorum usibus profutura. Præterea quoniam advocati ad defensionem statuuntur Ecclesiæ, advocatis ipsius Ecclesiæ * interdicens, ne aliquid * eodem loco, vel rebus ad ipsum pertinentibus inferre, vel aliquid præter jus suum ab eis exigere præsumant. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò, tertiove communita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine DEI & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servandis sit pax Domini * quatenus hic fructum bonæ actionis percipiam, & apud districtum Judicem præmiis æternæ pacis inveniam. Amen.

* al. sint.

* al. sui.
* al. tibi &
commissa.

* al. petur
banc.

* al. omni-
modis.
* aliquid
gravamen.

* al. nostri
Jesu Christi.

Ego Innocentius Catholica Ecclesiæ Episcopus.

Ego

Ego Gregorius Dyaconus Cardinalis Sanctorum Severi & Bacchi.

Ego Geroldus * Presbyter Cardinalis titulo sancte Crucis in Jerusalem.

* et Geroldus

Dat. Later. per manum Baronis Capellani & scriptoris XII. Kal. Decembr. * MCXLI. Pontificatus Domini Innocentii anno XII.

* alibi: In-
dix. V. Inca-
nacioni Do-
minice Anno
MCXLI. Pon-
tificatus vero
Domini In-
nocentii Papae
II. anno XII.

Hoc Documentum non ex autographo, verum ex Libro Traditionum quinto exscriptum nequitiam equidem caret mendis quibusdam. Retendum tamen non erat, tum quia ex eo apparet, Ecclesie Frisingensis bonis eo tempore multos, ac potissimum Advocatos avidè inhuasse, & altiori potestate coercendos fuisse: tum quia in eodem instrumento gratia illa singularis concessa legitur, qua etiam extra Dioecesim Frisingensem Ottoni jus quoddam spirituale circa Clericorum institutionem (in fundis tamen ad Episcopi dominium ac proprietatem pertinens) à Pontifice concessa fuit.

Ad eundem annum pertinere videntur literæ, quas Conradus I. Salisburgensis Archiepiscopus ad Ottonem Episcopum nostrum dedit, è quibus zelus ejusdem Antistitis pro defendendis Ecclesie suæ juribus egregiè elucescit. Quoniam vero satis dignosci hactenus à nobis non potest, quam, vel quasnam Ecclesias literæ illæ concernant, eas in Partem Alteram differimus, ubi eas Lector conspiciet. Subjungimus ibidem Instrumentum, quo Otto Episcopus cum Sigimaro Abbate sancti Stephani bona aliqua cõjuravit.

N. 1316.

N. 137.

Hæc omnia admiratione idcirco sunt digna, quòd acciderint eo ipso tempore, quo gravissima inter Leopoldum Bojarie Ducem, ac Guelphonem VI. Henrici exautorati fratrem dissidia ob Bojarie Principatum exarsere, quæ eousque progressæ sunt, ut Leopoldus Dux, Ottonis Episcopi nostri frater, dum unà cum exercitu suo à Lyco fluvio per fines fundosque Frisingenses Ratisbonam regrederetur, nulla Episcopi fratris sui ratione habita, omnia licentiæ militum permisit, eapropter ab Ottone nostro in suo Chronico perpetuo stigmare inustus. Ipsum Leopoldum paulò post Rarisbonæ infirmitate correptum, cum in Austriam tenderet, 12. Kal. Novembris Altaichii fuisse, mortuum, Adelzeiterus tradit.

Dissidia ob
Ducatum
Bojarie.

Frisingen-
bus pœnicio-
sa.
lib. 7. cap. 25.

Leopoldo Bojarie Duci defuncto, subsequenti anno, Christi 1142. ex Imperatoris Conradi arbitrio in publicis comitiis successit illius, atque Ottonis Episcopi nostri frater germanus Henricus eo nomine XI. Bojarie Dux, tam Henrico Leone, Henrici superbi filio, quam Welfone ejus fratre exclusis. Ea res adeò Welphonis animum exasperavit, ut rursus tracto in Bojariam milite ingentem parti Provincie cladem inferret. Recedentem postea Henricus insecutus, cum per Frisingensem agrum copias duceret, novas non solum incolis & Ecclesiis clades intulit, verum etiam moenia ac munitiones Frisingensis civitatis solo æquavit, quòd cives in Welphonem potius, quam in Austriacum sanguinem proclives viderentur, quippe qui eundem Welphonem testè antehac receperant. Atque hæc ex ipso Ottone nostro Arenbeckius, & qui eum secuti sunt scriptores, desumpsere, fastidiosè Boicis inseruere, quibus non habemus, quod opponamus, ac meritò miramur, inter medios illos tumultus Ottonem nostrum Ecclesiam filialem in *Chevnus*, & Parochialem in *Vilsheim* in honorem sanctæ Mariæ Magdalene consecrâsse, uti in suo Chronico Austriaco Arenbeckius scribit. Falsi etiam Schyrenses memorant, eodem anno Ottonem Episcopum decimas ex Schyrensi, ac Perwilligeni agro Monasterio stabili jure confirmâsse, arque in vicem duos *curiosos* seu prædia in *Vibusen* recepisse. Cæterum eodem anno, Christi 1142. defuncto apud Brixentis Reinberto Episcopo, ex Admontensibus nostris, ut supra diximus, assumpto, susceptus est B. Hartmannus, eousque Canonicorum Regularium Neoburgensis Monasterii in Austria Præpositus, quem in ejus Ecclesie regimine Ottoni nostro successisse alibi diximus.

Novus Boja-
rie Dux.

Nova dissidia.

& Ecclesia-
rum, maxime
Frisingensis
damna.

L. 7. cap. 26.

Otto Episcopus
etiam erga
Schyrenses
beneficent.

B. Hartman-
nus fr. Episcopus
Regularium
sa.

Otto Episc.
varias aras
consecrat.

Proximò annò Episcopus noster in Weihenstephanensî Monasterio aram cujusdam Sacelli in honorem Beatæ Mariæ Virginis: in Monasterio verò Wessofontano sacellum S. Nicolai: ac rursus ibidem aliud sacellum, itidem in honorem Deiparæ pridie Idus Julii consecravit: ita enim Codices tum Weihenstephanenses tum Wessofontani memorant. Ubi nemo non intelligit, Ottoni nostro ad consecranda Altaria in Augustana Diœcesi, ubi Fontes Wessonis scaturiunt, facultatem à Walkero I. ejus temporis Augustano Episcopo concessam fuisse.

Cœlestinus II.
PP.

Eodem anno turbata à civibus Romanis urbis Monarchia Innocentius II. PP. ad cœlestem Hierarchiam transferri optavit, morsque votis ejus morem gessit. Innocentio successit Guido, natione Thulcus, Cœlestinus II. in Pontificatu appellatus.

§. V.

Frisinga ab importunitate Advocatorum liberatur.


Advocati in
Ecclesiis in-
juri.

IN antiquarum Ecclesiarum chartariis atque Codicibus nihil frequentius, nihil amarius deplorari meritò solet, quam quod sacra illa domicilia ab iis, à quibus omnem opem atque defensionem sperare debebant, à propriis, inquam, Advocatis ac Protectoribus tot tantisque bonorum direptiones atque injurias experiri coacta sint. Simile quidpiam inter alios Ecclesiarum Rectores expertus Otto Frisingensis Episcopus, qui eapropter in libris suis passim adversus Ecclesiæ suæ Advocatos graviter ingemuit, ac tandem, ut à tantis molestiis liberaretur, ab uterino fratre suo Conrado Rege, & electo Imperatore obtinuit. Diploma cum Hundio recitamus. Autographum ita habet.

IN nomine sanctæ & indivisæ Trinitatis. Cuonradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Sicut divina præordinante clementia ceteris mortalibus quodammodo supereminemus, sic Ecclesiæ, & Ecclesiasticas personas ab invasioe quorumlibet Regali potentia à Deo nobis concessa defendere debemus. Per hoc enim & temporalia nostra successu nostro regentur prosterro, & ipsius miserante clementia, qui dat salutem Regibus, gloria & honore coronabimur in celo. Noverit igitur omnium tam presentium, quam futurorum industria, qualiter Palatinus Otto de Witelinspach nostra fretus ammonitione, judicariam potestatem quam super ministeriales Ecclesiæ Frisingensis jure Advocatie habere videbatur, prorsus abnegavit, & in presentia Episcoporum, & ceterorum Principum, consensu sibi tamen consensu totius Ecclesiæ convenienti utilitate secundum consuetudinem Curie omninò exstulcavit. Hujus rei gratia petitione Karissimi fratris nostri Ottonis, ejusdem Ecclesiæ venerabilis Episcopi tam pro conservanda Frisingensis Ecclesiæ antiqua libertate, quam pro reformanda pacis tranquillitate constituimus edicto Regali, precipientes, ne prefatus Palatinus vel aliquis Hæredum suorum ullam deinceps judicariam potestatem super Ministeriales Frisingensis Ecclesiæ sibi usurpare præsumat, sed ipsi domino suo Episcopo debita subjectione inserviant, & jura ceterorum ministerialium sine aliqua inquietatione fruantur. Siquis verò, quod absit, hujus præcepti nostri constitutum infringere temparverit, mille librarum auri purissimi componat, quarum partem dimidiam Camera nostræ, reliquam verò prefata Ecclesiæ persolvat. Ut autem hujus præcepti nostri paginam firmam & inconcussa omni tempore permaneat, impressione sigilli nostræ eam insigniri jussimus, manu propria, ut infra apparet, corroborantes. Qui presentes aderant testes subternotari fecimus: quorum nomina hæc sunt: Theodewinus sanctæ Rufinæ Episcopus Apostolica Sedis Legatus. Henricus Ratisponen-

ponensis Episcopus, Embricho Wirzeburgensis Episcopus, Theobaldus Marchio, Fridericus Advocatus Ratisponensis, Henricus Praefectus Ratisponensis, Oudalricus Comes de Lenzeburch, Gebhardus Comes de Sulzebach, Adalbertus Comes de Bogen, & filius ejus Hartwicus, Engibertus Comes Hallensis, Cuonradus Comes de Dacowe, Cuonradus Comes de Valleja, Waltherus de Lovenhusen, Marquardus de Grienbuch, Adelbertus de Mofeburch, Otto de Steina, Pernbart de Egelswanch.

Signum Dni Cuonradi
Romanorum secundi
Regis invictissimi.



Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archi-Cancellarii recognovi. Anno Dominice Incarnationis MCXLI. Indictione V. regnante Cuonrado Romanorum Rege secundo. Anno vero regni ejus III. Data est Ratispone in Christo feliciter. Amen.

Ad eundem annum pertinet notabilis commutatio prædiorum, quam Otto Episcopus noster majoris commoditatis gratia cum Sigimaro Weihenstephanensi Abbate ejusque fratribus fecit. Tradidit Episcopus Abbati Episcopales redditus in *Vetting*, vico, ad pedem montis S. Stephani sito, unacum alia quadam curte, ac pratis quibusdam. Abbas vero Episcopo redhibuit quædam prædia in *Geyslingen*, *Marceling* & abbi. Tractatum illum paulo post Conradus Rex confirmavit. Literas tum commutationis tum confirma-

Otto Ep. fecit commutationem bonorum cum Abbate Weihenstephanensi sigillato.

M. 134. 1319.

Schyrense percelebre Monasterium eodem ferè tempore sequentes literas ab Ottone Episcopo nostro impetravit. Otto DEI gratia *Frisingensis* Ecclesie Episcopus. Dilecto & Venerabili fratri *Ulrico Schyrensum* Abbati, ejusque fratribus regularem & Monasticam vitam in eodem Carnio professis in perpetuum. Quia Divina dispositio nos in hoc mari magno fluctuantes, virorum religiosorum & pauperum Christi concessa orationibus sublevari, eorum quieti & utilitati providere, quantum possumus, & volumus & debemus. Quocirca juxta petitionem tuam, frater charissime, intervenitu Advocati tui viri illustri *Otonis Pal. Com.* Monasterium tuum a strepitu populari sequestramus, & plebem inde in vicinam S. Martini Ecclesiam ejusdem Monasterii fundo superedificatam transferimus, & transmutamus. Statuimus itaque, ut plebanus sacerdos in hac ipsa Ecclesia populo Missas celebret, & sepulturam faciat de plebe, salva tamen in omnibus Monasterii tui reverentia, videlicet in baptismo consecrando, & palmis benedicendis, & in visitandis cum cruce Reliquiis sanctorum in diebus Rogationum, hanc potissimum honori Matris Ecclesie successoribus suis in memoriam reliquimus & justitiam. Nam ut Ministeriales Schyrensum vel quoslibet illorum divina compunctione attentos, sicut aliqua consuetudo habet, apud vos & a vobis sepeliri concedimus. Hoc autem pro amore DEI & pro dilectione tua, ut fratres tibi Deo famulantes perpeti quiete fruantur, tibi tuisque successoribus sanc-

Schyra functiones Parochiales è primaria Ecclesia Monasterii transferantur in proximam Ecclesiam S. Martini, non tamen omnia.

sanctimus, & in perpetuum per presentia scripta corroboramus. Verum ne hujus Præcepti nostri pagina in perpetuum ab aliquo violetur, sigilli nostri eam impressione insigniri, manûque propria, ut infra apparet, confirmantes. Testes, qui aderant, subternotari fecimus: quorum hæc nomina sunt: Ebno Decanus: Engilscalcus Scholasticus, Herwardus Archidiaconus, Ulricus Præpositus sancti Candidi & Archidiaconus. Burckhardus Præpositus S. Viti, Ulricus Præpositus S. Gastuli. Magister Guicmannus Præpositus S. Andreae & Archidiaconus. Sigemarum Abbas. Hermannus Præpositus. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCXLIV. Indiæ. 6. anno autem Domini

** Chartula rini idem est ac Notarius. vide Hist. man. Tom. III. pag. 314.*

Ottonis Frisingensis Ecclesie Venerabilis Episcopi septimo. Data Moseburc per manum Reguini Cartularii * quinto Id. Decembris.

Has Ottonis Episcopi literas exhibet Gewoldus in additionibus ad Metropolin Hundii: è quibus demonstratur, plebem Schyrensem usque ad annum Christi 1144 in primaria Schyrensi Ecclesia, baptismum, cæteraque Ecclesie sacramenta percepisse, exequias celebrasse, ac Divini verbi prædicationi interfuisse non sine incommodo Religiosorum, quibus statim horis pfallendum, cantandum, silendum, meditationibusque sacris vacandum erat. Quod incommodum Udalricus Abbas precibus, Otto verò Episcopus autoritate sua sustulit, Parochialibus illis ritibus atque functionibus ad vicinam Divi Martini Ecclesiam translatis, ubi hodièque frequentantur.

Eodem anno ad superos abiit Cœlestinus II. Summus Pontifex 8. Id. Martii, cum nonnisi Mensibus quinque ad clavum Ecclesie sedisset, insignis fautor atque promotor Cisterciensis Familie. Is successorem habuit Lucium II. Bononiensem, ex Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini assumptum, antehac dictum Gerardum, cum ipsum scilicet, qui, cum adhuc inter Cardinales numeraretur, inter alios Bullæ ab Innocentio II. anno 1142. Monasterio Neocellæ concessæ subscripsit, quam supra exhibuimus.

§. VI.

Ottonis Episcopi nostri itinera Italicum, & Hierosolymitanum; & acta synchrona.

Nonnisi menses undecim & dies quatuordecim in summo Sacerdotio exegisse Lucium II. Pontificem, cum Sigonio ac Baronio Pagus tradit. Diem illius emortualem fuisse 25. Februarii, iidem asserunt. Lucio post pauculos dies successit Bernardus, S. Anastasii Romæ Abbas, Divi Bernardi Abbatis Claravallensis discipulus, in Pontificatu Eugenius III. appellatus. Ad hunc Pontificem, cum is ob turbas Romanas Viterbii moraretur, venisse Ottonem Episcopum nostrum Baronius scribit. Causa itineris non exprimitur. Fortassis inter Bernardum illum, nempe Eugenium, & Ottonem nostrum singularis familiaritas coaluerat, cum uterque in Gallia ageret, ac Cisterciense institutum postea amplecteretur. Sanè quid Viterbii acciderit, cum Otto illuc se contulisset, quantisque diffidus tota serè Gallia collata fuerit, ipsemet egregio stilo exprimit *libro 7. cap. 29. & 30.* ad quæ loca Lectorem remittimus.

Eugenius Pontifex eodem anno bona à Frisingensibus Episcopis, atque Ottonem nostro Monasterio Weihenstephanensi concessa, & factas bonorum commutationes datis literis confirmavit; quas cum in Metropoli Hundii non reperiamus, in Parte Altera ex membranis Domesticis exhibemus.

Interim in hac Bojaria nostra eodem tempore Fridericus Ahenobarbus Suevus Henrico Wolfratshusio bellum intulit: Dux verò Bojarie Henricus infeliciter contra Hungaros pugnavit. Otto noster è turbulenta Italia rever-

Eugenius III. Pp.

Invenitur ab Ottonem nostro.

Confirmatur bona Monasterii Weihenstephanensis.

N. 1320. Turbe in Bojaria & alibi.

sus, sequenti anno, Christi 1146. Historiæ suæ manum ultimam apposuit, ubi, cum penultimo capite variorum exterorum regnorum ingentes tumultus recensisset, metu majorum malorum impendentium percussus subdit, *apud nos verò, inquit, tam tetra jam videtur confusio, ut non solum reliquæ anni circulo prædâ, sed & incendio cuncta permisceam, sed & in ipso quadragesimali & penitentiali tempore contra Divinas & humanas leges deservire non permitteant.* Tantò postremò præteritorum memoria, præsentium incurso, futurorum metu discriminum urgemur, ut responsum mortis in nobis accipientes, etiam tadeat nos vivere, præsertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine, quàm tumultuosissimi Imperatoris fatalenta improbitate, haud diu stare posse mundum putaremus, nisi sanctorum meritis, veræ civitatis civium, quorum in toto orbe copiosa variè & pulchrè distincta florent collegia sustentaretur. Hæc Otto noster, prout quidem contextus editorum exemplarium habet. Ubi utique nemo non mirabitur, quòd Otto Conradum Regem, fratrem suum, tam severâ censura nolet, eumque tumultuosissimum, & sætulentè improbum Imperatorem pronuntiet. Verùm monendum est Lector, Joannem Cuspinianum, qui Ottonis Historiam edidit, rectè in margine annotasse, in aliis Codicibus locò vocabuli *Imperatoris* poni vocabulum *temporis*: ut adeò non *Imperatoris*, sed *temporis tumultuosissimi fatalentam improbitatem* Otto accusaverit, atque ingentia inde evenitura mala animò præfagierit. Certè Conrado, qui coronam quidem Regni, sed non itidem Imperii susceperat, non Imperatoris sed potius Regis titulus ex more ac usu illius ætatis cõpetebat, tametsi non ignoremus, Conradum alicubi & se Imperatorem appellasse, & ab aliis appellatum fuisse. His accedit, quòd eo ipso anno Conradus Pontificis hortatu de sacra adversus Turcas expeditione consilia inierit, eumque in finem Spiræ Comitæ celebrârît, stimulos ingentes Divo Bernardo suggerente; ut adeò non appareat, cur ab Ottone Episcopo, fratre suo, tam acerbè notari potuerit, maximè cum ipse Otto lequenti statim anno Conrado Regi sacri belli socium sese inter tot alios Principes junxerit, velut ipse testatur in Gestis Fridenci primi iis verbis: *Post hæc lib. 1. cap. 40* (nempe anno Christi 1147.) *Princeps* (puta, Conradus Rex) *Bajoariam ingreditur, ibique mense Januario generalem curiam celebravit.* Et paulò post subiungit: *acceptæ crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisbonensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Pataviensis.* Vides, Lector, Ottonem à Conrado nequiquam ita abhorruisse, ut eum tantâ contumeliâ mactaret, qualem quidam Codices librorum ostentant exhibent.

Et quoniam ad narrationem sacre illius expeditionis hætenus devenimus, illud ex ipso Ottone, loco mox allegato, adjungimus, accessisse Regi ac sancto illi fœderi Henricum Bojarie Ducem, Regis fratrem, item Guelphonem Suevorum, Jabeslaum Bohemorum Duces, Odoacrum Styriæ Marchionem, & Bernardum Carinthiæ Comitem. Addit *cap. 42.* Otto noster, non solum ex Romano Imperio, verùm etiam ex vicinis regnis, nimirum ex Occidentali Francia, Anglia, Pannonia aliisque populis innumeros sacre expeditionis famâ commotos fuisse, tantamque inter eas nationes pacem coaluisse, ut non solum nullis sese bellis lacerarent, sed neque quisquam arma in publico gestare vellet. Equidem Henricus Leo, exautorati Henrici superbi filius, eo tempore Bojariam à Rege repetebat. Verùm cum Principum animi toti in bellum sacrum exarsissent, dilata ea causa fuit, ipsæque Guelfo Henrici Leonis Patruus maluit in Asia pro terra sancta, quàm in Bojaria pro suo nepote ferrum stringere. Rex ipse Conradus ut eò esset ad pugnandum, vel etiam ad piè moriendum expeditior, antequam itineri sese committeret, Germaniæ Procures Francofurtum convocavit, atque, iis assentientibus, Henricum filium suum etiamnum puerum Regni Collegam re-

T t nun-

Cui etiam Otto Episcopus se iungit, donec prius quibusdam decimis Capitulo suo.

nuntiavit; qui etiam paulò post Aquisgrani Coronam Regni accepit. Otto quoque Episcopus noster, antequam suis valediceret, Decimas quasdam in *Perchtershausen* Frisingensis Ecclesiæ Canonici dono dedit. Literæ originariæ in Tabulario Reverendissimi Collegii Cathedralis etiamnum asservantur.

In Monumentis Tegernseensibus legimus, hoc eodem anno Ottonem Episcopum cum Conrado Tegernseensi Abbate mancipia quædam permūtasse. Similis itidem mancipiorum commutatio eodem anno inter ipsum Ottonem Episcopum, ad Adelheidem Abbatissam Pataviensem facta est Ratisbonæ, *præsentē ac annuente Serenissimo Conrado II. in conspectu Principum, ac totius curiæ.* Inter testes exprimuntur Henricus Ratisbonensis Episcopus, Reginbertus Pataviensis Episcopus, Eberhardus Babenbergensis, Gebhardus Eistettenfis, & Altmannus Tridentinus. Poppo & Berthold Comites de Andechs, Hartwicus Comes de Pogine, Dipaldus junior Marchio de Voheburg, Otto filius Ottonis Palatini Comitis & alii. De his videat Lector Partem Alteram.

N. 1321.

His ita constitutis Ratisbonæ naves cum suis Rex conscendit, & cum exercitu penè innumerabili tandem in Thraciam, atque Orientis partes pervenit, cum nemo de futuro lætissimo rerum successu dubitaret. Verùm longè aliter res cecidit, puniente Deo peccata populi sui, veluti S. Bernardus postea insigni miraculo demonstravit. Nam & aquarum illuviem ingentem, & Manuels Græci Imperatoris immanem perfidiam in Exercitum immissit. Peremit quàm plurimos panis, calce & gypso à Græcis infectus. Alii ex inundatione contabuerunt: alii ex itinere defatigati malitiâ fraudulentorum viz ductorum in Turcarum insidias delapsi, gladio perire. Equidem Turcæ ad Mæandrum fluvium à nostris cladem maximam passi sunt, & Conradus Rex Hierosolymam venit, quem Otto Episcopus noster secutus est: neque postea ad Damascum infeliciter nostri pugnarunt, ipsique urbi munitissimæ obsidionem admovent. Verùm cum quidam copiarum Duces, à barbaris aurò corrupti, segniùs rem gererent, eoque pacto animi obsidentium in diversa distraherentur, obsidio solvenda fuit, frementibus utique aliis fortissimis Ducibus, quòd ex paucorum avaritia ac præposteris consiliis post tantos labores, ac amissum nobilitatis florem Christianis rebus gloria nulla, nec palmus terræ unicus accessisset, in quo Christiana signa figerentur. Ex tam inausito rerum successu Rex æger animi reditus meditatus, tandem mari, postea terrâ in Germaniam rediit, Salisburgi ferias Pentecostes celebravit, ac deinceps Ratisbonam Comititia indixit. Miratur cum quibusdam aliis Adelzreiteris, cur Otto Episcopus noster non memnerit suæ fugæ, qua is, nostris in Cappadocia profugatis, inter præliantes clapsus, post ingentia viarum incommoda Hierosolymam demùm pervenerit, prout à Chronologo Reichertpergensis scribatur. Ast id mirum non videbitur iis, qui in libris Ottonis advertent, quàm is non fuerit de rebus suis narrandis sollicitus, quippe qui, ubi de Conrado Rege, Leopoldo atque Henrico Bojariz Ducibus, fratribus suis, agit, aut nunquam, aut rarò eos fratres suos appellat, tametsi à Conrado Rege fratris nomen ipse in literis Frisingensi Ecclesiæ concessit retulerit. Unde prædictum Ottonis silentium non ignaviæ, verecundiæ aut oscitantæ, sed potiùs virtuti humilitatis rectè tribuimus: qui tametsi aliorum res aut fortiter geitas, aut magnò animò toleratas in factos suos diligenter retulerit, suas tamen ignorari maluit. Verùm de hac sacra expeditione satis. De ea alii Scriptores pleniori manu agunt, quos Lector contulet.

Sacrae expeditionis exitus infelix.

Cur Otto Episcopus de his que in Oriente passus est, nihil recenset?

Circa idem tempus Otto Episcopus noster suscepit reformationem amplissimi Monasterii Tegernseensis ita in synodo statuente Conrado Archiepiscopo

piscopo Salisburgensi. Eam rem difficultate præcipua non caruisse discimus ex ipsius Ottonis epistola, quàm Is ad Eugenium III. Pontificem scripsit. Ea sic habet:

Venerabili Patri & Domino E. Summo Pontifici. O. Dei gratia Frisingen- Codex 70: gronf. alibi laudatur, pag. 145.

si servus cum debita subiectionis reverentia devotum servitium & orationes. In Synodo Provinciali motum est verbum coram Archiepiscopo & Suffraganeis ejus, quòd in Regalibus Abbatis moderna institutiones & consuetudines Claustralium non servarentur. Nos ergò cum ad nostri Episcopi ejusmodi Abbates, sicut alii fratres ad suos sermonem, super bis questionem dirigeremus cum viris religiosis ad Monasterium N. * Abbatis, & mutationes ali- Conradi. non caret difficultate. que juxta eorum consuetudinem, que hic reprehendebatur, exegimus, Qui responderunt, se nullatenus posse antiqua statuta illius Canobii vel infringere, vel mutare sine magna conturbatione vel potius destructione loci pro eo, quòd & Advocatus graviter ferret, & de familia, qui Ministeriales dicuntur, se usque ad mortem reniti clamarent. Nobis verò cum verbum motum nec leviter esse dimittendum videretur; Abbati verò pluribus ex causis grave vel impossibile esset ad faciendum, vestram appellavimus audientiam. Placuit itaque nobis, Pater & Domine, causam hanc ad vos translatam, qui & prudentiam habeatis & auctoritatem finem imponere. Atamen hoc vestra significavimus prudentia, personam Abbatis nec tunc in Synodo, nec postea de aliquo pulsatum esse, quippe quem longo jam tempore, fratresque suos, aliàs audivimus bonum habere honestatis testimonium. Quid ad hanc epistolam Eugenius III. responderit, quèmq; finem ea causa habuerit, haud equidem constat: illud tamen certum est, Conradum Abbatem Tegernseensem postea ab Ottone fuisse in gratiam receptum: cum quo etiam quendam commutationem Mancipiorum Episcopus fecit.

Interea Salisburgi Conradus Archiepiscopus eo nomine primus anno Christi 1147. ad cœlos transit, de Ecclesia sua, atque Ordine Canonicorum Regularium per Bojariam optimè meritis. Is successorem habuit Beatum Eberhardum, ex Comitibus Hiltpoltseiniis ortum, atque Monasterii Biburgensis Ordinis S. Benedicti Abbatem, de quo, uti etiam de Conrado plura in Salisburgensi Historia Mezgerus noster memorix proxit, & nos suò loco plura memorabimus. Proximò post Conradi Archiepiscopi obitum anno, Christi 1148. Regibertus Pataviensis Episcopus lituum Pastoralem ac vitam posuit, nactus successorem Conradum, Ottonis Episcopi nostri fratrem Germanum, quorum tertius Germanus frater Henricus Bojarix Dux eodem anno cum Theodora Græca, Manuclis Imperatoris Nepte, nuptias celebravit. S. Eberhardus fit Archiepiscopus Salisburgensis. Conradus Ottonis nostri frater fit Episcopus Pataviensis.

§. VII.

Acta Imperii & Ottonis Episcopi ab anno 1150. usque ad 1158.

AD Calamitates Regis Conradi, qui nuper è Syria inglorius redièrat, accessit anno Christi 1150. Mors præmatura Henrici filii, quem is abhinc triennio Regni Collegam Procerum Germanix consensu renuntiaverat. Interim in Bojaria Ottonis Wittelspachii filii ejusdem Regis indignationem sacrarum opum direptionibus provocavere, ut ex Aventino Adelzeitterus advertit. Hinc in Ratisbonensi Conventu in filios bellum, in Patrem verò proscriptio decreta sunt. Ast cum Patrum Ecclesiarum tuelas abdicare demum paratus esset, & filium natu majorem Regi oblidem dedisset, in gratiam receptus est. Eventus variis.

Trajectensis Clerus eodem anno in deligendo Episcopo in diversa studia abripiebatur. Occurrit cum Ottone Episcopo nostro Conradus Rex, ut discordantes ad concordiam reduceret: sed irrito conatu. Proximò annò Henricus Leo, repetiturus Bojarie Provinciam, Conrado Regi, nisi votus eius faventem haberet, bellum illaturus erat. Sed frustra fuit, ac iras & arma Regis in Saxoniã convertit, quanquã majori suã, quã Cæsaris gloriã, quippe cuius conatus insigni astutia Henricus delusit.

Ad hunc annum pertinet id, quod Pagius de Gratiano Benedictino Monacho refert, nõsque in gratiam studiosorum Juris hinc inferendum censuimus, & quidem ipsius Pagii verbis: „Eugenius tertius (inquit) primus omnium Pontificum Romanorum iussit in tribunalibus Ecclesiasticis judicari secundum compilationem Gratiani, de quo Sigonius lib. 2. de Episcopis Bononiensibus scribit: *Anno MCLII. Gratianus, Monachus in Monasterio S. Felicis, Decretum, id est, Juris Pontificii volumen insigne, quod extat composuit &c.* subdit Pagius: Eugenius veritus, ne Jus Canonicum videretur, quia omnes studiosi ad Civile recens digestum se conferebant, suggerente Gratiano gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quã profectus, scilicet Baccalaureatus, Licentiatús, & Doctoratus, ut hocce specioso titulo studiosos ad Jus Canonicum amplectendum excitaret, & Privilegiis accenderet. Ita Pagius.

Proximò annò Christi 1152. dum Conradus Rex expeditionem in Italiam parat, moritur non sine veneni suspitione. Is valediturus Mundo Regni insignia non filio Friderico, quippe per ætatem gerendis Imperii negotiis impari, sed Friderico, fratris filio, consignari iussit, quem tanto promptius probarunt congregati Electores, quod Matre Guelpha, Henrici nigri filia, natus esset. Inter hos Electores Baronius, Palatius, & Goldastus Ottone nostrum numerant, & ipse videtur prodere, dum in Gestis Friderici lib. 2. cap. 2. de hac Electione hæc posteris commendavit: „Hujus contestationis, inquit, in illamque tam unanimis assensus ratio, ut recolo, hæc fuit. Dux in Romano Orbe apud Gallæ, Germaniæve fines famosa familia hæctenus fuit, una Henricorum de Guebelinga, alia Guelsonum de Altdorffio. Altera Imperatores, altera Magnos Duces producere solita. Iste, ut inter viros Magnos gloriæque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem æmulantes, Reip. quietem multoties perturbarunt. Nitu verò DEI, ut creditur, paci populi sui imposterum providentis, sub Henrico V. factum est, ut Fridericus Dux, Pater hujus, qui de altera, id est, Regum familia descenderat, de altera, Henrici scilicet Noricorum Ducis, filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui in præsentiarum est, & regnat, generaret. Principes ergò non solum industriam ac virtutem jam sæpè dicti juvenis, sed etiam hoc, quod utriusque sanguinis consors, tamquam angularis lapis, utrorumque horum parietum dissidentiam unire possent, considerantes caput regni eum constituere adjudicarunt, plurimum Reipublicæ profuturum præcogitantes, si tam gravis, & diutina inter Maximos Imperii Viros ob privatum emolumentum simulas, hæc demùm occasione Deo cooperante sopiretur. „ Hæc Otto noster.

Eodem anno, ut habet Baronius ex eodem Ottone nostro, Fridericus Rex Dissidentibus in electione Archiepiscopi Magdeburgensibus electoribus, Guicmannum Cicensem (id est, Naumburgensem) Episcopum ad eam sedem transferre conatus est: neque id tum quidem improbavit Episcopi, sed tamen ea super re datis literis monendum esse Summum Pontificem censuerunt. Is eo facto vehementer commotus, Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo, aliisque Episcopis, & inter hos etiam Ottoni nostro Frisingensi dolenter conquestus est, quod Regus quã Pontificis in ea translatione studiofiores

Origo Graduum Academicorum in Scholis Jura Canonici.

Eligitur Fridericus Bar. boffia.

Translatio Guicmanni Episcopi improbatæ à Pontifice.

diores fuissent, gravissimè eos adhortando, ut saniora deinceps Consilia Regi suggererent. Sanè quem finem negotium habuerit, Baronius ibi non explicat. Unde nec nos anxii sumus de eventu, qui illustrandis rebus Frisingensibus nihil admodum conferre posse videatur.

Anno subsequente à duobus Cardinalibus Romà in Germaniam missis Henricus Moguntinus Archiepiscopus è sede sua quonur. è Moguntina sede ejectus fuit Henricus Archiepiscopus, quem nonnulli innocentem fuisse scribunt, & secutà Divinà in eos Cardinales vindictà confirmare student. Ast Otto noster Frisingensis Episcopus factum neutiquam improbat, sed Henricum Archiepiscopum vocat *Virum, pro distractione Ecclesie frequenter correptum, nec correctum.* Baronius iniuper fabulo sanè esse demonstrat eam vindictam Divinam, quæ Cardinales illos opprefferit, cum eorum uterque superfuisset post illud tempus, quo miserè perisille ab aliter scribentibus Historicis dicuntur. Illud certum est, Eugenium III. Pontificem rebus humanis valedixisse 8. Id. Julii prædicti anni, 1153. in cujus Anastasius IV. PP. locum successit est Anastasius IV. Romanus, ut cum Baronio Pagius docet. Sunt, qui eum Benedictinæ familiæ ante Pontificatum adscribant, dum alii eundem Canonicum Regularem fuisse asserunt. Utamque tamen sententiam Pagius impugnare videtur, qui consuli potest.

Eodem anno mense Decembri Bojaria equidem Goslaræ adjudicata fuit Henrico Leoni. Verùm cum Henricus Austrus, qui rerum in Bojaria potebatur, in Comitibus nunquam comparuisset, tum quidem Henricus Leo Bojaræ Principatum adire nondum potuit.

Secuta est anno sequenti, Christi 1154. Mors Anastasii Papæ IV. cum nonnisi unicum Pontificatus annum explevisset. Is Petri Cathedram reliquit Hadrianus IV. PP. Hadriano IV, ex Regularibus Divi Augustini Canonicis assumpto, qui proximo anno Friderico Regi Romæ Coronam Imperii imposuit, quo tempore Otto Wittelsbachius, & Henricus Leo illustrissima in Italia facinora edidit. Novus Imperator in Germaniam reversus id potissimum egit, ut litem inter Henricum Austrum, & Henricum Leonem super Bojaræ ducatu componeret. Id cum operâ Ottonis Episcopi nostri obtinere non posset, uti Otto ipse testatur, tandem assecutus est, cum Austriam, quæ hæcenus Præfectura limitanea, & appendix Bojaræ fuerat, ad Ducatum excellentiam evectam eidem Henrico Austro concessisset, isq; vicissim Bojariam ejurasset, atque Leoni reliquisset. Cæsareum ea super re Diploma sanè memorabile Arenbeckius in Chronico Austriaco apud Claris, P. Hieronymum Pezium, & Stero Althahensis Monachus in suis annalibus exhibet: ubi inter alios Principes etiam Otto noster velut testis numeratur.

Illustre istud factum Imperatoris erat: turpe verò illud, quo Cæsar repudiata legitima conjugè Adelheide Vohburgia, Beatricem, (quam alii Turpia Regis facta. Agnetem vocant) filiam Comitum Burgundionum duxit: turpissimum verò, quod, cum eam ob rem pro merito reprehensus à Pontifice fuisset, Fridericus *id egeret ferens, Cardinalibus Romanis introitum Civitatum & Ecclesiarum Regni sui interdixerit*, ut Pagius ex Membris Assigementibus scribit.

Dum hæc ita in Italia Germaniæque gerebantur, anno Christi 1154. Otto Episcopus noster Monialibus inclyti Monasterii in Chiemsee perquam beneficium sese exhibuit, quod discimus ex ejus literis, quas Gewoldus Tom. II. pag. 241. N. 1322. Tom II. Metropolis Salisburgensis inseruit, nos verò ex eo in Parte Altera exhibemus.

Anno Christi 1156. Ottonem nostrum unà cum adjutore Episcopo Brixinensi Hermanno consecrâsse Monasterium Dietram Cellæ, Hundius scribit: Brunnerus verò benè notavit, eundem Ottonem eodem anno finem fecisse scribendi res gestas Friderici, à Doctissimo Radevico, Frisingensis majoris Ecclesiæ Canonico, &, ut quidam addunt, Præposito, continuan-

nundas. Portò Radevici Frisingensis scripta ad illustrandam Ecclesiasticam ejus temporis historiam summâ diligentia Baronius adhibuit, eâque insertis eruditissimis animadversionibus interstinxit, verùm de his paulo infrâ sub locò. Nunc ad viciniora convertimur, quæ hoc eodem anno accidere inter Ottonem Frisingensem, & Hartvicum Ratisbonensem Episcopos super certis utriusque Dioceseos limitibus. Rem eam melius nunquam explicabimus, quàm verbis S. Eberhardi Salisburgensis Archiepiscopi, & Godehardi eo nomine primi Abbatis Admontensis, quorum arbitrio causâ decidenda ab utroque Episcopo commissa fuerat. Ii sic habent :

Termini ac
limites Dio-
cesium Frin-
gensis & Ra-
tuboenfis.

Eberhardus DEI gratiâ Salisburgensis Ecclesie Episcopus, & Godehardus eadem gratiâ Admontensis Monasterii Abbas omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quàm futuris in perpetuum. Quoniam ea, quæ vel consilio terminantur, nè à memoria excidant, in scripta sunt redigenda. Ideo causam illam, quæ inter Venerabiles fratres nostros Ottonem Frisingensem, & Hartvicum Ratisbonensem Episcopos de terminis Episcopatum actenus ventilata est, qualiter à nobis terminata sit, universitati vestre significamus. Uterque namque Episcopus fide data in manus nostras consentiente utraque Ecclesia compromisit, ut quicquid de eadem controversia iudicio vel consilio diffiniremus, ratum haberet & observaret: & siquæ eorum à nostro consilio vel sententia recederet, alteri centum libras persolveret, & nobis tantundem. Tali securitate accepta partes diligenter & sufficienter bine inde audivimus, testibus etiam studiosè examinatis & susceptis, communicato consilio cum viris Religiosis & sapientibus, qui tunc aderant, tale dedimus consilium, ut Ratisbonensis Ecclesia terminos illos, qui in controversia erant ex parte Aquilonaria fluminis Ijara, quietè & pacificè possideret. Frisingensis verò Ecclesia ex parte Australi ejusdem fluminis Ecclesiam Termarsebirchin cum populo, qui est inter eandem Ecclesiam, & Frisingensem Episcopatum ad partem occidentalem ejusdem Ecclesie cum duobus aliis Ecclesiis Bercheim & iterum Bercheim quietè possideat. Populum autem, qui est inter prædictam Ecclesiam, & Ratisbonensem Episcopatum à parte Orientis prænominate Ecclesie, Ratisbonensis Ecclesie pacificè detineat. Dos verò earundem Ecclesiarum in cujuscumque terminis jure fundi ad easdem Ecclesias pertineat. Hoc nostrum Consilium uterque Episcopus consentiendo approbavit, & à fide, qua sibi invicem, & nobis tenebantur, ad petitionem eorum ipsos absolvimus. Hec igitur, quæ à nobis tali consilio terminata sunt, ut firma & illibata in futurum permaneant, literis annotari, sigillo nostro communiri fecimus. Anno ab Incarnatione Domini MCLVII. Indiæ. V. VIII. Kal. Junii, anno Domini Eberhardi Salzbergensis Archiepiscopi XI. actum Hobenourwe feliciter. Amen. Hæc ex libro Traditionum Frisingensium quarto seu Magno deprompsimus, qui manu cœva Conradæ Sacratæ conscriptus fuit.

Offenditur
à Rege Pon-
tificæ.

Dum eum in modum Frisingensis & Ratisbonensis Episcopi prudentissimè conciliantur, lites Pontificem inter & Imperatorem excrevere. Londoniensis Episcopus à liminibus Apostolorum redux in Imperatoris ditione à Cælareanis interceptus, custodiæ mancipatus, atque indignissimè habitus fuerat. Neque id ignoravit Fridericus, sed Episcopum in arcta custodia detinuit, nullus planè criminis reum, quàm quod Summum Pontificem veneratus fuisset. Id non potuit disimulare Adrianus Pontifex, sed literas ad Fridericum dedit, quibus de captivitate innocentis Episcopi conquereretur, indignum asserens, quòd Ecclesia tam atrocia pateretur ab eo, cui paulò antè Imperatoriam coronam imposuisset. Paterna hæc correptio adeò nihil in superbi juvenis Imperatoris animo effecit, ut is potius in Pontificem, ejusque Legatos vehementissimè exarserit, datisque eucyclicis literis Imperii ordines adversùs Papam concitaverit, nequissimè silendo causam, cur à Ponti-

Pontifice correptus fuerit, & illud unicum iniquè exaggerando, quòd ipse Imperii honorem non à Pontifice (ut Adrianus iactaret) sed à DEO, atque Electoris accepit. Porro ut veritatis speciem stolidæ querelæ suæ Imperator illineret, voculam *beneficium*, quo usus fuerat in literis Pontifex, in pessimum sensum violenter detorsit, scripsitque Principibus, contendere Pontificem, quasi Romanum Imperium conferretur à Papa instar *beneficii*, id est feudi: quod tamen Pontifici nunquam in mentem venerat.

His Romam delatis meritò commotus Pontifex ad Germaniæ Episcopos literas dedit mænore plenas, hortatus illos, ut omni studio Imperatori saniora consilia suggererent. Quod quidem illi naviter executi, rescripsere Pontifici, Imperatorem *debitam Patri suo* (Hadriano) *reverentiam libenter exhibere: liberam Imperii coronam Divino tantum beneficio adscribere: electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo: deinde, quod superest, cæteris secundum ordinem Principibus recognoscere, Regalem unctiorem Colonienfis, suæremam verò, quæ Imperialis est, Summo Pontifici etc.* Superesse tantum, ut Pontifex priores literas novis literis benignè interpretetur.

Audit consilium optimum Pontifex, novæque epistolæ genuinum sensum Imperatori explicavit. Ea Pontificis epistola cum Imperatori fuisset exhibita, Ottoni Episcopo nostro Frisingensi, ceu Episcoporum doctissimo, tradi iussit, ejusque censuram requisivit. Otto ea occasione prudentissimè usus, optima quæque Imperatori nuntiavit, tantumque valuit, ut demum Fridericus cum Adriano in gratiam tum quidem redierit, Legatosque Pontificios Regiis etiam muneribus affectos benignissimè dimiserit. Ex quo nemo non agnoscat, quanto beneficio Pontificem atque Imperatorem, totamque Ecclesiam Otto Episcopus devinxerit.

Circa idem tempus, ut scribit Radevicus, Labeslaus, è Duce Bohemiæ Rex ad Imperatorem, & Imperii Primoribus renuntiatus, Ottonem Episcopum nostrum, & fratrem illum Henricum Austriz Ducem, prædia Frisingensis Ecclesiæ sibi usurpare ausum, ad pacem & concordiam revocavit. Vetus Poëta Ligurinus, Cisterciensis Ordinis Monachus, eam duorum fratrum reconciliationem verbis exornavit, sic canens:

*Nec minus egregium dictu, pulcherrimæque putamus,
Quòd Patrus Regis, Dux Austris, atque Frisinga
Præsul sedis Otbo studio curaque Nepotis
In pacem redire bonam, quos ante feroces
Frarum stimuli, fraternæque rixa cruentis
Vexabat odis, cum Dux abruptere quadam
Fratris ab Ecclesia per vim tentabat: at ille
Prisca sua sedis certabat jura tueri.*

Hæc Poëta ille penè coxvus.

Eadem, ut videtur, tempellate Otto Episcopus Lotharium, Rotensis Monasterii Abbatem, tum fratribus suis, tum Ottoni Witzelpachio Palatino, postea Bojariz Duci, conciliavit. Lotharius Abbas Ottoni Palatino vendiderat prædium in Niuvarn absque præscito atque consensu Congregationis suæ. Palatinus insuper prædium equidem sibi usurpavit, aut pecuniam pactam Abbati minimè numeravit. Rotenses itaque ad Pontificem appellaturi erant, nisi Otto Episcopus sese interposuisset. Is itaque unâ cum Lothario Abbate Palatinum multis ac frequentatis precibus, ac proposito etiam animæ periculò convenit, ut prædium Rotensi familiæ restitueret. Annuit tandem Palatinus, ac prædium legitimis Dominis reddidit, ea tamen conditione, ut idem prædium sibi jure emphyteutico concederetur, is verò singulis annis in festo Epiphaniæ Rotensibus nostris talentum argenti offerret. Tractatus ille super Reliquiis

Otto Episcopus Imperatorem conciliavit cum Pontifice.

Ipsè Otto Episcopus conciliavit cum fratre suo Duce.

Transiit inter Rotensium Monasterium & Ottonem Witzelpachium.

Sancto

Sanctorum Marini & Aniani (Rotensum Patronorum) Frisingæ conclusus est, multis nobilibus testibus presentibus. Chartam in Parte Altera exhibemus.

Idem Otto Episcopus tractatum, ab Henrico Episcopo, Decessore suo, cum Abbate Conrado Benedictoburano initum, confirmavit, quo prope Vallensem Lacum (Walhensee) fundus inter Benedictoburanos atque Schleichdorffenses piscatores divisus est, uti in superioribus exposuimus.

Cum anno Christi 1156, Fridericus Imperator Wirzburgi Cœnobio Berchtesgadeni in solenni Principum Conventu bona sua confirmasset, etiam Otto Episcopus noster literis subscripsit. Diploma Gewoldus in Additionibus ad Hundium exhibet.

Tom. I. pag. 177.

Prærogativa Collegiæ Ecclesiæ S. Andree Frisingæ.

Anno proximo Christi 1157, Otto Episcopus noster Collegium Insignis Ecclesiæ Divi Andree Frisingæ in singularem suam protectionem suscepit, bona confirmavit, eidemque primum post Cathedrali Collegium locum adjudicavit. Literas Gewoldus in additionibus ad Hundii Metropolim recitat, quæ sic habent :

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto DEI gratiâ Frisingensis Ecclesiæ Episcopus dilecto filio Ottoni Præposito Ecclesiæ sancti Andree, fratribusque suis Canonicis presentibus & futuris ac successoribus Canonicè substituentibus in perpetuum. Licet omnibus Christianam fidem & charitatem debeamus, ex officii tamen nostri debito tenemur, ut eorum, qui specialius nobis atinent, utilitatibus provideamus, ut eorum justis precibus animum inclinemus. Proinde dilecte in Christo fili Otto, ob amorem DEI, & petitionem tuam, Ecclesiam S. Andree cum omnibus suis possessionibus, sub nostram protectionem suscipimus, eamque presentis pagina privilegio communitimus, statuentes, ut universa bona sua, vel quæ nunc habet, & possidet, vel in futuro largitione cuiusquam justè & legaliter habitura est, rata sibi & integra permaneant, tibi tuorumque successorum Præpositorum & fratrum usibus idoneis jugiter profutura. Ea quoque, quæ bonæ memoriæ Antecessor noster Ellenbardus Venerabilis Episcopus, aliique Antecessores nostri in arceis, decimis, vinetis, mancipiis, aliisve possessionibus pia vobis devotione contradiderunt, seu congrua commutatione & concambio contulerunt, nos etiam vobis concedimus & confirmamus, videlicet arces, quæ vel in monte Frisingensi, vel infra montem sive possidetis, & in Montanis Tholbach, Cheines, vel extra montana Humblin cum decima Geisingen, cum decima Dorffen, cum decima Tugilbach, cum decima Holzhausen, cum decima Brittenbach, cum decima, & præter hæc, quam nos vobis concessimus arcam Laurentii. Præterea possessionem juris & dignitatis, inter alia Ecclesiæ post primam, sicut in nostra presentia canonicè obtinistis, vobis recognoscimus, quod videlicet in celebrandis ordinibus in annotatione post sedem Cathedrali primum locum in processione solenni Præpositus vester alius Præpositus præferatur, in refectorio accubitus, qui principali oppositus est, habeatis, nisi fortè alia sibi Ecclesiæ, quæ antiquioribus se in hujusmodi gaudere privilegiis valeat ostendere, & legitime comprobaverit. Siquis autem huic nostræ institutionis privilegio temerè contraire voluerit, tanquam prævaricator Divino examini se rationem redditurum cognoscat; conservantibus autem eam apud eum, qui retributor omnium bonorum est, fructus & premium maneat æternæ remunerationis. Signum Domini Ottonis Frisingensis Episcopi. Item Ego Adalbertus Majoris Ecclesiæ Præpositus. Ego Adalbertus Majoris Ecclesiæ Decanus. Item Ego Engilscalcus Majoris Ecclesiæ Scholasticus. Item Ego Herrandus Archidiaconus. Item Ego Hoboldus S. Zenonis Præpositus. Item Ego Beracholdus Majoris Ecclesiæ Notarius. Item Ego Arnoldus Archidiaconus. Item Ego Rapoto Abbas S. Stephani. Item Ego Haremodus S. Viti Præpositus. Item Ego Hermannus Præpositus S. Petri. Item Ego Udalricus

S. Arsa.

S. Arfacii Præpositus. Item Ego Henricus S. Dionisii Præpositus. Anno Domini Incarnationis M. C. LVII. anno autem Domini Ottonis Frisingensis Ecclesie * decimo nono, Indictione V. Data VIII. Id. Novembr. Actum * adde Episcopi.
Frisinge in nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

§. VIII.


Acta Ottonis Episcopi ultima.

PAUCULIS annis, antequam è vita Otto noster migraret, Henricus Leo, Henricus Leo pontem Veringensem deiecit. Bojarie & Saxonie Dux occupata ex improvise Veringâ, Frisingensis ditionis oppidò, pontem Ilaræ ibidem impositum demolitus est: id quo consilio factum sit, ex Boicis Scriptoribus, Lector, accipe. Reichenhalla oppidum est in Bojaria ad pedem Alpium Noricarum sita, in qua mirabili DEI munere bullit fons aquæ salustimæ, ex qua sal candidissimus ignis beneficio excoquitur, neque per Bojariam tantum venditur, verum etiam ad Suevos, Rhetos, Helvetos, Francones, & Rhæni accolæ deportatur. Salinaria dolia, uti etiam aliarum mercium rerumque onerarii currus olim usque ad Ottonis Episcopi nostri tempora ad supra dictos populos per Veringensem pontem devehebantur, unde ex Vectigalibus grande æs Frisingensibus Episcopis accesserat. Illud portorium ne Bojarie Duces deinceps cogentur pendere Episcopo, Henricus Leo, ut diximus, Veringensem pontem deiecit, aliumque propè villam, München dictam, quæ, ut alibi retulimus, anno 782. Scheftlariensi Monasterio donata fuerat, Ilaræ fluvio imposuit. Inde ingens litis materia excrevit, quam etiam Otto Episcopus noster ad Imperatorem, Principumque Conventum deferre coactus est. Sanè quid in Principum præsentia Imperator statuerit, non nostris, sed Cæsaris verbis unà cum Hundio exponimus. Ea in autographo sic habent:

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Fridericus, Divina favente Imperator composuit librum. Clementia Romanorum Imperator & semper Augustus, dilecto patri suo Ottoni Frisingensi Episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Ex quo Divina benignitate Romani Imperii gubernacula tenemus, dignum est, ut ejus opitulatione, quantum possumus, quieti temporum, & paci Ecclesiarum curemus providere. Ita enim & in præsevi commissum nobis orbem pacifice gubernari, & in futuro à Rege Regam sempiternæ retributionis præmiò donari speramus. Inde est, quòd controversiam, quæ inter te, Karissime patre, qui in præseviarum Frisingensis Episcopatus geris dignitatem, & nobilissimum consanguineum nostrum Henricum Ducem Barvarie & Saxonie super foro apud Veringen & München dignoscitur agitari, ita coram nostra & Principum præsentia decidere curavimus, ut deinceps omnis contentio, quæ ob hanc rem inter vos haberi posset, sublata credatur occasio. Hujus autem transactionis utriusque vestrum assensu, & voluntate celebrata talem fuisse tenorem præsentibus innotescat & futuris. Forum quod esse solebat apud Veringen, & pons ad Theloneum de cætero jam ibidem non erit, neque moneta. In ejus autem rei recompensationem consanguineus noster Henricus Dux Ecclesie Frisingensis contradidit tertiam partem totius utilitatis, quæ provenire poterit de Theloneo fori sui apud München, sive in tributo salis, sive aliarum rerum magnarum vel minutarum seu venientium, seu inde redeuntium. Thelonearium verò aut suum habebit uterque vestrum pro beneplacito suo, aut, si hoc visum fuerit, ambo unum, qui teneatur utrique vestrum ad respondendum. De moneta similiter erit, quod tertiam partem ejus pensionis Episcopus accipiat, due in usus Ducis concedant. Hoc autem fideliter ex parte
R. P. Caroli Meidbeck Hist. Frising. Uu Ducis

Ducis laudatum est, ut sine dolo & malo ingenio singula hac Ecclesie Frisingensium in perpetuum absque contradictione persolvantur. Moneta tamen ad arbitrium Ducis locari debet. Denique monetam Frisingensem ad voluntatem suam locabit Episcopus, tertiam tantum sue redditionis partem Dux habebit nomine feudi, concessurus, sicut & modo concessit cuilibet hoc ipsum, sine multum sine parum ad petitionem Episcopi. Statuimus ergo, & presentis instrumenti paginam roboramus, ut hujus conventionis hinc inde pari convenientia facta ratum & inconvulsam omni tempore maneat firmamentum, & uterque vestrum, quod accepit, teneat, & quiete possideat, vestris, vestrarumque successorum usibus jugiter profuturum. Porro ne hujus facti memoria futuris quibusque temporibus obliuisceretur, scripto notari, ac sigilli nostri impressione muniti, manuque propria, ut infra apparet, corroborantes, testes quoque, qui aderant, subnotari fecimus, quorum nomina hec sunt. Arnoldus Moguntinensis Archiepiscopus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, Geuchardus Werzeburgensis Episcopus, Hermannus Vardensis Episcopus, Cuonradus Augustensis Episcopus, Everhardus Bavenbergensis Episcopus, Fridericus Dux Suevorum, Herimannus Marchio Veronensis, Tidericus Marchio de Lusiz & frater ejus Heinricus. Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Reinaldus Cancellarius vice
Dni Moguntini Archiepiscopi &
Archicancellarii recognovi.



Dat. Auguste XVIII. Kal. Jul. anno Dominica Incarnationis MCLVIII. Indict. VI. Regnante Friderico Romanorum Imperatore Augusto anno Regni ejus VII. Imperii vero III. Amen.

Rebus ita constitutis Veringa publicis judiciis & conventibus, nec non mercatura, & officina monetaria olim percelebris, & Antonino (ut videtur) *Isanica* dicta, totum illud decus suum amisit, quod deinceps ad villam München translatum est, quam postea in urbem mutatam fuisse, suo loco monebimus. Sanè num Imperatoris Diploma Henrico Leoni, an Ottoni Episcopo faventius fuerit, prudens Lector judicabit. Ea de re in consequentibus plura memorabimus.

Operum ultimum egregii Antistitis Ottonis fuisse Brunnerus scribit, quod is Legatorum Pontificiorum (qui videlicet ad Cæsarem cum Adriani Itheris venerant) familiari usu captus, ex eorum sententia Frisingense Canonicorum Collegium, iisdem tum ædibus, & communi foco utentium, innovato veteri jure, & aliquot capitibus aucto, ad religiose disciplinæ cultum velut nova face accenderit. Constitutionis Ottonianæ verba dudum Hundius in Metropoli retulit, ac nos velut rem ad nostrum institutum omnino pertinentem, hic recitanda censuimus.

Otto Episcopus circa Cæthredrale Collegium salicinus.

Institutio Ottonis Episcopi De utilitate Frisingensis
Ecclesie.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto DEI gratia Frisingensis * Episcopus alibi addit: *Ecclie.*
 scopus dilectis in Christo fratribus Alberto Præposito, & universis sancte DEI
 Genetricis Mariæ * Canonicis, eorumque successoribus Canonice substituendis in * alibi add.
 perpetuum. Divina nos adhortante commotione omnibus hominibus debemus *ejusdem Ecclie.*
 affectum caritatis, effectum verò specialius his, qui aut fidei domestici sunt, aut
 quibus ad arctiorem curam per Episcopalem sollicitudinem deputati sumus. Ea-
 propter Karissimi fratres vera * salutis, vestrisque utilitatibus pro debito nostro * al. vestra
 jugiter invigilantes, temporalium vobis, quantum valeamus, necessitudinum cura
 ram imminuere curamus, ut spiritalibus disciplinæ, & honestioribus studiis
 operam diligentius inuendatis. Consultis itaque Venerabilibus Dominis Hainrico
 & Jacyntho sancte Romane Ecclesie Cardinalibus, & Legatis, qui hoc tempo-
 re in Regno Deutunico legatione fungebantur, & eorum adhibita auctori-
 tate antiquis & rationabiles Ecclesie vestre consuetudines, quæ, ut dicitur, legem
 imitantur, volumus à Fraternitate vestra diligenter observari: videlicet
 modum psallendi in choro, reverentiam in Capitulo, dormiendi in dormitorio
 omnibus, exceptis infirmis, & his personis, quæ se speciali jure exinde
 defendere possunt, contemptores regulari disciplina subjaceant. Pueros &
 adolescentes, qui pro ætatis lubrico ad malum lascivie proni sunt, scholasticæ
 disciplina subjacere * volumus, donec ad ordinem subdiaconatus promovean-
 tur. tempore congruo, nec occasione discendi foras eos evagari ante hoc tempus
 concedimus. Sanè de stipendiis, quæ ad communem præbendam pertinent, sive
 in mancipiis sive in aliis redditibus illud * ut ubicunque ad singulares cujuspiam * Statimus.
 usus concessa sunt, si vacare ceperint, nemini beneficentur, sed ad communem
 fratrum utilitatem deputentur, nisi forte ad tria vel quatuor mancipia
 quotidianis * usibus necessaria. Pro bono tamen pacis ea, quæ in præsen-
 tiarum ab aliquo vestrum de hujusmodi canonicè possessa sunt, suis possessoribus
 quietè habere concedimus. De his autem prædiis, quæ ad oblationem perti-
 nent, vel in futurum largitione cujusquam Ecclesiasticæ, secularisve persone
 pertinebunt: decernimus, ut hi, qui ea justè tenent, teneant, & quæ ex eis va-
 care ceperint, passim non quibuslibet beneficentur, sed his, qui à subdiaconatu
 & supra idonei, & probate fidei sunt, * & qui dimidium pensionis * ejus-
 dem beneficii pro servitio primivis inde statuo singulis annis fratribus in me-
 moria defunctorum exinde persolvere voluerint, salvâ justitiâ eorum, qui
 cognationis ordine sibi in aliquo prædio poterunt descendere ex delegato jurisdic-
 tionem. Sancimus etiam, atque presentis scripti paginâ confirmamus vobis
 universa bona, quæ hæcenus Venerabilium atque Catholicorum Antecessorum
 nostrorum vobis donatione concessa sunt, vel legitima commutatione provenie-
 rent in decimis, areis, cultis arvis & incultis, ne nos, vel quilibet successo-
 rum nostrorum, quæ presentialiter possidetis, vel in posterum Canonice acqui-
 sivi estis, ea vobis diminuere, vel in eis aliquo modo * infestare presumat, * vol.
 sed omnia rata, integra, illibataque permaneant, vestris, vestrorumque succes-
 sorum idoneis usibus jugiter profutura. Præterea, quæ vobis nos liberalitate
 concessimus, videlicet dotem Ecclesie, quæ est in prædio Decani Al. apud
 Edesbach, & beneficium Gebb. presbyteri * decima illa apud Tamne, & be-
 neficium Ugonis Diaconi apud Haselpach cum mancipiis & beneficium Albuoni-
 us præpositi Mosburgensis, quæ est decima Aspach & Eieb, & beneficium unum
 apud Mittenwade, * & Ecclesiam Zollingen cum aliis, sicut ea habet in
 presentiarum dilectus frater noster Al. præpositus majoris Ecclesie, Ecclesiam
 apud Huga cum suis Ecclesiis, omnibusque earum pertinentiis, dotibus & de-
 cimis, ceterisque utilitatibus vobis contradimus, statuentes, ut ad usum præ-
 bendæ vestre, quam novam oblationem vocatis, cedant, & omnia vobis quietæ
 R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Uu 2 & in-

& incorrupta permaneant. Sanè & qua in prasenti ad eandem oblationem collata sunt, & in futurum cujusque liberalitate conferrentur, cuiquam beneficiari omnimò prohibemus, & prapostorum ad * hisdem possessionibus dominium & ordinationem removeri volumus, sed sint in fratrum dispositione per officialem Canonicum, quem ipsi statuerint, fideliter amministranda. Ad hac fraternitatis vestra honestati modis omnibus providentes areas vestrae in monte hoc, quae vel bodierna die in possessione vestra sunt, vel adhuc ab hiis Laicis seu nobilibus, seu Ministerialibus, quibus in feudum per vestrum studium bona * voluntate redimentur, vobis contradimus, videlicet, ita, ut quicunque vestram domum suam Concanonico suo * dederit, vel in testamento dimiserit, idem sine contradictione alicujus possideat, & aream, exceptis ad portam occidentalem tribus, videlicet ea, quam habent filii Ottonis Palatini Comitis, & quae est Comitis Gerb. de Obregelingen, & quae est Rudolphi de Pastperch, & ad portam orientalem, * quam habet Magister Engelscalcus, & quam habet Burchardus Advocatus Mosburgensis, quae ob tuitionem civitatis de jure Laicorum exui volumus. Solis autem Canonicis inter se, & non ad externos Clericos seu Laicos presatam donationem facere concedimus. Quodsi quis Canonicorum intestatus obierit, in potestate Prapostii & fratrum sit concedere domum & aream, * cui illis placuerit. Si qua ergo persona hanc nostram traditionem hujusmodi * nostri scripti paginam sciens temere * infringere prapsumserit, nisi commonita resipuerit, ream se coram Divina Majestate recognoscat. Conservantes autem in prasenti pacem, & in futuro fructum sempiterna retributionis inveniant.

Signum Domini Ottonis
 Frisingensis Episcopi.

Data per manum Radrwini Notarii. Actum Dominicae Incarnationis anno MCLVIII. Indiæ. VI. anno autem Domini Ottonis Frisingensis Ecclesia Episcopi XVIII. Regnante Serenissimo Imperatore Friderico. Anno regni ejus VII. Imperii autem IIII. in Christo feliciter. Amen.

§. IX.

Ottonis Magni, Episcopi Frisingensis scripta.

Scripta Ottonis edita.

DE Ottone Episcopo nostro Guilielmus Cave in sua Historia literaria scriptorum Ecclesiasticorum hæc habet. Scripsit, inquit, Chronicon rerum ab initio mundi usque ad annum 1146 gestarum libris septem, quibus octavum adjuvavit de fine mundi, Anti-Christi persecutione, & mortuorum resurrectione. Octo hosce libros primus edidit Joannes Cuspinianus Argentinae 1515. Prodiérunt deinceps Basilea 1569. & quinquaginta amplius capitibus ex MS. Codice auctiores cura Christiani Ursisii inter Historicos Germanos Francofurti 1585. & 1670. T. 1. p. 1. unâ cum continuatione ab Ottone de Beasio ad annum 1210. deduxit. Scripsit etiam Otto libros duos de Gestis Friderici Barbarosse Imp. Nepotis sui, ad calcem chronici excudi solitos. Scripsisse adhuc dicitur Historiam Austriacam penes Wolfgangum Lacinum reperi- tam, sed nondum in lucem protractam. Hæc Guilielmus Cave. Quibus annecti-

Anecdota.

annuimus, quæ Æneas Sylvius in Historia Australi de Ottone nostro memorat. In *Dialectica quoque*, inquit, ac *Philosophia Opuscula nonnulla edidit, primisque disputandi subtilitatem ad Bajoarios Australisque detulit.* Ista Æneas. Interim ubinam locorum hic scriptor hæc opuscula deprehenderit, hæcenus nobis manet incertum. Dolendum sanè est, si tam præclara subtilissimi ingenii monumenta aut perièrè, aut in pluteo sive serinio aliquo cum blatis depugnant: optandumque, ut si alicubi reperta fuerint, proferantur in publicum ad communem eruditi orbis applausum. Sanè quanto in pretio summis etiam Viris Opera Ottonis fuerint, hic paucis explicandum suscipimus.

Maximam æstimationem habuisse Ottonianum Chronicon apud cog-
vos & synchronos, ex eo convincimur, quòd ejus operis fama etiam ad
ipsum Friderici Ænobarbæ seu Barbarossæ notitiam devenerit, isque ipsum
Chronicon ab Ottone sibi transmitti petèrit. Id discimus ex reipsonforia
ipsum Ottonis ad Imperatorem epistola, quam ex ipso Chronico, cui ad
calcem annexa est, huc transferre non pigritamur.

*Astimate li-
brorum Ot-
tonis Episco-
pi.*

*Domino suo Friderico Victori, inclito Triumphatori, ac semper Augusto,
Otto DEI gratiâ Frisingensis Ecclesie id quod est, in eo prospere-
rari, qui dat salutem Regibus.*

Petit vestra Imperialis Majestas à nostra parvitate, quatenus Liber, qui
Epistola Ot-
tonis Episcopi
ad Fridericum
imp.
passe aliquot annos de mutatione rerum à nobis ob nubifera tempora con-
scriptus est, vestra transmitteretur serenitati. Parvi ergo libeus vestro im-
perio tantò devotius, quamò Regie excellentia convenientius esse consulero, ob
Reip. non solum armis tuande, sed & legibus & judiciis informande incre-
mentum, antiqua Regum seu Imperatorum gesta vos velle cognoscere &c. Et
intra Honesta ergo erit, & vultu excellentie vestre Historiarum cognitio, qua
& virorum fortuna gesta, Dei que regna mutantis, & cui voluerit, dantis
virtutem ac potentiam considerando, sub ejus metu semper degatis, ac prosperè
procedendo per multa temporum curricula regnetis &c. Hæc Otto; qui postea
subjungit, se nubilosi temporis, quod nuper præcesserat, turbulentia
inductum, eam Historiam ex amantudine animi scripsisse non tam texendo
ægrum seriem, quam earundem ordinem in modum tragædiæ representando.
Denique monet Episcopus, ut, si suæ Majestati placeret, res ab eodem ge-
stas posterorum memorie stilo commendari, series à notariis in ordinem
digeratur, ac sibi transmittatur: se pro eo labore aliud munus non præsto-
lari, nisi ut Ecclesie Frisingensi opportunis tempore ac modis Imperator
assistat, ac subveniat. Ultimò loco memorat Otto, se tum literarum, tum
Chronici sui bajulos mittere Rapatonem S. Stephani Abbatem, nempe Wei-
henstephanensem, & Ragavinum Capellanum suum, qui Cæsari mentem
suam essent plenius expositura, atque ad interrogata reipsonfuri.

His ad Cæsarem datis literis Episcopus etiam alias ad Renaldum Im-
peratoris Cancellarium adjecit, quibus eum hortatur & rogat, ut, si in Histo-
ria sua sive contra Antecessores sive parentes Cæsaris aliqua dicta reperiantur,
id apud eundem benignè interpretetur. Historici enim munus esse observare
veritatem. Tetræ faciei fucatum colorem superducendo amitti Scriptoris of-
ficium. Hæc Otto Renaldo: & nos Lectori. Verùm ista per parenthesisin,

*Cui alio
ad
Renaldum
Cancellarium.*

Sanè quàm grantanter Ottonis Opus, Fridericus accepit, quàmque læ-
tus propositum Ottonis de ulteriori scriptione intellexerit, data ad eum epi-
stola significavit; quæ, cum brevis sit, hic referenda videbatur. Tenor ita-
que literarum est, qui sequitur.

Fridericus
Imp. respon-
det Ottoni
Episcopo.

* Codex Te-
gersf. que

* ibid. amit-
tatur pro-
missa &c

* ibid. prof-
funt.

Radevici ju-
diciu de
doctrina Ot-
tonis Ep.

Judicium
Æneas Sylvii.

Baronii.

Raderi.

Fridericus DEI gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Di-
lecto patriuo suo Ottoni Frisingensi Episcopo gratiam suam
& omne bonum.

Chronica, quam * tua sapientia digessit, vel desuetudine inumbrata in lu-
culetiam erexit consonantiam, à dilectione tua nobis promissa * & trans-
missa cum ingenti gaudio suscepimus, & post bellicos sudores interdum delectari
in his, & per Magnifica gesta Imperatorum ad virtutes informari peropta-
mus. Ea verò que ab ingressu Regni à nobis gesta sunt, ad petitionem tuam
breuiter compilata notitie tue libenter commendaremus, nisi quodd ad simili-
tudinem priorum gestorum, que ab excellentissimis viris edna sunt, magis dici
possent * umbra, quam facta. Tamen quia tuum præclarum ingenium hu-
milia extollere, & de parua materia multa scribere novit, plus confisi tuis
laudibus, quam nostris meritis, tantillum hoc, quod in orbe Romano per quin-
quennium fecimus, paucis perstringere curamus. Ubi ex verbis posterioribus
suspicamur, hanc Imperatoris epistolam datam fuisse ad Ottonem no-
strum anno Christi 1156. qui erat Friderici Regni quintus, Imperii secundus:
Ottonis verò vitæ annus antepenultimus: ac proinde Ottonem duos primos
libros de Gestis Friderici conscripsisse ultimò propemodùm vitæ suæ tempore;
quod etiam ex iis verbis fit manifestum, quibus librum secundum absolvit, ac
tertium Radevicus Frisingensis Canonicus inchoavit, uti eruditus Lector re-
periet.

Idem Radevicus de Ottonis scientia sic scribit: *literali, inquit, scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter Episcopos Alemannie vel primus, vel inter primos habebatur in tantum ut præter sacre pagine cognitionem, cuius secretis & sententiarum abditis præsollebat, Philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem in Topicis, analecticis atque elencis ferè primus nostris sibiuis apportaverit. Ob ea, & aliarum multarum privilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentia, quam eloquio fretus sa-
cundissime lingue, cum sæpius in Causis Ecclesie coram Regibus & Principibus constantissimè ageret, & exinde sibi gloria laudem, laus invidiam, ut as-
solet, non modicam peperisset, laqueos adversantium imperterritus declinavit, & obloquentium ore sine lesione probè probus evasit. Ista Radevicus. Ger-
hobus Reicherpergensis Præpositus, virtutis ac doctrinæ laude longè clarissimus, in tuo, quem de Gloria & Honore Filii Hominis conscripsit, libro primis statim lineis Othonem nostrum vocat virum prudentem & valentem literatum: quem etiam scriptorum suorum lectorem & correctorem, unà cum Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo elegisse se scribit.*

Neque veto à synchronis duntaxat summam eruditionis laudem Otto ptomeritus fuit, verùm etiam à feris posteris. Scripserat illius sæpius prælo ab eruditissimis viris fuisse subjecta, supra vidimus. De iis hæc scribit Æneas Sylvius in ejus vita: *Illud, inquit, in Ottone laude dignum, qui, licet fratris Nepotisque gesta memoria traderet, qui Romanorum Pontificum hostes fuere, ita tamen historie legem servavit, ut neque cognatio veritati, neque cognationi officeret veritas. Idem Æneas de Ottone sic habet: primus, inquit, putatur artem disputandi Boiis & vicinis attulisse. Addit. Historiam ab ortu mundi usque in sua tempora non inutilem deduxit, atque in octo digessit libros, quorum septem gesta mortalium referunt, magnamque nobis Germanicarum rerum notitiam reddunt: octavus supernam Christi civitatem pulchrè perit-
que figurat. Ita tursis Æneas. Baronius Ottonem nostrum & probitate insignem, & veritatis cultorem exactissimum deprædicat.*

Raderus de Ottone in Bavaria Pia sic scribit: „ Otto, inquit, magnus „ passim in scriptis appellatur. Fratres omnes ingenii magnitudine, eru- „ ditonis laude, historie editæ memoriâ, Religionis pietate superavit. „ Si-
milli-

millima Brunnerus, Bucelinus, Adelzreiterus, Mezgerus, Hugo, Menardus, Mallinkrotius, alique de Ottone perhibent. B. Gerhohus, nobis nunquam sine singulari veneratione nominandus, suam de Frisingensi Ottone opinionem tunc maximè prodidit, quando eum unà cum Eberhardo Salisburgensi Metropolitano Scriptorum suorum Lectorem & correctorem elegit, ac *virum prudentem, & valenter literatum* pronuntiavit, prout apud Clariss. *Anecd. Tom. 1. p. 2. col. 166.* P. Bernardum Pezium legi potest. At nos nullum scribendi finem faciemus, si, quæ de Ottonis eruditione passim in Scriptoribus reperiuntur, huc adducere voluerimus.

Cùm interim toti mundo probarentur Ottonis nostri eruditissima opera, adeò tamen ille ea non approbavit, ut, morti proximam, ea emendanda fratribus suis Morimundensibus commendaverit. Meminerat fortassis, se aliquando de Divi Bernardi Cisterciensis Congregationis auctoris virtutibus non eum, quem debuerat, sentium habuisse, ac tuam opinionem in Gestis Frederici etiam scripto prodidisse, quod inter alios scriptores etiam Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica advertit. Verùm, ut ipse Natalis Alexander benè subdit, *que contra S. Bernardum imprudens scripserat, emendari voluit Religiosissimus Anistes.* Id Alexander desumit ex us Radevici verbis, quæ is de Ottone habetin hunc modum: *Dum sacro liquore, inquit, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter cetera, que sollicitus de salute sua providebat, etiam hunc Codicem manibus suis offerri præcepit, eumque literatis & Religiosis viris tradidit, ut si quid - - - dixisse visus esses, quod quempiam posse offendere, ad ipsorum arbitrium corrigere- tur; seque Catholica fidei assertorem, juxta S. Romane, imò & universali Ecclesie Regulam professus est.* Hæc Radevicius de modestissimo, piensissimoque Magistro suo Ottone nostro: & ex Radevico Natalis Alexander.

Diximus alicubi, Ottonem nostrum *lib. 5. cap. 24.* Chronici sui circa Divi Corbiniani ætatem itatendam lapsum esse. Et id quidem etiamnum dicere cogimur. Verùm is error est planè innocuus, cùm Otto, qui Aribonem legerat, nomine Gregorii Pontificis intellexerit Gregorium tertium, ubi tamen accipiendus erat Gregorius II. Nomen verò Pippini ad Pippinum Regem retulerit, quod ad Pippinum Heristallum, Regis avum referendum erat. Ejusmodi metachronismos etiam apud alios literatissimos sanctissimosque viros aliquando occurrere, nemo ignorat. Illud (quod è Gallis non-nemo obiicit) quòd scilicet Otto in eo videatur fuisse deceptus, quòd aliquam Ecclesiam Divo Benedicto Frisingæ à S. Corbiniano ædificaram fuisse scripserit, adeò à vero exerrat, ut pigeat lepidam conjecturam multis argumentis evertere. Ignoravit nempe Scriptor ille, reperiri Frisingæ aliquam Ecclesiam, S. Benedicto sacram, quam nos quotidie præ oculis habemus, nec nos solè, sed innumeri vicini, maximè Reverendissimi & Illustrissimi DD. Canonici, ceterique Cathedralis Ecclesie Ministri & Clerici, qui, dum ista scribimus, totum officium Divinum in Cathedrali aliàs persolvi solitum, in ea, Divi Benedicti Ecclesia, Cathedrali, quæ nunc renovatur, contingua, peragunt, velut dudùm alibi monuimus. De ea Ecclesia tribus ante Ottonem sæculis Cozrohus scripsit, uti alibi sæpius demonstravimus.

§. X.

Acta Ottonis Episcopi certa, tempore tamen incerto: item Acta certa, de quibus tamen dubium, an ad Ottonis ætatem pertineant?

INter ea, quæ sub Ottone Episcopo certò contingere, at de quorum anno nulla certitudo hætenùs à nobis erui potuit, occurrit primò ea commu-
tatio,

Cathedrale
Collegium
permutat
quendam ban-
cum Perch-
toldo de Es-
gilbach.
N. 1324.

Permutatio
similis inter
nobilem
quendam, &
Sigimrun
Abbatem.

N. 1225.

Otto Episc.
erga Reicher-
spergensium
monachos,
Metrop. T.
III. p. 236.

Metrop. Sa-
lub. T. III.
pag. 228.
229.

N. 1326.

N. 1327.
1328.
N. 1329.
Migne 1338.

ratio, qua Canonici Cathedralis Ecclesie Frisingensis Perchtoldo de Esgilbach tradidère duodecim mancipia ac bona quædam, quæ eousque in prædicto vico Esgilbach possederant: in quorum vicem idem Perchtoldus Cathedrali Collegio cessit alia 5. mancipia: item Molendinum ad illum anem. His accessit etiam alius tractatus, quem dicitur partes inière. Damus ejus rei instrumentum in Altera Parte: quod omninò legi meretur ob testes nobilissimos ibi allegatos. Tractatum illum Otto Episcopus noster confirmavit.

Alia commutatio sub Ottone facta est inter Sigimrun S. Stephani Abbatem, & Rudolphum de Bubenhausen, Frisingensis Ecclesie Ministrum, qua Dominus Abbas eidem Rudolpho, consentiente Ottone Episcopo, contulit bona quædam in Schwabing, decimis tamen exceptis: Rudolphus vicisim Abbati assignavit alia bona in *Hortoltesbusen*. In hac commutationis charta rursus recensentur quàm plures illustres testes, & inter hos etiam Otto Wirtelpachius, qui ibi Monasterii Weihenstephanensis Advocatus appellatur. Eas literas eidem in Parte Altera Lector inveniet.

Extant in Additionibus Gewoldi ad Hundii Metropolim, ubi de Reicherpspergenfi Monasterio agit, literæ Ottonis nostri, quibus ille certas in suo Episcopatu Decimas donavit Gerhoho Reicherpspergenfi Præposito, Viro illi, nullis nunquam laudibus satis celebrando, quippe qui pro disciplina Ecclesiastica rotus quantus exarsit, ut maximè patet tum ex multis aliis, tum singulariter ex alibi jam laudato libro de *Edificio DEI*, quem is primatid quidem Chunoni Ratisbonensi Episcopo dicavit, ac, post illum, etiam singulari cura, ad nostrum Ottonem, cum is in Episcopum designatus esset, direxit operâ cujusdam, ut videtur, Frisingensis Episcopatus Presbyteri, cujus charitatis omnia se debere Gerhohus affirmavit, fortè quòd, cum Frisingenses Scholas olim frequentasset, multa ab eo beneficia acceperit. Porro eam Ottonis nostri donationem Reicherpspergense Chronicon ad annum Christi 1155. reponit: quod nescio an benè dicatur, cum eam donationem confirmasse videatur Innocentius II. PP. Indictione V. quæ cum anno Christi 1142. concurrebat. Habetur ea confirmatio in iisdem ad Hundium Additionibus. Et quoniam in ea occurrit Gerardus Cardinalis & Bibliothecarius, tantò magis convincimur, confirmationem illam anno 1142. fuisse factam, quo certius dictus Cardinalis & Bibliothecarius eo tempore floruit, uti ex pluribus aliis Instrumentis hætenus productis probari potest, non verò post annum 1155. ante quem Innocentius Papa dudum è vivis excessit, verùm de his satis. Ottonis literas iterum Parti Alteri inserimus. Sanè cum Chunradus Imperator eidem Reicherpspergenfi Monasterio in Conventu Principum Ratisbonæ habito, cætera quoque bona sua daro Diplomare confirmasset, etiam Otto noster interfuit, uti apud laudatum Gewoldum legimus.

Recensentur in secundo Traditionum Frisingensium libro inter Ottonis nostri Acta quatuor donationes, Ecclesie Frisingensi factæ, nulla tamen sive ipsius Ottonis, sive anni mentione inserta. Earum duas, quæ minus sunt detritæ, in Parte Altera reponimus in Nobilium obsequium. His adjungimus tum ex Tegernseensibus, tum Weihenstephanensibus Monumentis plura alia, quæ ad Ottonis tum Historiam tum ætatem pertinent, ubi tamen anni rerum gestarum annotati non suère.

§. XI.

Pia mors Ottonis Magni Episcopi.

Quid paulò antè mortem, ac in morte Ottonis nostri contigerit, Radevicus ejus dilectissimus Discipulus explicat, qui, ut ipse testatur, *manu sua ipse extrema lumina clausit.* Narrationem illam verbis ipsius Radevici, &, ubi nonnihil obscurior est; nostris explicatiùs damus: multa verò, quæ vel jam alibi memoravimus, vel in rem nihil conferre arbitramur, reticemus, iis duntaxat, quæ sequuntur, extractis.

Fridericus Romanorum id temporis Imperator tamen eòsque omnia prosperè egisset, ex morte tamen quorundam Principum infelicem sese expertus est. Inter hos primo loco censetur Episcopus noster, veluti cum Radevico testatur Guntherus Poëta supra laudatus, quem Cisterciensis Ordinis Monachum Guilielmus Cave appellat, qui circa annum Christi 1110. floruit. Ille apud Pagium hæc eleganter canit

*Inter successus letos, & prospera rerum
Magna repenino Regem jaclura dolore
Perculit, & placide turbavit gaudia mentis.
Nam Procerum multi, seu qui sub Principe claro
Castra sequebantur, seu qui sub pace quieti
Teutonicas urbes, Natalique arva tenebant,
Extremum clausere diem: quo tempore Præsul
Ille Frisingus Oto, majoris Causa doloris
Exstitit, ingenio comperta morte Nepoti.*

nampe Friderico Cæsari.

Idem verò Imperator Fridericus anno Christi 1158. bellum adversùs Mediolanenses decreverat. Cùmque ad eam expeditionem Ottonis nostri operam sibi existimaret nedum utilem, verùm etiam necessariam, eundem, ut sese comitatu adjungeret, invitavit. Verùm cum Otto, fati sui præsciis, mallet inter manus fratrum Deo preces fundentium, quàm strepitum præliantium, animam Deo reddere, missionem à Cæsare petiit, atque unà rogavit, ne Imperator, post mortem suam, Ecclesiæ Frisingensis aliquam injuriam inferri, aut electionis libertatem tolli pateretur. Pius postea votis damnatus, cum jamjam usque ad Alpes Cæsarem comitatus esset, ad suos rediit. Ibi cum à pluribus de instanti morte commonitus fuisset, suos summa charitate complexus, valere jussit, atque ad suum Morimundensè Monasterium infirmis licèt viribus, sese contulit. Morimundi aliquot dies æger decumbens, neque de vicina mortis suæ hora jam dubius, cum librorum suorum emendationem ut supra diximus, fratribus commendasset, sacra exhomologesi expiatus, cœlesti viatico refectus, ac sacro ceromate inunctus, astantibus pluribus Episcopis, Abbatibus, atque Religiosis Sodalibus, quibus saluberrima monita suggererant, Domino Spiritum reddidit, *felix utique*, ut Radevicus habet, &

Otto Ep. morti propinquus curam præcipuam habet Ecclesiæ suæ.

Animam cœlo transiit.

Corpori sepulcrum humilem designat.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

X x

Ego

Ego autem (Radevicus) qui hujus operis (de Gestis Friderici) principium ex ejus ore adnotavi, finemque ejusdem jussu Principis (puta, Imperatoris) perficiendum suscepit, & manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc epitaphium composui, & immulo inscribi feci.

Libram Phœbus subit cum falcitamento
 Lati nox prevaluit die decrecente,
 Vita minus habuit morte prevalente,
 Otto quando corruit raptus ben repente.
 Hic, si gradum consulis, præsul dignitate,
 Formam; decens habilis juvenis atate:
 Genus: alta, nobilis Regum Majestate.
 Mores: commendabilis mira probitate.
 Monachum se præbuit, si Religionem,
 Ydeam asseruit, si positionem.
 Virgo, cujus meruit intercessionem
 Ejus ad quem genuit, agat mentionem.
 Cujus * frequens otium in Philosophia.
 Majus exercitium in Theologia,
 Fædus sibi mutuum cum Philologia
 Nunc su èi speculum summa Theoria.
 Plangat hunc Germania planctu generali,
 Magis tu, Frisingia, orba virò tali,
 Cui tot privilegia dono speciali
 Jugi querimonia debes lanemari.
 Hujus in te studio studium vigebat,
 Grata disceptatio plures acuebat.
 Quid nos, aut quid ratio, nemo non videbat.
 Frans & cavillatio latens non latebat.
 Hic sacrum Ecclesie sublimavit cultum
 Ipse dedit strepere Logicum tumultum,
 Hoc in ejus cinere totum est sepultum.
 Talem nemo plangere potest satis multum.
 Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
 Aut quis elegantiam dictis assignabit?
 Quis ad consequentiam tropos revocabit?
 Hæu qualem sententiam schola vento dabit?
 Quid rerum compactio sagax, dum rimatur?
 Mathefis abstractio quid? dum contemplatur.
 Quid nihil probatio per huic dum probatur,
 Quid ambarum actio, morte sciri datur.
 Hujus necem patria justè dedignata
 Clara dolens atria rectore privata,
 De se bene meritum cernens in saxilla
 Pæi in interitum pariter & illa,
 Tantas ad exequias turba populorum
 Pæi fundat lachrymas, maestum dicens chorum,
 Ad preces continuum, & lamenta quorum
 Illum salvet, animas qui beat justorum.

Amen.

Aliter.

* Cod. Tegerns. Hujus.

* in Cod. Tegerns. hic notatur. Omnia esse ex forma eil.

* Cod. Tegerns. In concretione forme de subjecti.

Aliter. Idem.

Ced. Tegeruf.
Item aliud.

Quidquid in orbe beat præclaros & meliores
 Præfulis Ottonis mirè cumularvit honores.
 Si Proavi vel Avi probatus, sacer Ordo, potestas
 Deberem mortis furias cobibere molestas,
 Non moriturus erat præclarè præditus illis:
 Heu talem communibus accessisse favillis!
 Quàm facunda viri non, qualis Philosophia,
 Hortatu Regum docet edita Chronographia.
 Luxit eum patria, propria comitata ruina,
 Propitiatur ei DEUS, & pia Virgo Maria.

Amen.

Ista Radevicus de Ottono Episcopo, semel iterumque in hisce suis tum rhythmis tum carminibus ad brevi postea secutum Frisingensis urbis incendium alludens.

Idem Radevicus paulò antè, affectu sanè tenerrimo Ottonem *Aman-* Laudes Ottonis cumularunt.
tissimum Dominum ac Nutritorem suum, ac Frisingensis Ecclesiæ non tam *In-*
flauratorem quàm Fundatorem appellaverat. Freibergerus, Frisingensis itidem
 Canonicus, Ottonem itidem vocat *secundum Fundatorem Frisingensis Ecclesiæ*,
 imò eum in imagine æri incisâ, & opusculo à se edito præfixa, ipsi sancto Cor-
 biniano quodammodò præferre videtur, dum Otto ad dexteram, Corbinianus
 ad sinistram spectantur Cathedralē Basilicam sustentantes. Baronius (qui qui-
 dem circa annum obitus Ottonis manifestè hallucinatur) scribit, Virum illum,
virtutibus & doctrina insignem, imò *sanctum*, subductum fuisse magna sanctus à qui-
 busdam ap-
 pellatur.
 DEL misericordiâ, ne in senectute sua Schismaticorum communicatione
 infici posset, quippe qui Imperatori adhæserit. Eum etiam Joannes Sta-
 bius, & Jacobus Manlius apud Raderum sanctis annumerant. Arenbeckius
 de eo sic habet: *Cujus, (inquit, Ottonis scilicet) probatam vitam mira, quæ
 ad ejus sepulchrum (ut fratres asserunt) miracula, quæ DEUS operatur* signis cla-
 rificis.
testantur. Ex Menologio Cisterciensis Ordinis Mallinkrotius de Ottonē
 nostro, quem virum *incomparabilem* appellat, hæc transcribit. *Morimundi
 in Gallia depositio B. Ottonis, admirande sanctitatis viri, qui nobilitatem ge-
 neris & sæculi delicias contemnens, ibidem habitum Religionis assumpsit; &
 postmodum in Abbatem illius loci electus, verè humilitatis & perfectionis
 Monastica se exemplar exhibuit. Unde in Episcopum Frisingensem assumptus,
 doctrina, pietate, morum gravitate totam Europam mirabiliter illustravit,
 & post multa sanctitatis opera in proprio Monasterio feliciter vitam finivit.*
 Ad sepulchrum ejus miracula patrata esse etiam Gewoldus in Hundianæ
 Metropolis Additionibus scribit.

Obit Otto noster, qui toto sui Pontificatus tempore, teste Aren-
 beckio, Monasticum Habitum gestaverat, anno Christi 1158. uti docemur Annus obitus
 Ottonis Ep-
 scopi.
 ex toties allegato Calendario Weihenstephanensi, quod ad eum an-
 num sequentia accuratè ponit. *Hoc anno Otto Frisingensis Episcopus pie
 memoria migravit ad Dominum: Adilbertus in Episcopum eligitur, prepo-
 situs Majoris Ecclesiæ. Ipso anno Mediolanenses Regi Friderico se obfessi de-
 diderunt. Consonat Stero, inferioris Altatz Monachus, qui ad eundem
 annum in suo chronico sic scribit: Imperator Fridericus Mediolanum obse-
 dit, & ad deditionem civis cœgit. Otto Frisingensis Episcopus obiit: & Al-
 bertus eligatur. Hinc Pagius tum ex aliis optimis Scriptoribus, tum ex ipso
 R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. X x 2 Rade-*

Radevico eruditè docet, notas temporarias, quas in Radevici edito volumine legimus, ofuscantiâ cujusdam imperiti librarii fuisse depravatas, qui loco anni MCLVIII. posuerit annum MCLVIII. Id nobis persuasum omninò manet tum ex Sterone, & supradicto Codice Weihenstephanensi, verbisque manu corvæ scriptis: tum ex ipso Radevico, qui asserit, *Otto Episcopo X. Kal. Octobri, quod est circa solstitium brumale, defuncto, paucis post mensibus novis Aprilis, quæ tunc fuit Dominica Palmarum, & est circa solstitium æstivale, hora matutinâ civitas Frisingensis penitus & penitus incendio consumptæ.* Atqui Dominica Palmarum incidit in Nonas Aprilis, seu in diem 7. Apilis non alio vicini temporis anno, quàm MCLIX. ut benè advertit Pagius: Ergo Otto jam obiêrat X. Kal. Octobr. five die 22. Septembris anni præcedentis. Præterea idem Pagius ex ipso Radevico *cap. 23.* advertit, anno Christi MCLIX. in *Festivitate Luminum*, id est, Purificationis B. M. V. Albertum Frisingensem Episcopum jam interfuisse *Conventui in villa, quæ dicitur Autimiacum.* Quamobrem (pergit Pagius) Albertus in festo Purificationis B. M. V. Ottoni jam successerat. Hæc Pagius & benè: cui etiam plerique Frisingenses Catalogi Episcoporum suffragantur. Is erat annus Hadriani Papæ IV. quintus: quo Salisburgensibus B. Eberhardus noster, Ratisbonensibus Hartwicus II. Patavienibus Conradus, Oitonus nostri frater, Brixinentibus B. Hartmannus, ex Canonicis Regularibus, ut alibi diximus, assumptus, sacra jura dabant, Henrico Leone rerum Bojariz potente. Tumulum, ut diximus, Otto noster Morimundi accepit, quo tamen virtus ejus concludi non potuit, quæ etiamnum post funera vivit: cùmque Brunnerus rectè nominat *non solum sui sæculi columen, sed & nostri quoque normam Magistrumque.*

Arenbeckius postquam in suo Austriaco Chronico obitum Ottonis descripsit, hæc pulchrè subdit: *Cujus, inquit, revera morte summa prudentia mentis, regali forma corporis, tibi Frisingia, laus & gloria specialis, totius Ecclesiæ spes maxima, & decus eximium, & quodcunque humana fragilitas novis esse jucundius, totum, probo dolor! in momento evanuit.* Ista Arenbeckius. In Necrologio S. Petri Salisburgi inter defunctos Frisingenses Episcopos etiam hæc Otto descriptus est, ubi *Episcopus & Abbas* vocatur.



CAPUT III.

Adalbertus, Adilbertus, seu
Albertus XXIII. Frisingensium Episcopus,
eo nomine primus.

§. I.

De genere, atque electione Alberti Episcopi.

DE progenitoribus Alberti, piissimi Episcopi nostri, nec Radevicus, nec Contradus Custos, nec Freiburgerus, Frisingensis Ecclesie Canonici, sed neque ullus Frisingensium Episcoporum Catalogus meminerunt, quamvis dubitari vix possit, quin is nobili, & copiosa familia prognatus fuerit. In margine MS. Catalogi Freiburgeriani nonne-
Albertus non fuit Comes de Sigmaringen.
 mo apposuit, cum fuisse ex Comitibus de Sigmaringen. Verum cum ejus rei nullum prorsus testimonium adducatur, & il, qui seculo XII. Sigmaringen dominabantur, Zollerani Comites fuerint appellati, imò insuper ex iis sacris donationibus, quas Albertus tum Frisingensi, tum aliis Ecclesiis obtulit, appareat, bona donata omnia in Bojotaria, nempe in Praefectura Dachavienfi, Mospurgensi, Crantspergenfi, ac potissimum in hodierno Erdingano territorio, nec non dominio Frisingensi esse sita, us ex Instrumento inferioris proferendo demonstratur, difficile ego credam, Albertum è Suevis ortum traxisse, cum longè veriùs Boiis accensendus esse videatur. Non nescio, circa & post medium seculum Christi duodecimum vixisse quemdam Albertum, Friderici III. Zollerani Comitis filium. At hic cum nostro Alberto confundi non potest. Habuit enim Albertus Zolleranus fratres Rudolphum, Fridericum, & Cunonem: sororem Emerentiam, si Hübneri tabulis genealogicis credimus. At Albertus noster, dum de fratre, ac sorore sua loquitur, eos Udalricum, & Herburgam vocat, uti infra in donationibus Alberti conspiciemus. Nihil ergo Albertus noster cum illo Zollerano commune habet, præter nomen.

Albertum ante electionem fuisse nobilissimum membrum Cathedralis Collegii, ex pluribus instrumentis hæcenus recitatis liquidò constat. In literis Ottonis I. anno 1140. Schefflariensi Monasterio datis Albertus scriptis majoris Ecclesie Decanum. Idem Otto, cum anno sui regiminis, ac vitæ ultimò, Christi 1158. constitutiones supra laudatas Cathedrali Collegio præscripsisset, eas præcipuè commendavit Alberto Præposito: unde suspicamur, vel potiùs intelligimus, Albertum, qui Freibergero teste, virtutis ac scientiarum Magistro usus est Magno Ottone Episcopo, non per saltum, ut ajunt, sed per gradus ad fastigium Episcopalis dignitatis ascendisse. Addit Freiburgerus, Albertum, cum Otto Episcopus læpiùs ad Imperii negotia vocatus, atque ad tempus à sua Ecclesia abesse coactus fuisset, ejus vices, ac munia in administrandis domesticis negotiis egregiè explevisse. Hinc utique dignissimum sese reddidit, ut in Magistri sui Cathedralis discipulorum optimus subrogaretur, jacturamque Magni Ottonis Albertus Magna virtute sareiret, atque in mox futuris summis calamitatibus summa in Deum pietate, ac fiducia Frisingensis Ecclesie ruinis fortissimos humeros subderet.

Albertum ab ipso Ottone Episcopo, cum adhuc inter vivos degeret, fuisse quodammodo designatum Episcopum Conradus Sacrista innuit, dum

fol. 118. d. in quarto, seu Magno traditionum Frisingensium libro de Ottone scribit, quod is *ad huc vivens eum* (Albertum) *divina gratia annuente Ecclesie nostra* (Frisingensi) *presfecerit*. Nihilominus Albertum liberrimè fuisse electum ex eo fit manifestum, quia cum beate memorie Otto Episcopus valedicens Friderico Imperatori, ab eo postulasset, ne Frisingensibus furura electione libertatem tolleret, Imperator eidem annuit, ejusque petitionem laudavit, ut Radevicus disertè testatur. Ea de re synchrona manus Weihenstephanensis ad annum 1158. hæc annotavit: *Adalbertus in Episcopum eligitur, Præpositus Majoris Ecclesie*. Ira ibi.

Cæterùm uti Otto pastorem lituum Alberto, ita Albertus Præposituræ Ecclesiæ Cathedralis sublime munus Radevico videtur reliquisse. Certè Dominus Carolus de Visch Prior Cœnobii B. V. de Dunis in sua *Bibliotheca Cisterciensi* Radevicum vocat Præpositum Ecclesiæ Frisingensis: quod is fortassis didicit ex Ænea Sylvio, qui in Ortonis Episcopi vita Radevicum *Frisingensis Ecclesie Præpositum* (utique primum post Albertum) appellat. Verum ut ingenuè fateamur, ex ipsius Radevici opere id non adeò facilè erui potest. Illud verò, quod Radevicus in conscribendis Friderici Imperatoris rebus gestis Ottoni Episcopo, ac Magistro suo successerit, non solum ex Ænea, verum etiam ex ipso Radevico in ipso Operis Proœmio luculenter discimus, cujus etiam scriptio ad res Frisingenses explicandas fideliter utemur.

§. II.

Horribilis conflagratio Frisingensis Civitatis.

Radevic. l. 4. cap. 12. 13. Conradus Sacrista Cathedralis Frisingensis Ecclesiæ doctissimi Canonici, atque vel ideò assertores omni exceptione majores,

TRagediam scribimus, quæ magna sui parte fortè vix fidem inveniret, nisi eam posterorum memorie commendassent Scriptores Synchroni, atque testes oculati, Radevicus scilicet & Conradus Sacrista Cathedralis Frisingensis Ecclesiæ doctissimi Canonici, atque vel ideò assertores omni exceptione majores,

*Frisinga sanctis Episcopi sui Ottonis laboribus atque sudoribus ad eam rerum felicitatem pervenerat, ut ædificiorum splendore, atque rerum affluentiâ nulli vicinorum Episcoparum cederet. Tanta insuper Cleri Religione, ac literarum scientiâ resplendebat, ut in Romano orbe pauci pares: meliores, doctiores, ac celebriores nulli reperirentur, ac maximo jure Frisinga *mons doctus* passim appellaretur. Interea ipsi Kalendis Januarii, nempe in Festo Dominicæ Circumcisionis anno 1159. accidit, ut, cum Mystra ad aram summam Cathedralis Ecclesiæ sacris solenni ritu operaretur, & jamjam sacram consecrationis formulam pronuntiasset, aspectante populo non solum calix vi occulta everteretur, verùm etiam de effuso sacratissimo Christi sanguine nullum amplius indicium superesset. Casum illum, nihil utique boni ominis habenrem secuta sunt alia infausta auguria. Monstra enim quadrupedia nocturno tempore in omnium oculis per ærem volitabant. Vulpes ac lepores in pastophoria Ecclesiæ & Canonicorum illapsæ, capi facili negotio poterant. Ululæ, upupæ, bubones in testis lugubri clamore, ac ferali cantu nonnisi tristitia perionabant. Mures è cavernis suis prosilientes pfallentium in choro fratrum vocibus inrestrepebant. In ædibus inauspicati saryrorum ac lemorum clamores passim audiebantur. Puerorum interim atque puellarum greges, nullo duce, supplicarium ritu urbem obibant.*

Albertus conatur placare Numen.

Visis auditisque adeò tristibus auguriis facilè intellexit prudentissimus Episcopus ingentem urbi calamitatem portendi, omnique cura vigilandum esse, ut vindici Divini Numinis dextræ mora injiceretur. Hinc jejunia, præcèsque publicæ fuere indictæ, quibus cœlum placari, atque ad misericordiam

diam flecti posset. Verùm, sive occulta quòdam peccata Numinis iram provocabant, sive DEus etiam suos, quos amabat, castigare volebat, irrita fuere Frisingensium suspiria. Nonis Aprilis (in quam diem Dominica Palmarum, seu, ut vocant, Ramalia inciderant) hora matutinà, ut Radevicus scribit, imò nocte, ut Conradus tradit, nempe, ut opinor, paulò ante, quam aurora illucesceret, ex ea parte, qua mons Frisingensis orientem solem accipit, vis ignis erumpens majorem primùm Ecclesiam corripuit, flammisque incinxit. Validissimi interim venti incendium in vicinam Episcopalem arcem, tum in Collegiatam Divi Andreæ Ecclesiam, mox in urbem universam volitantibus per aërem carbonibus, ac turionibus tantà vehementiâ, ac velocitate quaquaversum sparsere, ut attonitis incolis vix elabendi, vitisque incredibili furentium flammarum rabiei subtrahendi spatium concederetur. Perit primò Ciborium, seu sanctuarium, in quo Eucharistia asservabatur. Secutæ sunt sedes Canonicorum, atque Clericorum, mirabili artificio fabricatæ, & magna sui parte inauratæ. Cecidere altaria cum picturis, atque sculpturis. Ruit *Candelabrum*, seu Polycandelum, plures nempe candelas habens, & ante aram principem pendulum, materiâ, & artificio nobilissimum. Coronæ, ante aras ex antiquorum more suspensæ, ac miro opere fabricatæ, uti & laquearia item inaurata, in pavementum ingenti fragore præcipitata fuere. Organum pneumaticum, & campanæ flammarum vi diffluxere, ipsaque adeò turris, & Basilicæ majoris pars maxima casu horribilo concidit. Sacra etiam suppellex pene tota favillis pabulum præbuit. Neque minor ruina Episcopali quoque palatio, Ecclesiæ sancti Andreæ, Canonicorum ædibus incubuit; & ut Radevicus paucis totum scribit, *civitas Frisingensis penitus, & penitus incendio conflagravit*, adeò, ut ne unicum quidem sacellum, sive oratorium flammis evaserit, & pauca solum militum habitacula illæsa remanserint. Addit Conradus, prædicta omnia sub hora momentanea, brevissimò scilicet temporis intervallò in cinerem confedisse, tanto utique rebus Frisingensibus illato damno, quod æstimari planè non possit: quibus omnibus summa etiam calamitas accessit, quod tot cives, & incolæ amissa suppellectile ac fortunarum parte maxima solum vertere, & alibi ceu exules, tectum, panemque sibi, suisque parvulis quærere compulsi sint.

Tam tristis erat post incendium rerum facies, ut multi crederent, Frisingam suis ruinis incubantem, instaurari amplius non posse. Nihilominus Religiosissimus Antistes, fretus misericordiâ DEI, cujus, teste divina pagina est, *deducere ad inferos*, nempe ad rerum angustias, & *reducere*, ad restitutam primùm majorem Basilicam sorti consilio manus adjecit. At ecce! postquam locus pro majori illa Ecclesia jamjam designatus fuerat, in eundem anno sequenti sulmen cecidit, ut adeò non deessent, qui existimarent, invito Numine Albertum novam structuram meditari, maxime cum etiam eodem tempore vicinum Monasterium Novæ Cellæ, viginti abhinc annis ab Ottone Episcopo fundatum, in favillas subsederit. Verùm Albertus longè minora de divina pietate sentire dudùm doctus, manum ab opere neutiquam retraxit, imò etiam, ut Conradus habet, sacerdotales manus suas cæteris operis atque officibus junxit, nec mente tantùm, sed corpore etiam ruinas sarcire diu nocturne studuit. Neque desuit miserentis DEI bonitas. Nam Albertus, conciliatis sibi aliorum Principum, ac maxime Friderici Imperatoris favoribus atque muneribus, Basilicam Cathedralem brevi in formam etiam antiquâ Augustiore restituit, ac Palatium Episcopale, Canonicorumque ædes prisinæ commodiores suscitavit: cujus exemplum consiliâque cum cives aliique fortiter sequerentur, tandem nova civitas felicitur surrexit. Ubi illud insuper nemo non mirabitur, quòd toto illo tantæ calamitatis tempore fratribus suis, nempe Canonicis, annonam sufficientem subministrare

At non exarduit,

Incendi de- scriptio.

Damna ex eo illata.

Albertus Ep. de faciendâ restauratione cogitat.

Neque obstentur fulmine.

Sed urbem felicitè restaurat.

Alber-

Albertus potuerit. Et ista quidem, tamen non eodem anno contigerint, à nobis tamen separanda non erant, veluti prudens, & eruditus Lector facile animadvertet, intelligetque, quam verè olim Hieremias dixerit, *benedictum esse virum illum, qui confidit in Domino, & cui Dominus fiducia ejus.*

Cui ex parte
Frisingensi-
bus fuerit im-
putata?

Ærumnas illas Frisingensi urbi à Numine ob Canonicorum & populi peccata fuisse: insidias Freibergerus neque in Radevico, neque in Conrado legit: qui, cum veluti oculati, ut diximus, testes summam tum Mystrarum illius temporis, tum civium Frisingensium in superos ac pauperes pietatem extulerint, eam suspicionem meritò è lectoris animo removeat: nisi dicere malis, DEum, qui etiam in Angelis reperit pravitatem, occulta quædam vitia eò incendiò castigare voluisse, ut supra monuimus. De reparatione Cathedralis Ecclesiæ plura in sequentibus. Interim eodem anno, quo Frisingensis Basilica igne consumitur, etiam Spirensis simillimum infortunium subiit: uti Radevicus testatur.

§. III.

Turbæ eo tempore in Ecclesia, ac Imperio enatæ: & curæ Alberti Episcopi.

Mediolanen-
ses compen-
santur.

Mediolanensibus leges sibi ab Imperatore superiori anno præscriptas indignè ferentibus, ac defectionem palàm molientibus Fridericus Imperii Principes atque Optimates ad villam Autimiacum anno Christi 1159. evocavit, inter quos etiam Albertus Episcopus noster, nuper electus, comparuit. In eo Procerum conventu gravissimam adversus Mediolanenses orationem Imperator habuit, atque, ut res merebatur, faventes sibi Principes omnes advertit, ut late Radevicus commemorat. Itaque Mediolanensibus ad dicendam causam dies indicitur, qui quidem mandatis obtemperant, ast, dum de præstito, sed turpiter violato sacramento admonentur, aliud non respondent, quàm jurasse se quidem, ast fidem de servanda juramenti religione nunquam promississe. Ita tum quidem Mediolanensibus: atque utinam nostris etiam temporibus similia nunquam experiamur! Verùm impudenti Mediolanensium responso gravissimè irritatus Fridericus bellum adversus perjuros decrevit. Interea eodem anno gravissima etiam inter Adrianum Pontificem, ac Fridericum Imperatorem simulas exorta est. Postulaverat Imperator, ut Pontifex Guidoni, Comitis Blanderatensis filio, ac S. R. E. tum Subdiacono, Ravennarem mytram imponeret. Negavit id facturum se Pontifex, causasque, cur id consultum non esset, exposuit, sacra interim purpurâ Guidoni oblata. Verùm nihilominus exasperatus Fridericus, literas non solum debita, solitaque reverentia destitutas ad Pontificem dedit, sed etiam Pontificios Legatos atque civitatibus Imperii arcibus, grandi utique aversi animi indicio. Secuta autem paulò post, nempe Calendis Septembris, Adriani mors simultatem diremit: quæ tamen adversus ejus successores longè gravius exarsura erat, ut modo dicemus.

Dissidium in-
ter Sacerdo-
tum & Reg-
num.

morte Ponti-
ficis tollitur.

Novum in
Ecclesia
fissura.

ab Imperato-
re fovetur.

Adrianò Pontifice terris ereptò Cardinales omnes, demptis duobus, convenère in Rolandum, Romanæ Ecclesiæ Cancellarium, antehac Pisanæ Ecclesiæ Canonicum, quem Alexandrum III. appellaverunt: alii duo Cardinales nempe Joannes tituli S. Martini, & Guido tituli S. Callisti in Octavianum tituli S. Cecilie, dudùm tiaz Pontificie insidiantem, conspirarunt, eumque Victorem IV. dixerunt, ut post alios Pagius tradit. Friderico Imperatori, uti etiam Otoni Wittelipachio, ex veteri odio, non Alexander legitime electus, sed Victor placuit, quem etiam deinceps unâ cum Concilio Papiensi petulanter fovit, & adoravit, dum interea is tum à Concilio

Angli-

Anglicano ac Francico, uti etiam ab Ecclesia Orientali, damnatus, Alexander verò veluti legitimus Ecclesie Pastor agnitus est. E Bojaria nostræ Episcopis Papiensi conventui non interfuisse Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus, in ipso itinere, Dei utique singulari providentia, morbo feliciter correptus: & Albertus noster, domesticis malis, imò propitiis superis Frisingæ detentus. Hartmannus quoque Brixinensis, & Romanus Gurcensis, agnita Alexandri legitima electione Papiam sese non contulerunt, propudiosum cœtum haud dubiè aspernati. Comparuere quidem Ratwicus Ratisbounensis, & Conradus Pataviensis Episcopi: verùm negarunt, se Victori adhaerere, nisi communi consensu Ecclesie probaretur, ut post Radevicum, & Baronium, Brunnerus & Adelzreiterus scribunt.

Bojariz Antistes legitimo Pontifici adhaerent.

Absentiam Alberti Episcopi nostri non poterat gravatè ferre Imperator, quippe qui sciret, quàm necessaria Frisingensibus ruinis esset illius presentia. Condoluit potius Fridericus Præsuli sibi dilectissimo, ac tantis curis, pro restauranda Ecclesia sua obruto: & cum ipse adversus Mediolanenses superiori anno militari quodam actu pugnasset feliciter, datâ ad eum epistolâ consolatoriâ de re benè gesta commonuit. Fragmentum epistolæ Radevicus recenset in hunc modum. *Præterea ad consolationem tuam de presenti statu nostro aliqua tibi scribimus, quia honorem Imperii, & nostram prosperitatem te diligere non dubitamus. Inter alia igitur magnificavit Dominus facere nobiscum, & fecit. Unde facti sumus letantes, & maximas DEO gratias agentes. Maximam enim multitudinem Mediolanensium tradidit Deus in manus nostras, ita, quòd Idus Julii, qua data Divisio Apostolorum celebrari solet, sexcentos de fortioribus civitatis captivos in vinculis abduximus, centum & quinquaginta per campos & iunera viarum interfecti sum. De submersis verò, & de vulneratis modus non fuit, neque numerus. Sic cum victoria Laudam reversi sumus.* Hæc Fridericus Imperator Alberto Episcopo nostro: qui favore Cesaris utendum ratus, eidem supplices literas misit, rogavitque, ut desolatâ Frisingensi Ecclesie opem ferret, quam etiam Fridericus liberaliter contulit, ut infra monstrabimus. Legimus alicubi, eodem anno Christi 1159. Albertum Episcopum nostrum Mospurgum venisse, ac statum dirutæ Ecclesie suæ Divo Castulo Martyri, ejus loci Evergetæ, commendasse.

Fridericus non offenditur ab Alberto Episcopo.

Quòd ipse factis demonstrat tum licetis.

tum alie subdit in Alberto collata.

Dum eum in modum Albertus totus in eo est, ut non Principum tantum, in terris adhuc hærentium, verùm etiam Cælitum favores sibi Ecclesieque conciliaret, eorùmque ope Basilicam B. M. V. resuscitaret, etiam non minimam de Ecclesie suæ bonis tum recuperandis, tum evincendis curam habuit. Sanè quàm felix in eo negotio Albertus fuerit, docet recuperatio terræ de Gudaga, & evictio Comitatus Catubrix, quæ loca hodie Serenissimæ Reipublicæ Venetæ subjecta sunt. Instrumentum super Gudaga Ecclesie Frisingensi restituta sic habet:

Albertus super bona Ecclesie suæ sollicitus.

Sanciti Spiritus assisti nobis gratia, & simul cum eadem Friderico Romanorum Imperatori semper Augusto viâ & victoria. Anno VII Regni ejus, Imperii verò IV.

Anno ab Incarnatione Domini MCLVIII. Indiæ. VII. Ego Berzo & Index Ordinarius sacri palatii gloriosi Imperatoris Friderici & Rogerius Caterato ex præcepto prædicti Imperatoris cognitores causæ, quæ vertebatur inter Albertum Frisingensis Ecclesie Episcopum, & Ezelinum de Basano super possessionem terræ de Gudaga cum ejus appenditiis, Ezelinò legitime vocatò, & venire nolente, communicatò multorum prudentium consilio pronuntiavimus, prædictum Albertum Frisingensis Ecclesie Episcopum mutendum in possessionem terræ de Gudaga cum pertinentiis ejus in integrum. Hæc acta sunt in presentia prædicti Imperatoris Friderici, & aliorum complurium Principum, quorum nomina hæc sunt. Eberhardus Babenbergensis Episcopus, & Daniel Bragenusius R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Yy Episco-

Muha viadictat.

*Episcopus, & Conradus Eistetenſis Episcopus, & Fridericus Dux de Rotenburch, & Conradus Palatinus de Reno frater Imperatoris, & Otto Palatinus de Wiltineſpach, & frater ejus Otto, & Hermannus Marchio Veronenſis, & Henricus Dux Karenanus, * & Wilbelmus Marchio de Monte Ferrato, & Gwido Comes Blantatenſis, & G. de Caneroſa Bononienſium Potestas, * & Marchio, Opizo Maloſpina, & alii multi. Data in loco Marcenco & Territorio Terdouenſi Indiſ. prædicta XII. Kalendas Marcii. Ego Berzo Judex Ordinarius ſacri Palatii prædicti Imperatoris ex ejus mandato complevi, ſcripſi, & ſubſcripſi. Ita ſus, quæ Albertum inter & Ezelinum eouſque agitata fuerat, tandem feliciter decifa eſt: ubi obiter monemus Lectorem, Ezelinum, de quo hic agimus, non eſſe famoſum illum Langobardiæ Tyrannum. Ille enim primum ſæculo XIII. ſub Pontificibus Gregorio IX. Innocentio IV. & Alexandro IV. tyrannidem exercuit, ac vitam poſuit.*

Alterum Instrumentum ſuper eviſione Comitatus Catubrienſis eſt tenoris ſequentis :

*Sancti Spiritus aſſit nobis gratia, & ſimul cum eadem Friderico Romanorum Imperatori, ſempërque Auguſto vita, & victoria. Anno VII. Regni ejus, Imperii verdè IV. anno ab Incarnatione Domini MCLVIII. Indiſione VII. Ego Berzo Judex Ordinarius ſacri Palatii glorioſi Imperatoris F. ex ejus præcepto cognitor cauſe, quæ vertebatur inter Albertum Friſingenſem Episcopum, & Guezolm de Camio Sevaloricum Guezolini procuratorem ſuper poſſeſſione totius Comitatus de Catubrio * viſiſ rationibus utriuſque partis, & diligenter pro poſſeſſione condempno Guezolinum Sevaloricum ejus procuratorem Alberto Friſingenſi Episcopo in reſtaurationem poſſeſſionis totius Comitatus de Catubrio, & prædicti Comitatus poſſeſſionem in integrum à Guezolo reſtituendam eſſe Alberto Friſingenſi Episcopo pronuntio. Hæc acta ſunt coram prædicto Imperatore F. in civitate Mutina in Palatio, Indiſione prædicta. Teſtes interſuerunt, quorum nomina hæc ſunt. E. Bamberg. Episcopus. Et Fridericus de Gunſpach, & Burcardus de Asburgo, * & Armannus Marchio Veronenſis, & Comes Albertus, & alii plures. Ego Berzo Judex Ordinarius prædicti Imperatoris ex ejus mandato ſcripſi, & ſubſcripſi. Ita Albertus Eccleſiæ ſuz domi foriſque optime feliciffimèque proſpexit.*

Paulò poſt, cum probè perſpectum haberet Imperator, Victorem IV. ſeu Octavianum quantumvis à Conciliabulo Papienſi laudatum, conſecratumque, ſolis ferè per Germaniam Bojaræ Præſulibus munimè probari, literas ad eos, nempe ad Eberhardum Salſburgenſem, Albertum Friſingenſem, Hartmannum Brixiſenſem, & Romanum Gurcenſem dedit, quibus nequirer expoſita totius rei ſerie, nec ſine demiffio verborum apparatu ac lenocinis rogabat, ne ſibi ab aliis illud paterentur, ſed unà cum tot aliis Episcopis Victorem Papam recognoſcerent. Totam illam epistolam Radevicus recitat: Verùm quid ad hæc ſtatuert prædicti fortiffimi Præſules, Radevicus, metu utique Friderich, neutiquam expreſſit. Aſt diſcipulus S. Eberhardi Salſburgenſis Archiepiscopi in ejus vita ſatis demonſtrat, quàm alienum à Victore Antypapa animum Archipræſul ille ſemper habuerit, cujus ſententiæ non ſolum Hartmannum Brixiſenſem, verim etiam Romanum Gurcenſem, atque Albertum noſtrum Friſingenſem acceſſiſſe, vel ex eo demonſtratur, quod Fridericus non ad Eberhardum, & Hartmannum ſolos, verùm etiam Albertum, atque Romanum, veluti votis ſuis oppoſitos, literas illas exaraverit: neque conſtet, hos duos poſteriores Episcopos Cæſaris factioni adhaſiſſe, aut pœnis Eccleſiaſticis, cum Fridericus, una cum aſſectis Episcopis, diris ab Alexandro devoveretur, percuſſos fuiſſe.

Hæc anno Chriſti 1160. contigiſſe Baronius memorat, quo ipſo anno Radevicus Hiſtoriz ſuz extremam manum impoſuit. De Radevico Scriptore noſtro

* al. Karinthianum.
* Italicè Poſſeſſia:
Latin. Praetor.

* Germanicè Eadobertall.

* al. Abſbur.
B^o.

Imperator Episcopus Romanus commendat Picoſo. Papienſi.

ſed ſuad.

nostro Frisingensi ad dictum annum idem Baronius scribit: *Stetit hic (inquit) ipse auctor Radevicus, qui ad ipsum Fridericum duos libros, appendices ad Ottouem Frisingensem, conscripsit, in quarum posterioris extrema parte laudes celebrans ipsius Imperatoris, libens, volensque finem scribendi fecit, conscientia repressus. Ubi enim audivit, ipsum sententiam Alexandri anatematate esse mulctatum, detectisque mendaciis, jam in Ecclesia Catholica Catholice recipi, atque colli Pontificem Alexandrum, destitit ulterius progredi, & ejusdem Friderici res gestas scriptis prosequi, quem videret per devia errantem extra Ecclesiam cum schismaticis rem agentem, eosdemque indefessò studio protegentem.* Hæc de Radevico Baronius: & merito. Nam Radevici opus attentius evolventi Lectori luculenter innotescet, eum de Victore Anti-Papa neutiquam bene sensisse. Ait enim Scriptor noster *Libri IV. cap. LXXIX.* in Papiensi conventu penes Octavianum victoriam stetit, hoc modo: *Octaviano, inquit, cum præsens advenisset, & haberet, qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, & pro ipso Concilium dedit sententiam, condemnatò Rolandò, & reprobatò, qui citatus legitime, Concilio se representare contumaciter abuisse dicebatur.* Ubi vides, Lector, Radevicum de Rolandò non protulisse, quæ ex sensu suo vera essent, sed solum, quæ dicebantur. Citatum fuisse Alexandrum, certum est; falsum verò, fuisse citatum legitime, Quis enim legitime electum Pontificem citasset legitime? Subjungit Radevicus: *Sapius autem Lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed literis, quæ ad manus nostras venerunt, & huic operi inferende vise sum, suo servans arbitrio, quando de hac controversia & litis decisione, Conciliique judicio sufficienter sibi fides facta videatur.* Vides iterum, Lector, Radevicum tuo judicio commississe controversiæ decisionem, Concilii rationem & judicium. Quid verò scripsisset Radevicus, si & convocationem, & judicium Concilii potestate legitima censuisset esse facta? Aliud scribere Frisingensis ille Canonicus non poterat, eo potissimum tempore, quo Ecclesiæ Frisingensis plurimam intererat, ne gravius irritaretur Imperator, ac opem Frisingensibus ruinas subtraheret. Satis denique Scriptor noster mentem suam orbi explicuit, cum deinceps de rebus Friderici scribere cessavit, quippe in quibus nihil laude dignum repererat. Auctorem ejus consilii Radevico fuisse Albertum nostrum, vix est, cur quisquam dubitet, maximè cum & Eberhardus Archiepiscopus, & Hartmannus Episcopus, vir uterque sanctus, pro Alexandro Pontifice, ac Ecclesiæ Dei veluti muros sese opponerent, & Ratisbonensis atque Pataviensis Episcopi Victori Pseudo-Pontifici neutiquam adhærerent.

Eodem anno, Christi 1160. Albertus Episcopus noster sub certis conditionibus Ezelino (de quo supra) Castrum Gudigi jure beneficiario, seu feudi, concessit, idque actum est in Lonca, nempe Lak, vulgò Bischoffslak in Carniola, ubi inter testes Clericos recensentur Abbas Rotensis Lotharius, & Otto Præpositus S. Andreæ &c. Instrumentum exhibemus in Parte Altera.

Proximo anno, Christi 1161. graviter inter se collisi Henricus Leo, Bojariz hæcenus Dux, & Hartvicus Episcopus Ratisbonensis conciliantur potissimum opera Eberhardi Salisburgensis Archiepiscopi, qui cum eodem tempore ab Antipapa Victore, nempe Octaviano, ad Conciliabulum Laudense evocatus fuisset, comparere noluit. Albertum nostrum aut evocatum fuisse, aut comparuisse non constat. Poterat utique is Imperatorum iterum facile excusare absentiam suam, quippe qui ingenti restaurationis Frisingensium ædificiorum operi præsens esse omnino cogebatur, quamquam eo anno saltem Cathedralis Basilicæ fabricam ad finem fuisse perductam latè constat ex iis, quæ etiamnum conspiciuntur ad portam ejus Ecclesiæ interiorè, supra

R. P. Caroli Meinzelbeck Hist. Frising.

Yy 2

quam

Causa Radevici, in Opere suo.

Albertus Episcopus, feudum concessit.

N. 1340.

Conciliabulum Papiæ celebratur.

Frideric. Imp. adjuvat restorationem Cathedr. Eccl. Frisingensis.

quam ad sinistram ingredientium partem sculpta cernitur imago Imperatoris, adjuncta itidem imagine Alberti Episcopi, & hac inscriptione lapidi incisa:

Fridericus Romanorum Imperator Augustus.

Ad dexteram verò partem exhibetur effigies Imperatricis, his verbis superius expressis.

Conjux Beatrix Comitissa Burgundia.

Anno M C L X I.

Quod utique luculenter indicat, Fridericum Imperatorem larga manu ad restaurationem ejus Basilicæ concurrisse, unà cum Beatrice Conjuge sua.

Hæc est illa Beatrix, cui deficientibus documentis, tum ex antiqua fama ad nos usque perlata, tum ex conjecturis quibusdam tribuitur donum illud pretii propè incredibile, nempe Amula illa, seu vas aquæ benedictæ, magnitudinis justæ, ac fermè tantæ, quantæ solent esse eæ, quæ adhibentur in Catholicis Ecclesiis, dum Sacerdos lustrali aqua populum aspergit, ex mero atque unico chrysolitho constans, unà cum manubrio aspergilli, ex mero, ac itidem unico smaragdo fabricatæ, quæ verè Regia, aut plùs quàm Regia dona hodiè que in Cathedrali Basilica Frisingensi asservantur, & aliquando stupentibus advenis exhibentur. Nos utriusque imaginem æri incisam in ea longitudine ac latitudine, quam reipsa habent, curiosis Lectoribus exhibemus. Obcurior fama est, Imperatricem illud summi pretii donum contulisse dictæ Cathedrali Basilicæ, eò quòd Divi Corbiniani precibus à lepra fuerit mandata. Miramur interim haud immeritò, quomodo fieri potuerit, ut nemo esset, qui certum tantæ donationis auctorem posteris nunciaret; nisi fortassis suspicandum sit, Codicem, in quo ejusemodi donationes descriptæ fuere, sive incuriâ, sive injuriâ hominum, aut incendio periisse. Eadem de causâ Lectorem edocere non possumus, equis pretiosas è corpore S. Sigismundi, Burgundionum Regis ac Martyris Reliquias Cathedrali huic Ecclesiæ intulerit, quæ temporis lapsu tam copiosa mueris mortalibus beneficiâ contulère, ut Rex ille sanctus in Patronum ac Tutelarem hujus Diœcesis, post S. Corbinianum præcipuum eligeretur, atque annuo solenniori officio hucusque celebretur, supplicabundis fidelium agminibus non ex superiori duntaxat, verùm etiam ex inferiori Bojaria quotannis ad ejus opem estlagitandam confluentibus, cœlòque mirè puniente eos, qui de religioso Divi cultu aut contemptim loquuntur, aut eum negligunt, vel negligenter persolvunt, quod certissimis experientiis comprobatum est.

Inter primos Reliquiarum Divi Sigismundi cultores ab aliquot seculis numerantur coloni Mammingæ, qui vicus est inferioris Bojariz, infra Dingolsingam situs, inregri bidui spatio Frisingâ distans. Accidit verò quodam tempore, ut, cum Mammingenses ex annua consuetudine cum vexillis solitis Frisingam religiosam peregrinationem instituerent, quidam ejus loci rusticus supra arborem, nescio qua de causâ constitutus, à prætereuntium quodam interrogaretur, an non vellet sese Frisingam abeuntium cœtui jungere? Respondit homo cœlestium planè inanis, se nec pedem quidem suum velle Frisingæ reperiri. At ecce tibi! vix ea verba esutierat lingua petulans, cum planta pedis occulta vi à sura illius avulsâ in terram ex arbore decidit, quam canis quidam arripiens, & unà cum supplicabundo agmine Frisingam veniens, ad Divi Sigismundi Sacras Reliquias stupentibus omnibus deposuit, quam hodiè que ad ejus aram appensam non sine horrore spectamus. Ita didicere Mammingenses *non temere Divos*, sed Evergetam suum Sigismundum quot annis, non attentò tantò viâ spaciò venerari. Ubi cum tenero animi solatio addimus, Mammingenses incolas, dum sacris Pen-


Beatrix Augusta in Ecclesiam Frisingensem Regiæ munita.


De Reliquiis S. Sigismundi Regii & Mar.

Quam contemptus fuerit puniunt.

Frisingam erga Mammingenses perat.

pag. 566.









I

II



I
MANUBRIUM ASPERGILLI
II
AMULIA AQUÆ BENEDICTÆ.



Pentecostes feriis Frisingam venire solent, à Frisingensibus civibus admirabili charitate occurrentibus ad ædes suas certatim invitari, cibo potuque largè recreari, lectò confoveri, & aliquando etiam viaticò donari, idque tum ob memoriam singularis illius prodigii, quod modò retulimus, tum in venerationem communis Tutelaris Patroni Sigismundi. Nos ista ob honorem sanctissimi Regis hìc tantò majori animi solatiò commemoramus, quod ex accuratissimi Pagii mente hic ipse, quo ista scribimus, annus, Frisingensis Ecclesie millesimus, Divo Sigismundo, anno Christi 1224. passò, in coelo sit millesimus duccentesimus, ac duodecimi sæculi ultimus, cui in beata æternitate accessura sunt sæcula sæculorum, qualia, accedentibus ipsius piis patrocinii etiam nobis omnibus ab Optimo Numine apprecamur. Cæterum donum sacrarum Reliquiarum S. Sigismundi Burgundiæ Regis, ac gloriosi Martyris, cui alii, dehcidentibus aliis vestigiis, verosimilius tribucimus, quam eadem Beatrici ex Burgundiæ Comitibus prognatæ, cujus effigies, ut diximus, supra portam interiorem Cathedralis Ecclesie sculpta conspicitur? Ubi nihilominus fatendum est, quòd jam in ea pcrvetusta liturgia Frisingensi, quam à Gamanisio visam fuisse sæpc diximus, eodem teste annotetur: *Missa de S. Sigismundo pro febricitantibus* cum hac Orationis præcipue formula: *Inclina, Domine, piæ aures tuas ad desideria supplicantium, & quod devoto corde poscimus, benignus admitte, & huic famulo tuo, qui typhi cottidiani, biduani, tertiani, quatriduaniquæ, aut qualibet reliquarum febrim vexatione fatigatur, fidelis famuli tui Sigismundi Regis precibus occurras clementer, & dum nobis illius patefacis merita, præsentì egrotò conferas medicinam per Dominum &c.* Unde intelligimus, S. Sigismundum jam sæculo Christi decimo apud Frisingenses aliquem peculiarem cultum habuisse. Et quoniam hìc de sacris Divorum Exuviis agere cœpimus, commodè (ut res ipsa postulat) subjungimus, quod occasione instaurandæ Cathedralis Ecclesie Frisingensis, referente Freibergero domestico scriptore, sub Alberto Episcopo accidit,

Jacida erant, ut modò diximus, fundamenta pro nova Cathedralis Basilicæ structura, jamque fossores operi manus diu adhibuerant, cum ecce! reperta sunt tria corpora, quæ viri grandævì contendebant esse sanctorum Alexandri Papæ, & Martyris, Justini Confessoris, ac Nonnosii Monachi, ab Hittone Episcopo Roma Frisingam asportata. Verùm cum testibus illis fides non adhiberetur, sacra illa ossa non solùm sine veneratione, sed etiam absque omni custodia aliquamdiu neglecta jacebant, ac denique jamjam extra templi aditum exportanda erant. At cum portitores sacras illas exuvias ad locum januæ Ecclesie detulissent, pedem extra Ecclesie ambitum ciferre minimè potuerunt, adeò, ut re magis perpensa, maturiusque discussa nemo esset, qui non intelligeret, vera esse, quæ viri leniò graves asseruerant. Hinc statim ad alia consilia conversis animis, ædicula lignea constructa est, qua sacra illa ossa tantisper contegerentur, dum nova Ecclesie fabrica conurgeret. Auxere incredulis fidem multa prodigia, quæ ad illam ædiculam accidere, dum ex incisorum corporibus maligni hospites ejiciebantur, cœci oculorum usum recipiebant, aliusque variis morborum generibus vexati mortales liberabantur. Ita DEUS sanctorum suorum ossa majori fidei cultu deinceps honorari voluit. Hæc ex fide Freibergeri. Unde verò is eam narrationem excerptit, nobis hætenus manet incognitum: qui interea iterum suspicamur, complures membranas, chartasque Frisingenses sive domesticorum incuriã periisic, sive extrancorum fraude fuisse amissas. Sanè Divi Nonnosii sacra pignora à sancto Eberhardo Salisburgenfi Archiepiscopo, & Religiosissimo Antistite nostro Alberto fuisse in tumulo elevato cryptæ Cathedralis Ecclesie posthac adjectis præclaris signis reposita, apparuit mirà

Annus Christi
1724. est
S. Sigismundi
sæcularis
duodecimus.

Colunt S. Sigismundi
vultus apud
Frisingensem.

Reperitur
Corpora san-
ctorum Alex-
andri, Justi-
ni & Non-
nosii.

DEI providentiâ, eum Celsissimus, ac Reverendissimus Princeps & Episcopus Frisingensis Joannes Franciscus die 27. Januarii anno 1708. tumulum illum præter omnem expectationem detexit & aperuit. Quæ de re suo locò plena manu agi poterit.

Quæret hic fortassis nonnemo, eccur sanctorum Alexandri, Justinii, atque Nonnoli sacræ Exuvie Romæ allatæ, subterram fuerint iterum sepultæ?

Respondemus, id veterum consuetudini fuisse conforme, uti hodièque Romæ quàm plurima sanctorum Corpora sepulta manent, uti nemo Romanorum ignorat. S. Augustini Reliquiæ ex Africa in Sardiniam, inde Ticinum translata, ac rursus sepultæ: demùm nostra primùm ætate iterum fuere repertæ. Divi Marci ossa ex Asia Venetias adducta iterum fuere tumulo condita, uti Veneti contendunt. Simillima nostri Emmeramiani de sacris S. Dionysii Lipsanis tradunt. S. Corbiniani Corpus, miraculis gloriosum, è tumulo Frisingæ elevatum, Majis iterum fuit humatum ubi etiam aliquanto tempore sine cultu jacebat, ut Aribo testatur. post 39. circiter annos rursus Frisingam reportatum in Cathedrali Ecclesia fuit conditum, uti ex tot membranis edocetur. Verùm ejus rei innumera exempla passim occurrunt: nec est, cur plura adducamus.

§. IV.

Acta Ecclesie, Imperii, & Alberti Episcopi ab anno Christi 1161. usque 1165.

CUM anno Christi 1162. Fridericus Imperator post longam obsidionem Mediolanum subegisset, pulsisque civibus, atque ædibus omnibus, præter sacras, everfis, arcam decussatim, nempe in modum crucis aratro icindi jussisset, metu parium sanctorum cæteræ quoque Langobardiæ urbes exterritæ, eidem sese dederunt, Alexandro, legitimo Pontifice, in Gallias fugâ sese subducente. Tam splendoris triumphos agens Imperator, Eberhardum quoque Salisburgensem Archiepiscopum, ac Hartmannum Brixinensem Antistitem, qui hæcenus Cæsaris idolum Octavianum adorare constantissimè abnuerant, vincere studuit, eosque minacibus literis ad se evocavit, postquam ii jamjam antea à Cæsareis Aulicis ceu læsæ Majestatis rei damnati fuerant. Comparuere etiam coram Friderico Viri illi sancti, ut adeo nemo jamjam dubitaret, quin uterque schismati accessurus esset. Verùm secus accidit. Sapientissimi enim Antistites ad Cæsaris alloquium admissi, Alexandri legitimi Pontificis causam tam piè, tam humiliter, tam facundè dixerunt, ut nullas eis irascendi causas Fridericus invenerit, sed eos, nemine non obstupescente, & splendens Octaviani fautoribus, illesos ad suas Ecclesias remiserit. Post utrumque illum laudatissimum Pontificem proxima laus debebatur Gerhohi Reicherpergensium Præposito, quem in suo comitatu Eberhardus habebat. Nam cum is quoque apud Imperatorem pro Alexandro modestissimè disceptasset, non solum injuriâ nullâ, sed insuper etiam gravis Cæsareis affectus est, ut Palatii tradit. Sacri illi Præfules nostri, cum in reditu Cremonam diverterent, ubi Octavianus eo tempore commorabatur, eum ne quidem salutatione dignati sunt.

Neque dubitare fas est, cæteros Bojariz Antistites eo factò firmatos, pro Alexandro fortiter stitisse. Certè Albertus noster sæpe affirmasse fertur, se ab exemplo Archiepiscopi sui nunquam recessurum.

Posthæc Alexander III. Turonis in Gallia Concilium convocavit, in quo comparuere. Cardinales XVII. Episcopi CXXIV. & inter hos S. Thomas Cantua-

Imperator
frustra tentat
Eberhardum
Salisburgensem,
& Hartmannum
Brixinensem
Episcopos.

Uti etiam Gerhohi
Reicherpergensium
Præpositi.

lib. 22. pag.
156.

Acta Concilii
edit. Harv.
T. 6. part. 2
col. 158. &
159.
Concilium
Turonis.

Cantuariensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis: item Abbates CCCCXIV. In ea Synodo Victor Antipapa, ejusque fautores solenni anathemate iterum damnati, ac plures pro Ecclesiastica disciplina Canones fuere conditi. Inter hæc coelum Eberhardo Archiepiscopo velut fortissimo Ecclesie propugnatori sempiternam coronam decrevit, eandemque memorabili visione præsignavit. » Mulier debebat in civitate Frisingensi (ait Mezerger) rebus » coelestibus tota dedita, & exclusis mundi turbis in cella quadam solita » ria reclusa. Ipsa aliquando in extasi divinitus raptâ spectavit animo horrenda inferorum supplicia, & quidquid triste ardens ille damnatorum carcer recondit. Deinde ad superna lætiori visione sublata vidit quoque felicissima beatorum gaudia, & splendidissimas sedes. Ista dum mirabunda circumspicit, objecit se oculis sedes quædam sublimis magno splendore circumfusa, cui ab utroque latere Custodum instar assistebant sancti Petrus, atque Rupertus. De quo dum ampliùs religiosa mulier obstupesceret, dicentes audii binos illos coelites, sedem eam esse Eberhardi Archiepiscopi, quam ipsi usque ad ejus mortem custodirent; eam verò non procul abesse. Visionis veritas per eandem religiosam feminam Frisinga Salisburgum per scripta, paulò post secuto Eberhardi fatò comprobata est. » Hæc fere laudatus scriptor ex vita B. Eberhardi, quæ extat apud Henricum Canisium Tom. VI. ubi addatur, Eberhardum ad cælos translatum miraculis in terris claruisse. Ita perditissimis etiam temporibus Ecclesia Romana nunquam caruit verisimilibus columnis, virisque ac foeminis spiritu DEI plenis. Cæterum Eberhardo in Metropolitana sede Conradus, eo nomine secundus, defuncti Ottonis Episcopi nostri frater, Pataviensis hætenus Episcopus, in solio Archiepiscopali successit, qui & ipse pro legitimo Pontifice & Ecclesia DEI velut murus æneus stetit, idcirco Regalia à Friderico minimè consecutus, sed in exilium ejectus. Eberhardum eodem anno ad cælos comitatus est B. Hartmannus Brixinensium Episcopus, qui itidem usque ad mortem legitimo Pontifici fidelis fuit, atque in terris prodigiis claruit. Non ita Victor Papa, qui eodem quidem etiam anno vitam, sedemque imaginariam reliquit, verùm à nemine, nisi à schismaticis aliquamdiu beati titulum retulit. Ei iidem schismatici subrogarunt Guidonem Cremensem, quem Paschalem tertium dixerunt.

Eberhardi Archiepiscopi præmium in rebus,

Histor. 56. lib. 4. cap. 16. pag. 1201. pag. 1206.

Mori B. Hartmanni Episc. Brixin.

Continuatio Schismatis.

Albertus interea noster superiori anno Christi 1163. Monasterio montis Madronensis S. Petri Ordinis S. Benedicti: nec non Sigibotoni Comiti literas dedit, quas ex autographo, etiam nobiscum ab Illustrissimo, ac Reverendissimo DD. Joanne Ferdinando Reinhardo Josepho, Libero Barone de Pœdigheim Cathedralis Ecclesie Frisingensis Canonico, & Ecclesie illius Madronensis Præposito communicato rectè exscripsit Gewoldus in hunc modum.

Albertus pro Monasterio Madronensi sollicitus.

In Add. ad Hand. 7. p. 148. 97.

Cum * in nomine sancte, & individue Trinitatis. Albertus DEI gratia Frisingensis Ecclesie Episcopus. Quæcumque res gestæ cognitionem sui ad posterum, & longam memoriam transmitti desideravi, scriptis expediri debere non dubium est. Inde est, quod nos quoque eam, quæ circa Cellam sancti Petri in monte Maderano sitam, à nobili viro Sigibotone Comite facta est, traditionem, & mutuam pactionem, præfati scripto curavimus annotare. Præfatus siquidem Comes pro remedio anime suæ, omniùmque parentum suorum, quicquid proprietatis seu juris in eodem monte vel in præfata cella habere videbatur, super altare beate Mariæ sanctique Corbiniani, cujus vicem nos, licet indigni, tenemus, delegavit cum omnibus ad eundem locum ritè pertinentibus, ac prædiis, quæ sua propria familia prænominate Celle jam tradidit. Suum quoque assensum & conventiam spondidit, quicquid in posterum alicui de suis ad idem Canobium, seu de mobilibus, seu de immobilibus, festèque

ita habet autographum.

MOUEN-

moventibus contradere libuisset. Nos ergo ejus devotioni, pieque voluntati debitâ benevolentia respondendum duximus; eundem locum unâ cum dilectis fratribus nostris majoris Ecclesie Canonicis suscipientes, decrevimus eum ab omni oppressione & exactiōe liberum esse, solis divinis obsequiis cum Monachis & fratribus, qui inibi DEO in perpetuum famulari debent, mancipatum. Statuimus quoque, ut si forte per divinam opitulationem incrementum acciperit majoris, & celebrioris Monachorum conventus, liberari eos habere de liberationem in eligendo sibi Abbate, vel Priore. Sanè donec & rebus & numero provebatur, per nos & fratres nostros Canonicos adhibito assensu illius Congregationis Prælatum in eligendo - - - quoque provideatur, qui disciplinæ & Monastica normam & in se cognoscatur habere, & aliis verbo & exemplo præesse valeat, & prodesse. Porro - - - Comes Sigiboto quoad vixerit seu de manu nostra seu nostrorum successorum susceptam - - - ministret, idemque in prole sua, quæ per masculinum sexum ab illo recta linea descenderit, observandum decernimus, videlicet ut jure successionis eandem teneant advocatiam, ita tamen, ut juxta officium suum ita bonis provideant, maos coherceant, ne in extremo examine æterni judicii pœnas luant. Ut autem hujus traditionis atque pactionis contractus, communi totius Ecclesie nostræ assensu roboratus, firmus & inconvulsus omni tempore perseveret, hanc inde chartam conscribi, & sigilli nostri impressiōe signari, manibus propriis, ut infra apparet, corroborantes, testes quoque subter notari fecimus, quorum hæc nomina sunt: Rapoto Abbas S. Stephani. Lotharius Abbas Rotensis. Hermannus Præpositus novæ Cellæ. Engelsticus Decanus majoris Ecclesie. Herrant Archipresbyter. Otto Archidiaconus & Præpositus S. Andree. Albano Præpositus S. Castuli. Arnoldus Archidiaconus. Hartmut Archipresbyter. Rudolf. Ugo. Leupolt, Perchtolt & ceteri. De Laicis de Paingen. Waltman de Passperc, & filius ejus. Rudolf. de Waldeke, Mezinhart de Ainspach. Conrad de Heidoilvingen & cognatus ejus. Froidiliep Friderich de Hegelingen, Eberhart de Werde. Adelolt, Rudolf & frater ejus. Gerwic. Friulo & fratres ejus Cunrat & Sigibart, Alberich de Elspach, & fratres ejus Sigiboto & multi alii. Signum Domini Alberti Episcopi.

Actum Frijingæ anno Incarnationis Domini MCLXIII. Anno autem Domini - - - Friderico Rom. Imp. feliciter amen.

Hæc Albertus Episcopus, à cuius tamen temporibus res Madronenses à statu pristino atque Monastico prorsus exciderunt.

Sequenti anno, Christi 1164. 6. Id. Septembris Albertus Episcopus dedicavit Ecclesiam in Nowwinburo (fortè Neuburg) uti in libro traditionum Weyarensum prope finem legimus.

Eodem anno Otto, Frijingensis Ecclesie Advocatus sequentes literas eidem Ecclesie consignavit, quas ex Quinto Traditionum libro extrahimus, ubi sequentia legimus.

Quòd nihil præter jus advocatitium à colonibus Ecclesie debeat extorqueri.

IN nomine sanctæ, & indivisæ Trinitatis. Ego Otto Divina clementia sacri palatii Comes, Advocatus Frijingensis Ecclesie. Notum esse cupio omnibus, qui has literas legerint, vel audierint, quòd cum die 7^o Domino nostro Alberto ejusdem Ecclesie Episcopo pro conservanda inter nos sinceritate dilectionis & concordie taliter conveni, sicut presenti scripto subnotatum est. Laudavimus ergo eum, & conservare promittimus, quòd à colonis suis, quos in dominatu suo habet, nil accipiemus, vel officialem nostrum accipere faciemus ex his, quæ nobis jure Advocatiæ ad illis debentur, nec eos ad Placitum nostrum, vel Officialis nostri venire cogemus, nisi ter in anno, & tunc venientibus nullam

Omo, advocatus Frijingensis Ecclesie.

nullam controversiam placitando movebimus, vel movere faciemus, nisi tantum super tribus causis, videlicet, si aliquis eorum matrimonium contraxit in dampnum Ecclesie cum non sua pari, vel non libera conditionis muliere. Item qui pugnaces inter eos, & percussores inveniuntur, & siquidem furto inveniuntur, nobis respondebunt. In his vero investigandis & persequendis benignum nos exhibebimus, & nihil insidiosè vel malitiosè aut ipsi agemus, aut Officialem nostrum agere patiemur. Ad placita autem denuncianda Officialis Episcopi tres viros de sua familia designabit, qui ea secundum diem & locum congruum ceteris debeant significare. Porro in hujus rei compensationem ipse Episcopus singulis annis quinque libras Ratisponensis & Frisingensis moneta in Fesso Pentecostes se nobis daturum spondit. Hoc quoque notum fecimus, quod hoc amicabile laudamentum ita personaliter inter nos presentibus fidelibus & amicis nostris statutum est, quod nos illud, pro jure & justitia ad posteros nostros non transmittimus, nisi fortè idipsam tunc eos hinc inde facere colliberis, sed ut firma nostris temporibus utrinque maneat compromisso, hanc inde chartam conscribi, & sigillo utriusque nostrum eam consignari fecimus, Testibus, qui presentes erant, subnotatis, quorum hec sunt nomina. De nobilibus Chnodo Megeligen. Henricus de Stauffen. C. de Rore. Aribo de Piburch. Bern. de Rinte. De Ministerialibus Ecclesie, Rudolf de Passperch & filius ejus. C. de Heidolvingen Eber. de Werde. Engelwan de Achdorf. Adalhardus de Prisingen. Ulricus de Holzbusen. Gerwicus de Camera & alii. Actum Frisinge Regnante Divo Imperatore Friderico. Anno ab Incarnatione Domini MCLXIII. Anno autem Domini Alberti Frisingensis Episcopi quarto * feliciter in Christo.

Hanc transactionem Alberti Episcopi cum Ottone Advocato initam nemmo eruditus censèbit indignam, qui perpenderit, quantis malis genus illud hominum (Advocatum, inquam) Ecclesias olim oppresserit.

* forte à consecratione.

§. V.

Continuatio actuum ab anno 1165. usque ad annum Christi. 1179.

ANNO Christi 1165. (ut notat Reicherpergensis Chronographus) Fridericus Imperator Episcopos Principesque Germanie Herbipolim convocavit, ubi de confirmando Paschale, atque ejurando Pontifice ageretur. Comparuisse dicuntur Episcopi quadraginta, & inter hos etiam Albertus noster. Is qualem sese in impio illo Conciliabulo gesserit, Baronius tradit, docetque ex quadam epistola a d Alexandrum Pontificem à quodam amico data, Frisingensem (Baronius rectè legit Frisingensem) Episcopum propter sui Archiepiscopi absentiam excusatum, juramentum facere ininimè coactum, sed habita licentia ad propria rediisse usque ad Festum beatorum Apostolorum Petri & Pauli licentiam impetrantem. Quid sanè deinceps Albertus statuerit, ac num postea Herbipolim aut alibi ad Imperatorem redièrit, & Paschali sacramentum dixerit, difficillimè decernimus. Equidem minimè nos fugit, in Chronico quodam Austriaco, quod nuper è Zwetensi Bibliotheca Clar. P. Hieron. Pezius in Lucem protraxit, disertè haberi, Albertum Frisingensem Episcopum, qui antehac in Imperatoris verba jurare noluerat, eodem anno diu renitentem, coactum jurasse obedire Paschali pro conscientia, quamdiu Imperium partem ejus foveret, & quamdiu regalia habere vellet. Verùm, ut diximus, huic narrationi ægerimè manus damus, cum nullibi legamus, Albertum nostrum diris unquam à Pontifice fuisse devotum, aut ab alio deinceps absolutum; certumque sit,

Conciliabulum Wirzburgense.

Qualem in eo se gessit Albertus Episcopus?

Tatidem ferè verba reperio in Codice Teutonicis: A. 12 Papalis 148. 93. 4.

eum impia Friderici castra nunquam esse secutum; velut etiam in consequentibus videbimus. Neque obest, quod Albertus noster nunquam è sede sua à Friderico fuerit exturbatus, qualem calamitatem perpeffi fuere alii Episcopi, qui Paschalem detestabantur. Id enim planè merebatur innocenta Præsul, in tam calamitosa Ecclesiæ suæ tempora jam aliàs coniecti. Fortassis tamen conjicere ex hæcenus relatis possumus, Albertum nostrum talem sese in eo negotio gessisse, ut nec Alexandri Pontificis, nec Cæsaris iras sibi conscisceret. Certè quo animo Albertus noster erga Alexandrum III. Pontificem: quo vicissim Pontifex erga Albertum fuerit, loquens Alexandri Epistola dabit.

Ex Codice
Tegernseensis.

A. Episcopus servus servorum DEI Venerabili fratri Alberto Episcopo Frisingensi salutem & Apostolicam benedictionem. Antiqua familiaritas & sincera devotio, quam te circa Matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & specialiter circa nostram personam exhibere consperimus, nos ad amorem tuum ferventem inducis, & ad exhibendum tibi gratiam & bonorem vehementer accendit. Inde est, quod nos audito, te velle ad presertiam nostram accedere, gaudio gavisi sumus, & personam tuam libenter videbimus, & in eo, quod decueris, honorare, Domino largiente, curabimus, & honestè tractare.

Ista Alexander Pontifex Alberto nostro. Quæ literæ quocunque demùm anno (quem determinare quidem non possumus) scriptæ fuerint, satis indicant, Alberti Episcopi devotionem non solum erga Romanam Ecclesiam, verùm etiam, & quidem præcipuè erga personam Alexandri fuisse sinceram, & quidem antiquam. Ubi illud obiter advertimus, constare ex hac epistola, Albertum de suscipiendo ad Pontificem itinere cogitasse. Sanè an illud postea ingressus fuerit, hæcenus asseverare non audemus, cum idoneis testimoniis careamus. Verò tamen simillimum est, Albertum iter illud omninò suscepisse. Ceterùm Episcopum nostrum ad arcendum è sua Diocesi schisma plurimum laborasse, è quadam ejus ad Rupertum Tegernseensem Abbatem exarata epistola infra videbimus.

13

Imperator
moveret exer-
citiis contra
Pontificem.

Proximo anno, Christi 1166. Fridericus Imperator apertissimo bello impetiturus Alexandrum legitimum Pontificem, è Gallia ad tuos reversum, copias in Italiam præmisit, quibus egregios scilicet adversus Ecclesiæ caput Duces Christianum Moguntinum, Rainaldum Coloniensem, Alexandrum Leodiensem, aliosque plures schismaticos Episcopos præfecit: ac demùm ipse circa anni finem sublecutus est. Sequenti etiam anno, cum Alexander Bononiam evasisset, Fridericus Romam cepit, atque Beatricem Conjugem à Pseudo-Pontifice coronari jusit, in varias Italiæ partes interim crudeliter grassatus.

Sed infelicis
succellit.

Verum ea Principis insolentiâ gravissimè offensi Itali ad arma convolarunt, parùmque absunt, quin in insidias Fridericum pertraxissent, quas tamen ille astu denique eludit. Ast verò pestem, quæ exercitum Friderici invaserat, non effugere potuit Episcopi, nempe Rainaldus Colonienis, Eberhardus Ratisbonensis, Gotchardus Spirensis, Daniel Pragensis, Alexander Leodiensis, & Hermannus Verdensis, aliique ex Principibus multi. Adeo etiam cælum contra schismaticos vindictam manifestam exercuit, cum interim nihil mali Albertus noster pateretur, qui domi rebus Ecclesiæ invigilabat.

Hannicus
Episcopus
Augustanus.

Augustæ eo anno vivendi finem fecit Conradus ejus sedis Episcopus. Et successit ei Hannicus ex Baronibus à Lierheim primùm Monachus ac Prior SS. Udalrici & Afræ, tum Conradi Episcopi Adjutor, ac demùm successor factus, uti ex Hierarchia Augustana constat.

Exercitum uterumque tum pestilentia, tum variis cladibus attrito, Imperator ne hostibus suis ludibrio esset, sequenti anno, Christi 1168. in Germaniam sese recepit, validiores sibi copias conducturus. Ea occasione usi Itali, urbes

urbes plerasque, quas Schismatici occupaverant, in dedicationem accēperē, rebus Imperatoris indies in deteriora vergentibus. Quo ipso anno sanctam mortem obiit Conradus II. ex Abbate S. Crucis in Austria primū Episcopus Patavienſis, ac demū Salisburgenſis Pontifex, diverſorum Cæſarum frater, ſororius, patruus, eorumdem tamen pro DEI Eccleſia impugnatur acerriſſimus, meritō à Baronio *immobilis veritatis columna* appellatus. Obiit verō in Admontenſi Monasterio, in quo ſeſe abdiderat, cūm ſeſe perſecutionem Friderici fugeret: ibidemque ſepulchro honorifico reconditus eſt, eò quòd venerabile ejus corpus Salisburgum ob temporis turbines tranſvehi non poſſet. Conrado Archipræſuli ſacri Electores Salisburgenſes ſuffragiis ſuis ſubrogarunt Adalbertum eo nomine ſecundum, ſilium ſororis ipſius Conradi, quæ Ladislao Bohemæ Regi nupta fuerat. Eum Alexander legitimus Pontifex paulò poſt Pallio donavit, Fridericus verò non ſolūm Regalibus privavit, verūm etiam è ſede ejecit, quòd is, more Prædeceſſorum ſuorum, partes Alexandri conſtanter fovet. Proximo anno fatiſ conceſſit B. Gerhohus Reicherſpergenſium Præpoſitus, vir ille, in quo virtūſe admiranda, an doctrina contumacitima primas tenuerit, meritō dubitaveris. Superſunt multa ejus eruditiffima & zelo divini honoris reſertiffima opera à Viro Clariff. P. Bern. Pezio Summò Eccleſiæ bonò in lucem demū ingenti labore protracta, quæ ſi manibus tum Principum, tum maximè etiam utriuſque Cleri, Regularis ſcilicet æquè ac ſæcularis, verſarentur, poſſet fortaiſſis rebus Eccleſiæ etiam noſtris temporibus major Religio conciliari. De B. Gerhoho plura Raderus in *Bavaria ſancta*, & nos ſuperiùſ paſſim.

Obiit Con-
radus II. Archi-
epiſc. Salisb.

Ejus ſucceſſor
Adalbertus II.

B. Gerhohus
mœſtus.

Eodem tempore Paſchali Pſeudo-Pontifici deſuncto Schismaticorum voſ ſucceſſit Calliſtus III. antehac Strumienſis Abbas, cujus tamen electio- nem Baronius nonnihil differt: Pagius verò eandem ad annum Chriſti 1168. aſſigit. Anno ſequenti 1169. Albertus Episcopus Schefflarienſi Monasterio decimas curtiſ ſeu prædii ruſtici in Ilbungeshof dono dedit, expeditus eum in ſinem literis, quas in Parte Altera exhibemus.

N. 134L

Proximo anno, Chriſti 1170. S. Thomas Cantuarienſis Antifites glorio- ſiſſimum pro Eccleſiæ immunitate Martyrium conſummavit. Albertus verò Episcopus noſter rursū Schefflarienſi Monasterio decimas in Cheverloch do- navit. Chartam donationis in parte altera damus. Ex ea intelligimus, do- nationi illi pene omnes Friſingenſis Dioceſeos Præpoſitos, atque Cœno- biarchas interfuſſe, ac ſuffragia contuliſſe. De eodem Alberto Episcopo noſtro ad annum Chriſti 1172. hæc tradit Reicherſpergenſis Chronographus. *Anno 1172. in proximo autumno in hebdomada quatuor temporum Dietpoldus conſecratus eſt in Episcopum Patavienſem ſolemniter, & hoc in ſede ſua Pa- tavie ex permiſſu Alexandri Papæ ab Episcopo Friſingenſi Adalberto, & Epi- ſcopo Ratiſbonenſi Chunoſe, Episcopo quoque Briximenſi cum conſenſu & con- ceſſione Archiepiſcopi Salzbürgenſis IX. Cal. Octobrii.* Hæc ſcriptor ille, Ge- woldi judicio ſynchronus. Ex quo proinde manifeſtum ſit, Albertum no- ſtrum, cæterosque illos ſuos cooperatores Episcopos partes veri Pontificis omninò tenuiſſe. Prædeceſſores in ſede Patavienſi Pontifices, nempe Ro- bertum, ac Albonem, Schismaticos fuiſſe, ex MS. Chronico Patavienſi idem Gewoldus in Additionibus ad Hundii Metropolitum tradit. In eodem Chro- nico, eodem teſte, Albo ille, ſive Albero Friſingenſis fuiſſe dicitur & rectè quidem, ut ex Documento quodam Pollingano infra monſtrabimus.

Viri Alberti
Ep. ſiſta.

N. 134L

Tom. I. pag.
310.

N. 134L

Interea electus Salisburgenſium Archiepiſcopus Adelbertus modis in- digniſſimis à Friderico eſt habitus, quippe quem anno Chriſti 1169. Bam- bergæ nec aſpectu fuiſt dignatus: ac poſtea Salisburgi Regalibus exiit, ut jamjam ſupra dicere cœpimus. Et quaſi iſta eſſent minutiora, etiam Parenti ipſius Uladiſlao, Bohemæ Regi, in filii odium diadema detraxit: imò

Adalbertus
Salub Archi-
epiſc. ab Im-
peratore mirè
ex dignatus.

contra ipsum etiam Adelbertum, Brixinensem & Gurcensem Episcopos concitavit, qui pessimo artificio usi anno Christi 1174. in Ratisbonensibus Comitibus Archiprætulis famam tam scite lacerarunt, ut Fridericus sibi gratularetur, quod eas causas haberet, in visum caput è sede sua exturbandi, atque in ejus locum Henricum, Berchtesgadensem Præpositum intrudendi. Adelbertus damnatus fuit, tamen nullum eidem spatium pro se dicendi concessum fuit. Austriæ quoque Ducis intercessio effecit nihil; unde nec erat è cæteris, qui pro Adelberto hiscere auderet. Henricus Adelberto substitutus, nunciò ad Alexandrum Pontificem delato, eodem equidem anno à Gualterio Albanensi, Episcopo, ad cognoscendam illam causam ablegato, exauctoratus fuit, uti Mezzgerus tradit: verùm ob pertinaces Cæsaris iras Adelbertus in sedem suam restitui haud potuit.

Historia Sa-
lud. lib. 4.
cap. 18.

Henricus Leo
Bojaræ Dux
Friderici ca-
stra deserit.

Primordia ur-
bis Monachen-
sis.

Reliquis Fri-
derici Imper-
atoris.

Et cum Pon-
tificis in gra-
tiam rediit.

Alberti Ep.
liberalitas er-
ga Monaste-
rium Pollin-
ganum.

N. 1343.

Interea exercitus à Friderico in Italiam rursus præmissus primo incursum urbes non paucas occupavit. Suos paulò post cum lectissimis copiis secutus Fridericus Segusium equidem evertit, & Altam in dedicationem accepit. Verùm dum postea Alexandriam, Langobardiæ urbem, obsidione cingit, Henrico Leone, Bojaræ Duce, eundem meritò averfante, ac castra cum flore nobilitatis ac nervo exercitus deserente, tamen Cæsar etiam ad ejus genua supplices accidisset, frustra tamen fuit; imposita Imperatori necessitate obidionem turpiter solvendi. Henricus Leo ad suos reversus eodem anno, Christi 1175. novam urbem, Monachium, moliri cepit, Veringâ, Frisingensis domini urbe, ut alibi dicere cœpimus, occupata, & ponte ibi dejecto, atque ad villam *Mynichen* translato; ut cum aliis Adelzeitteris scribit. Sequenti anno, dum Fridericus novis copiis è Germania accitis rursus bellum Italiam infert, ab iisdem inflicta ingenti clade profigatur: ut demùm agnosceret, invitis superis pugnare, qui Ecclesiam, ejusque clientes lacefferet non cessaret. Ad ingentes itaque angustias redactus Imperator, cum & à nutantibus suorum animis boni sperare nihil posset, ab hostibus vero nonnulli insaufus rerum suarum exitus prævideret, ad mentem tandem serò rediit: Legatosque, Vitos Imperii primos, ad Alexandrum Pontificem misit plena potestate instructos de pace cum Pontifice consilia conferendi. Benigno animo, gaudioque ingenti Cæsaris Legatos suscepit, statimque ad secretum colloquium eos admisit. Ibi ea mutæ benevolentie sinceritate res tractata est, ut pax demùm conclusa fuisset, certis tamen conditionibus adjunctis, quibus scilicet Imperator, si pacem serò colere vellet, non cum solo Pontifice, verùm etiam cum illius fautoribus, adiutoribus, ac protectoribus sub certis pactis in gratiam rediret. Id cum Legati adpromississent, tandem sequenti anno Venetis pax inter Regnum ac Sacerdotium ingenti bonorum omnium plausu firmata fuit: quo factò demùm multi schismatici Episcopi à Pontifice fuere absoluti, quos Baronius nominatim receniet, nullibi tamen Alberti Episcopi nostri meminit, novò sanè argumento, cum in schismaticorum censum nunquam venisse.

Eodem anno, Christi 1177. Albertus Episcopus noster insignem Monasterio Pollingano benevolentiam exhibuit, dum decimas Forsterniedenses omnes eidem concessit, nec nisi *mansum* unum, sive *hubam* unam nempe prædium in Mo'ach, in vicem recepit. Extat ejus tractatus Instrumentum apud Pollinganos, quod in Parte Altera Lectori exhibetur: in quo illud singulari memoria dignum deprehendimus, Albonem, seu Alberonem (de quo supra dictum) eidem tractatum cum aliis hujus Cathedralis Ecclesie Canonis intervénisse, dictumque fuisse *Pataviensem quondam electum*. Ex quo eruiamus, Albonem illum vitam non terminasse in Pataviensi sede, sed ad suos, unde venerat rediisse. Porro si sine sponte, an alicui auctoritate sedem deseruerit, ignotamus. Allegantur in eadem charta multi primæ nobilita-

bilitatis Boicæ viri: ac opportunè occurrunt verba illa: *factumque est illud concambium, anno ab Incarnatione MCLXXVII. quo anno terminatum est Schisma, quod fuit inter Imperium, & Romanam Ecclesiam.* Ita ibi.

Eodem anno, cedente ultrò Adelberto Archiepiscopo, Conradus Wittelspachius tam Pontificis, quàm Imperatoris interuentu è Moguntina sede ad Salisburgensem translatus est, Henrico Berchtesgadenfì Brixinensem litum consecuto. Idem Conradus proximò statim annò, Christi 1178. subditos Episcopos ad synodum convocavit, ad quam etiam equestris Ordinis homines ac provinciæ primores convenire iussit, uti tum Dükerus, tum Història Salisburgensis tradit; ubi etiam additur, in eo conventu inprimis Callistum Pseudo-Papam ejuratum, Alexandrum verò ceu legitimum Orbis Pontificem ac Patrem fuisse proclamatum. Interhæc Cæsar in Germaniam reversus, cum ei alta mente repositum maneret, quid ante biennium ausus esset Henricus Leo Bojariz Dux, cum ceu desertorem, ac læsæ Majestatis reum, modis, quibùs posset, omnibus persequi constituit. Salutaris utique fuerat Leonis defectio, quippe ex qua Reipublicæ Christianæ, ipsiusque adeò Friderici salus restituta, atque schisma pessimum sublatum fuerat. Verùm Fridericus Leonem non ut pacis auctorem, sed exercitus Cæsarei desertorem denunciavit, atque in suam sententiam etiam ex Germaniæ primoribus plures traxit: quod quidem difficile non erat, cum magni Principes plerumque adulatores faciliùs, quàm fideles cordatosque Consiliarios in aulis suis invenire soleant. Leo equidem ad dicendam causam ad Wotmaticensia primùm, postea ad Magdeburgensia comitua citatus ab Imperatore fuerat: Verum neutubi comparuit, cum nonnisi dura & aspera tam ab irato Imperatore, quàm ab æmulis potentiæ suæ sibi promittere posset. Unde tandem ab Imperatore, ad ferendam damnationis sententiam aliàs prono, proscripius, eidemque in Bojariz Ducatu Otto Wittelspachius, de Friderico optimè meritis, iussctus est, cui etiam Bojariz status sacramentum dixère. Verum de his plura Bojariz scriptores.

Eodem anno, Christi 1179. extincto tot annorum Schismate Alexander Pontifex maximus apud Lateranum Concilium Generale celebravit, in quo singulari cura de futuris Pontificum electionibus cautum statimque est, neminem nisi à duabus Cardinalium partibus electum, pro Pontificè Romano habendum esse: quem morem hodièque servari cernimus. Adjecta fuere alia tum contra quosdam Hæreticos, tum alios disciplinæ Ecclesiasticæ perversiores decreta, quæ in actis ejus concilii Lector reperiet.

§. VI.

Nova lris de Veringensi ponte, in Alberti Episcopi favorem decisa.

Henrico Leone recens proscripio, Bojarizq; novo Duce Ottone Wittelspachio imposito speraverat in Comitibus Ratisbonensibus Albertus noister, viam salariam atque vectigalem super pontem Veringensem iustis Principum suffragiis recuperari posse. Ex sanè expositis detrimentis, quæ ex dejecto ponte illo Ecclesiæ Frisingensi accesserant, tum Imperator, tum Principes alii, ipsèque adeò Comes Wittelspachius viam illam salariam Alberto adjudicant, diplomate in hunc modum expedito.

In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Quæ imperiali statuuntur auctoritate, li-

teris competis auvotari, ne vel transeuntium temporum antiquitate in obli-

Acta Salisburgensia.

Ita Cæsar adremus Henricum Leonem.

Otto Wittelspachius obtinet Bojariziam.

Concilium Lateran.


Via Salaria prope Vermeram adjudicatur Alberto Episcopo.

Conferri etiam potest Geroldus in Additione ad Houd. T. 1. pag. 164.

vionem deveniant, vel pravorum hominum fraudulentis machinationibus indignam sui mutationem incurrant. Noverint igitur universi tam presentis quam post futurae aetatis Fideles Imperii, qualiter dilectus noster Adilbertus Frisingensis Episcopus ad Majestatis nostrae presentiam accedens humiliter nobis conquerendo significavit, quod nobilis vir Hainricus de Brunswic quondam Dux Bawariae & Saxoniae fororum in Veringen cum ponte, quod Ecclesia sua à longe retro actis temporibus quietè possederat, destruxerit, & illud in villam Mymichen violenter transtulerit. Cujus siquidem rei veritas etsi nostrae constaret serenitati, ipse tamen eam septem legitimis testibus in nostra comprobavit audientia. Sunt autem hi. Chunradus Salzburgerensis Archiepiscopus. Chuno Ratisponensis Episcopus. Bertoldus Marchio Ystriae. Gebehardus Comes de Sulzbach. Otto Palatinus major, & frater ejus Otto junior. Fredericus Burcgravius. Consequenter igitur super eadem causa à Principibus curiae nostrae requisitâ sententiâ iudicatum est, quod praesati Hainrici factum temerarium in irrium ducere Imperialiū deberet auctoritas. Quocirca secundum juris tenorem translationem praedicti fori in vacuum revocantes, ipsum forum cum ponte memorato fidei nostro Episcopo Frisingensi suisque successoribus restituimus, & praesentis scripti privilegio eis & suae Ecclesiae in perpetuum confirmamus. Item ad instantem praetaxati venerabilis Episcopi postulationem ex Indulgentia Imperialis clementiae permiximus, & benevole approbavimus assensu, ut praedia, quaecunque sumptibus suis acquisivit, pro libitu suo Ecclesiis vel alii religiosis locis, seu ad altaria quaelibet posset contradere, & de eorundem praediorum redditibus pro suo arbitrio ordinare. Et ut haec nostra constitutio in omne aevum rata permaneat & incorrupta, praesentem paginam in memoriam facti conscribi fecimus, & Majestatis nostrae bullâ communiri. Testes hujus rei praedictus Chunradus Archiepiscopus, Chuno Ratisbonensis Episcopus, Bertoldus Marchio Ystriae. Otto Palatinus major. Otto Palatinus junior. Gebehardus Comes de Sulzbach. Fredericus Purcgravius. Item alii testes, qui eidem negotio intererant, Dietspaldus Pataviensis Episcopus. Hainricus Curriensis electus. Gessidomius Mantuensis Episcopus. Gosefridus Cancellarius. Rudolfus Notarius-Romanus Praepositus Halverstatensis. Hainricus Purcgravius. Siboto Comes de Niuwenburc. Hainricus de Altendorf. Deginhard de Halenstem. Chunrad Purcgravius de Nurnberc. Fredericus de Trubendingen & frater ejus Albertus. Amelbrecht de Lochbusen. Hainricus Marschalcbus de Papinbam. Burtbardus Camerarius. Rudolfus de Waldekke. Hainricus selix Puer. Adiloh de Dornbach. Engiltwan de Abedorf & frater ejus. Hainricus. Rudolfus de Riede. Hartvicus Marschalcbus, Bertbold de Richersbusen. Sibot de Holzbusen. Wolfverus de Holzbusen.

Ego Gosefridus Imperialis aule Cancellarius vice Domini Christiani Moguntinae sedis Archiepiscopi Germaniae Archicancellarii recognovi.

Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.



Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCLXXX. Indictione XIII. Regnante Frederico Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno Regni ejus XXVIII. Imperii vero XXVI. Data Ratisponæ in solemnî Curia tertio Idus Julii feliciter. Amen.

Ex his quidem verbis sententia tum ab Imperatore, tum à Principibus Imperii, atque novo Bojarix Duce concepra, subscripta, signata suit: verùm, uti tam Brunnerus quàm Adelzreiterus tradunt, neque ipse Otto Comes, neque ejus successores constitutionem illam secuti fuère. Majora enim erant Ottonis apud Cæsarem merita, quàm ut adversi quidpiam ab eo sibi tum quidem timeret, tametsi constitutionem Imperialem negligeret. Ita vis prævaluit juri: & qui juris effato Victor erat, potentix Majoris succubuit: magnâ jacturâ, etiam in successores Frisingenses duraturâ. Verùm de his redibit mentio suò locò.

Eodem tempore, & quidem anno 1181. cùm Henricus Léo immitem Cæsaris sententiam sive gladiò rescindere, sive precibus mitigare studeret, tandem, conatibus omnibus nihil proficientibus, etiam in exilium eiecçus, in Angliam sese contulit, ubi à focero Rege splendide susceptus & habitus fuit, donec alio tempore mitiora fata imminuère. Eodem anno Alexander III. Pontifex Maximus è vivis ad superos excessit, postquam inter cæteras res præclarè pro DEI Ecclesia gestas, Eduardum Anglix, Canutum Danix Reges, Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, Bernardum Claravallensem Abbatem, & Helenam Martyrem in Divorum Album retulerat. In Petri Cathedra successorem nactus est Humbaldum, Lucâ, Italiæ urbe, oriundum, antehac Episcopum & Cardinalem, virum variis legationibus clarissimum, ass paulò post multis calamitatibus opprimendum, uti suis locis conspiciemus. Eum Electores Lucium III. dixère.

Imperator
pexit in-
fanti Hen-
rico cum Leonem.

Lucius III.
EP.

§. VII.

Alberti Episcopi sancta in suam Ecclesiam liberalitas, alique eventus.

Albertus Episcopus, cum de protrahenda in plures annos vita dubitare inciperet, DEum rerum suarum unicum hæredem supremis tabulis esse voluit, ne obulò quidem consanguineis relicto, ut bene Adelzreiterus advertit. En tabulas, Lector!

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Ego Albertus DEI gratia Frisingensis Ecclesie Episcopus. Notum esse volumus tam presentibus Christi fidelibus quàm futuris, qualiter, secundum quod Dominus menti nostræ concessit, de prædiis nostris, que vel patrimonio nostro habuimus, vel in Episcopatu nostro justa ratione acquisivimus, ad Divinum servitium in memoriam nostri, & omnium debitorum nostrorum ordinavimus. Ex debito enim officii nostri, quo nos peccatores Dominus sibi servire non dedignatus est, dignum duximus & justum, omnia nostra Divino servitio delegare, quàm aliquibus mortalibus hæreditibus ea relinquere. Hæc est ergò annotatio bonorum, que sancta DEI Genitrici Virgini MARIÆ dominoque nostro sancto CORBINIANO, nec non & aliis sanctis, quorum nos memoriam in veneratione Dominus habere voluit, cujus etiam instinctu festivitates eorum solemniter celebrandas instituimus, & altaria eis construximus, & in ipsorum honore consecravimus, propria manu tradidimus & delegari fecimus. Dux curtes prædii nostri in Hæselbach, unam sancte Mariæ Magdalene, & alteram sancte Marthe, Domini nostri hospite in dotem delegavimus. Prædium in Rikbenkirchen & partem deci-

decima eidem sancte Marthe dedimus in usum fratrum nostrorum Frisingensium Canoniorum ad persolvendum in plenum servitium in solemnitate prenominate Virginis. Curtem in Pallenbusen, & nem partem terciam decimam in Riechenkirchden sancte Anne Matri sancte Genitricis Domini tradidimus ad persolvendum in predictis fratribus plenum servitium in festivitate sancti Jacobi Apostoli. Curtem in Rapoltesbirchen cum decima tradidimus predictis fratribus ad persolvendum eis in plenum servitium in conceptione sancte MARIE perpetue Virginis. Decimam in Reinos & Ecclesiam Inzenunos cum tota decima ad altare sancte Marie Egiptiace concessimus ad persolvendum in predictis fratribus in ipsius festivitate plenum servitium, & predolum in Jzelingen in dotem eidem altari. Curtem in Swanabildorf tradidimus beato Martyri Castulo in Moseburc in usum fratrum ibi DEO servientium ad persolvendum eis in plenum servitium in anniversario nostro. Hubam in Swanabildorf dedimus in dotem sancte Marie Erchingen. Cunam in superiori Haselbach dedimus in dotem sancte Marie ejusdem Ecclesie Virgini delegandam ad altare Matricis Ecclesie solemniter consecratione ad luminaria ibi jugiter concinnanda. Pradium in Togolsingen dedimus in dotem ad altare sancti Johannis Baptiste & Hubam in Unzeboven. Dotem in Lobenanger destinavimus ad altare S. Marie V. in Ecclesia sancti Johannis Baptiste. Patrimonium nostrum, universum scilicet pradium in Hartboven primo fratribus nostris predictis tradidimus in novam oblationem, hac videlicet pactione, ut plenum in servitium in anniversario nostro, & plenum in anniversario fratris nostri Uuodalrici, & panem ac vinum in anniversario sororis nostre Herburge ab officiali scilicet predicta oblationis singulis annis eidem fratribus persolvatur. Postea placuit nobis commutationem facere cum illis, & in recompensationem predictorum bonorum tradidimus eis IIII. curtes in Bergen cum omnibus illuc pertinentibus, & decimam in Hlegelensbusen, & pradium in Weruburgowe, quod de manu viri nobilis emi, scilicet Friderici de Pingen cum prefata pactione predictorum servitiorum. Predictum vero patrimonium nostrum in Hartbusen delegavimus & destinavimus in usum & dominicatum successorum nostrorum Episcoporum & in memoriam nostri & parentum nostrorum. Hec omnia coram Duce Ottone firmavimus, & coram aliis Principibus. Et ut hec omnia rata, firma & incorrupta in omne ævum permanent, hanc paginam inscribi, & impressioni nostre sigillo fecimus communiti cum testibus subscriptis, quorum hec sunt nomina. Otto Dux Bavarie. Dietricus Comes de Wazerburc. Otto Lantravius. Prelati de Choro Bertoldus Decanus. Chunradus Prepositus S. Andree. Aleno Prepositus S. Castuli. Ortinnus Prepositus. Fridericus Prepositus de Wersee. Chounradus sancti Viti Prepositus. Prelati in Episcopatu Baldmarus Abbas de Schiren. Haiuricus Prepositus de Scejelaren. Engelscalcus Prepositus Nova Celle. Dietricus Prepositus de Undinstorf. De Laicis nobilioribus Burchart de Staine. Altman & frater suus de Abensperc. Ulricus de Wiskeirvelt. Volmarus de Wigersboven. Hadmarus de Abusen, & fratres sui Cunrat & Eherbart. De Ministerialibus Waltman de Passperc & frater ejus Fridericus. Rudolf & Otto de Waldekke. Eberhard de Werde. H. felix puer. Adilote de Dornipac. Eherbart Kaste, & frater suus Hiebbart. Engilwan & frater suus Haiuricus de Habedorf, & alii multi. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini MCLXXXI. Regnante Friderico Imperatore Romanorum Augusto, anno Regni ejus XXVIII. Anno autem Domini Alberti Episcopi
 - - - Amen.

Hunc in modum rebus suis omnibus sponte exutus, atque ad æternitatis iter comparatissimus Albertus Episcopus mortis horam læta mente expectavit, at nonnisi post triennium secuturam.

Interea Fridericus Imperator, qui dato quidem superiori anno Diploma Duxa Bojariz facta. Frisingensi Ecclesiæ multa verbis, re ipsa autem nihil contulerat, etiam Ottoni Wittelspachio, Parmenioni antehac suo, ac novo Bojariz Duci (ut sunt instabiles aliquando etiam supremorum Principum animi) jam non adeò favere visus est, quippe qui veterem potentiam Boicam, Cæsarius hæctenus semper formidandam, mirè circumcidit, eidemque non solum Ratisbonam, antiquissimam Bojariz Ducum Regiam: verum etiam Tyrolensem Comitatum subduxit, ac insuper eos, qui hæctenus Boicæ limitum præfecti seu Marchiones erant, ac Bojariz Ducibus parebant, Duces constituit, ac Duci quondam suo æquavit. Eo factò Bertoldus, Andecensis Comes, Dux Merania: & Ottocarus (antea Styriæ Marchio) ejusdem Provinciæ Dux salutatus est. Tyrolenses ac Goricienses Comites non quidem titulo, sed nova tamen potestate aucti, Bojariz legibus deinceps exempti fuere, Ducibus nihilo facti inferiores, maximè postquam Tyrolensis Provincia ac Goricia dominium in unum coaluere Comitatum. Reverendissimus Mausolæ S. Emmerami Scriptor addit, etiam Bojariz Episcopos Bojorum Ducum jurisdictioni fuisse subducos, ac Cæsari immediate subjectos: antehac enim illos solitos fuisse à Ducibus convocari Ratisbonam ad *Placita*, seu comitia: & idèò hodieque Episcopos Salisburgensem, Frisingensem, Brixinensem, ac Patavicum proprias ædes Ratisbonæ possidere. Sic ille. At verò nobis, pace Reverendissimi Scriptoris, ea ratiocinatio non videtur admodum valida. Nam non diffiteatur idem Scriptor, etiam Augustanum, & Bambergensem Episcopos olim Ratisbonæ habuisse propria domilia. Quis verò ex his arguet, eos aliquando Bojariz Ducibus paruisse? Accedit, quòd Episcopi in Conventibus Imperii semper præ Ducibus digniorem locum obtinuerint, ac eodem ordine subscripserint, uti innumeris Diplomatis demonstrari potest. Nihil igitur eo tempore circa Episcopos fuit immutatum, qui, ut eousque semper, ita etiam posthac à solis Cæsarium mandatis in profanis negotiis pendebant, hodièque pendent. Verum nihilominus satis Bojorum dominio detraxit, qui plures provincias, imò plus quàm Bojariz dimidium eidem ademit. Sanè rebus ita circa truncatam Bojariam constitutis, Fridericus deinceps commodius se imperaturum confidebat.

Tantis decoribus spoliatae ac fœdè laceratae Bojariz aliud malum anno sequenti, Christi 1183. accessit, mors nempe Ottonis Wittelspachii, qui Otto Wittelspachius mortuus. nonnisi tribus abhinc annis, ejecto Henrico Leone, Bojariz Dux datus fuerat, nec nisi unicum, & quidem impuberem filium reliquerat, tutelæ fratrum suorum Conradi Archiepiscopi, atque Henrici (quem Bardum dixere) commissum. De morte Ottonis in Weihenstephanensi synchrono Calendario ad annum 1183. hæc legimus. *Eodem anno Dux illustrissimus Bojariz, & Pater Patrie cum Imperatore in Suevia constitutus, V. Idus Julii defunctus est, & inde, ut ipse jussisset, in Steirense canobium ductus, ibidem maximo planctu suorum sepultus est.* Hæc tum Bojariz fata fuere omni bello duriora.

Ad eundem annum, Christi 1183. Weihenstephanensis Scriptor syn- Fata Falsichrona mana hæc addit: Terra motus pridè Kal. Maji. primâ vigiliâ noctis Frisingensis Ecclesiam igne excussa est V. Idus Maji. Græcia. De quo tamen incendio alibi nihil annotatum fuisse admiramur. Fortè Scriptor ille non de Cathedrali, sed de Parochiali S. Georgii Ecclesia accipiendus est.

Sereniora, melioraque sidera eodem anno illuxere laudato Ludovici Ada Salisbergensis. Tutori ac patruo Conrado, quippe qui mortuò Christianò Moguntinò Bemba.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Aaa

Arche-

Archiepiscopò, in antiquam sedem Moguntinam ductus est. Porro vacanti ex ejus discessu Salisburgensi Ecclesie restitutus est Adalbertus, postquam decem abhinc annis nullò suò meritò ab ea velut extorris vixerat.

§. VIII.

Acta Alberti Episcopi, sed potiori parte incertorum canonum: ejusque obitus.

EXtat in sæpe laudato Tegernseensi Codice epistola quædam Alexandri III. Pontificis Maximi ad Fridericum I. Imperatorem: quam quia post sublatum schisma, & celebratum Lateranenſe Concilium scriptam fuisse existimare licebat, fortassis ad acta anni 1181, repræsentare poteramus. Verùm quia ea in re decernere nihil volebamus, epistolam in præntem paragraphum rejicere maluimus. Initialia verba epistolæ desunt. Cætera sic habent.

Litteræ Alexandri PP. ad Fridericum Imp. pro Ecclesia Frisingensi, & Alberto Episcopo.

Regie dignitati convenire videtur, ut Ecclesias, & Ecclesiasticas personas in sua libertatis honore conservet atque conserveat, & ab incurſibus sive infestatione pravorum hominum manu teneat & defendat. Per hoc enim laudabile Studium & Catholici Reges seu Principes salutem mereantur æternam, & Ecclesia DEI amplectenda pace & grata tranquillitate congaudet. Proinde dilecte in Domino Fili, Ecclesiam Frisingensem strenuitati tue duximus commendandam, rogantes, ut eam devotionis intuitu diligas, & in sua libertatis integritate, sicut Catholicus Princeps, conserveas, manu teneas ac defendas, & de ordinatione Monasteriorum, quæ jus spectare noscuntur, nullam ei molestiam irrogare permittas. Præterea de O. filio O. Comitis Palatini, qui venerabilem Fratrem nostrum Frisingensem Episcopum, dum Missarum solemniam celebraret, contumeliis afficere, & graviter injuriari, DEI timore postposito, non abhorruit, pro tua dignitatis honorificentia debitam justitiam facias. Hæc Friderico Alexander.

Summa circumſpectione Albertum Episcopum nostrum usum fuisse, cum bona Ecclesie Frisingensis aliorum tuitioni concederet, intelligimus ex instrumento sequenti, quod in gratiam eruditorum subnectimus.

Defensionem bonorum Ecclesie sive Albertus causæ committat aliis.

IN nomine S. & Individuæ Trinitatis. Ego Adalbertus DEI gratia Frisingensis Episcopus notum esse volumus tam presentibus, quam futuris, quo pacto Advocatiam bonorum nostrorum, quæ habemus tam nos, quam nostri in montanis, in Episcopatu scilicet Brixinensi, & in Episcopatu Tridentino, & in Episcopatu Curiensi, concessimus Bertoldo Marchioni Istriæ, & filio ejus Dalmacie, Cromacieque Duci, ea videlicet conventionione, & sacramento fidei in sacerdotales manus nostras firmato, ne alicui hominum de Advocacia aliquid unquam inveniessent, & ne potestatem habeant edificandi castrum aliquid in eisdem bonis sine licentia sive mandato nostri vel successorum nostrorum, & ne Officialium ibi habeant, nisi secundum petitionem nostram * ibi ordinatus fuerit, hominibus nostris vel aliorum in eadem Advocacia nimis gravis, & injuriosus esse caperit, & infra sex hebdomadum injuriam, quam intulisse dinoscitur, non emendaverit, ad petitionem nostram mutetur, & alius, quem nos petiverimus, substituitur. Et ut hæc rata & inconvulsa permaneant, hæc cartam inde conscribi, & sigillis utrorumque nostrum justinum insigniri, cum testibus subnotatis, quorum hæc sunt nomina. Ch. Sancti Andree Præpositus. Ortwinus sancti Sixti Præpositus apud Stirie. Ch. sancti Viti Præpositus. Henricus de Scheffelabr Præpositus, Engelscaulus Præpositus sancti Petri novæ Cella. Henricus & Gotesfridus Capellani. De Litu.

* alibi additur: Et etiam successorum nostrorum. Et si Officialis ille, qui, sicut dictum est, ad petitionem nostram

eis. Volmarus de Wikkersboven. Hainricus de Hergoltspach. Otto de Waldek. Meginbart de Hage. Haerwicus de Frisinga, Hainricus de Abdorf. Fridericus de Wippenbusen. Altmannus Camerarius. Eberhart de Tagolwingen. Wolfber de Holzbusen. Junior Eberhardus de Tagolwingen. Item de Ministerialibus Marchionis. Lazarus de Wolframbusen. Gof. de Unigen. Chano de Scabcalich. Udalricus filius Lazarii. Otto de Pergen. Pernbart de Kirchaim. Arnolt, & Albrecht de Gollenboven, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hac anno Dominice Incarnationis M. C. LXXXII. Regnante Friderico Romanorum Imperatore feliciter. Amen.

Eandem cautelam adhibuisse Albertum Episcopum, cum Inticam, seu bona in Inching Henrico Leoni defendenda committeret, ex ejusdem Leonis literis apparet: quz sequentia continent.

Hainricus DEL gratia Dux Bawaria & Saxonia. Cum inter nos, & dilectum Dominum nostrum Albertum Frisingensem Episcopum negotia agita-
Nova cautela
 Alberti Ep.
 renur de Advocatia Inticensi & ad eam pertinentibus, laudatum est à nobis, si is, quem prefecerimus Advocatie, Domino nostro supra nominato ingratus extiterit, & oculis ejus displicuerit, quod eo deposito, & amoto alium substituumus loco illius, qui gratiam jam dicti Domini nostri Episcopi deneruit, & dampnum ab eo illatum secundum causa equitatem emendari statuanus. Laudavimus etiam, & comprobavimus, quod in bonis, que sub illa continentur Advocatia, nullum castrum fabricabitur, nisi consensu & petitione Domini Episcopi. Dnas lubas apud Ruffan, quoniam non pertinent ad Advocatiam, non expetemus. Hoc laudamentum in manum Episcopi datà dextrâ propriâ firmavimus, & ut filius noster H. qui in presentiarum adolefcit, vel si quos alios filios habuerimus, cum ad puberem etatem Deo propitiò pervenerimus, ut eadem laudamentum eodem pacto se servaturos spondeant, fideliter efficiemus. Omnes quoque posteri heredes nostri, ad quos Advocatia illa de jure venire debet, cum eam in beneficio accipiant, presentis scripti cartula commoniti presatum laudamentum facere, & servare teventur. Præterea Comes Hainricus de Strup, & Ministeriales nostri Her. de Puchlon, & Ulricus de Phezen, & Gerungus de Perge, & H. de Ubingen, & Ch. Millejewejrando, Jordanus etiam fidelis noster, & Harimannus de Sibenaich data fide promiserunt, quod nos hoc laudamentum, dum vixerimus, sine fraude & malo ingenio observabimus. Et ut filii nostri, seu heredes, qui fortè illis viventibus creverint, idem spondeant, faciant, & observent, ipsi fideliter adjuvabunt. Hec autem singula inter nos & successores nostros, & inter Dominum nostrum Albertum Frisingensem Episcopum, & successores ejus pari voluntate decretum est, ut semper observentur, scilicet ut Episcopus non teneatur concedere Advocatiam, priusquam hæc omnia fideliter promittantur, & à ministerialibus nostris, & heredum nostrorum sacramento iurjurandi observanda firmetur. Acta sunt Frisinga sub presentia testium, quorum hæc sunt nomina. Hii nobilis. Major Palatinus Comes. Walcbum de Steimpach. Eber. de Meisa. Erchenbertus de Mosebach. Pabo de Eringen. Liebhardus de Ekerstorf. Dietrich de Mosen. Alber de Mochingen. Luitolt de Hagenawe. Ch. Advocatus de Mosburcb. Comes Sifridus de Luitbenawe. Ch. de Dornbercb. Palatinus Comes de Troinge. Hii Ministeriales Ecclesie Frisingensis. Waltman de Pastpercb & filii ejus Waltman & Fridericus. Hainricus Camerarius. Rudolfus de Waldekke. Hainricus de Richolfesdorf. Rudolfus & frater ejus Gerwich de Pubenbusen. Adeloldus de Dornipach. Ainarwicus & filius ejus. Rudolf de Hittensfurt. Eber. & frater ejus Liebhart Chaste. Friulo & fratres ejus Ch. & Sigbardus de Ismaning. Albericus Dapifer. Alban Pincerna. Eber. & frater ejus Helrich de Weltmach.

N 1344.
1345. 1346.
1347. 1348.
1349. 1350.
1351. 1352.
1353.
1354. &c.

Plures alios, minoris tamen momenti tractatus Albertus Episcopus noſter cum Alberto Episcopo Tridentino, Conrado Duce de Dachowe, Ottonne Comite de Valeja, item Comite H. de Scalah, & Bertoldo Comitē Tyrolis, atque Abbatibus Weihenſtephanenſibus iniiit, quos tum in virorum eruditorum, tum etiam nobilium familiarum obſequium in Parte Altera produccimus, iisque annectimus aliam chartam, qua Werwoto quidam prædium in Teutenhauſen Cathedrali Eccleſiæ ad luminaria comparanda obulit, aliæque ejus generis plura Inſtrumenta.

Placet hic adjicere epistolam, quam Albertus Episcopus Canonicis Eccleſiæ Cathedralis ex Austria ſcripſit. Ea eſt ſequens tenoris.

Epistola Alberti Episcopi ad suos Canonicos.

Ego Albertus Frisingensis Ecclesie Episcopus significo fratribus meis, quantum favore Divina clementia apud Ducem Austrie gratiam invenni. Audito adventu meo in Austriam, prevenit me nuntius suus, que me cum multa diligentia invitarent ad se. Venientem officiosè suscepit, benignè tractavit, petitiones meas omnes exaudivit, ita, ut Ecclesie nostre bona à cotidianâ exactiōne sic penitus libera exauderet, ut nullus judicum vel Officialium suorum in eis quicquam tractare baseat. Nos verò parvum ei de prædictis bonis nostris obtulimus censum, quem annuatim de hominibus nostris & nihil amplius accipendum impetravimus. De bonis in Ebersdorf tam nostris, quam Novæ Celle duas libras & quadraginta nummos. Item de Alarn duas libras, & quadraginta nummos. De Enzinesdorf tredecim libras, & si inventi fuerint ibi fures, soli illi tradantur judicibus, reliqua sortis facta Officialia nostri judicabunt. Hec omnia nobis Divinæ dilectionis & orationum nostrarum intuitu sic firmavit, ut toto tempore vitæ suæ & nostre de judicibus & Officialibus suis nihil amplius bonis & hominibus nostris timere debeamus. Hec idè vobis scripsimus, ut in exemplum successoribus nostris relinquatur, ut & ipsi eandem gratiam impetrare non negligant. Præterea alia Ecclesie nostre bona, qua longo tempore nobis alienata fuerunt, per ipsum Ducem rebabere meruimus, boninibus suis tam nobilibus, quàm Ministerialibus ad hoc destinatis, à quodam Ulrico de Hintperc, à Geroldo de Sahſenganc, à Rapatone de Puteve. Solus Hartnidus de Sabſenganc contentiosè nobis adhuc resistit, cujus etiam contentionem in brevi terminandam speramus.

In tonis laudato Tegernſeensis Codice reperimus epistolam duas FridERICI I. Imperatoris in causa obligationis, quam Monasterium Celle Dietrami habet erga Tegernſeene Monasterium, unam ad Rupertum Tegernſeensem Abbatem, alteram ad Albertum Episcopum Frisingensem. Primita hæc exhibet:

Epistola FridERICI Imp. ad Abbatem Tegernſeensem.

Fridericus DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus fidei suo R. Abbati de Tegernſee, gratiam suam & omne bonum. Veraciter audivimus, quòd Ecclesia beati Martini in fundo Ecclesie tue constructa, & quàm pluribus bonis ampliata atque dotata tibi prorsus rebellis existat & Ecclesie tue, Matri suæ inobediens, nec de servitiis Imperii, nec de jure tuo quicquam tibi vel legatis tuis velis respondere. Quod quia nobis valde displicet, & tam nobis, quam Ecclesie tue magnum detrimentum inde provenire potest, mandamus tibi intimè rogantes & præcipientes, quatinus eam, sic ut de jure debes, in bonis suis, seu alio quolibet modo ad obedientiam tuam coherceas, & Ecclesie tue debita servitia persolvere distingas. Scias enim, quòd nos ad hujus rei promotionem consilium & auxilium nostrum paratissimum tibi exhibeamus.

Alberto verò Episcopo hæc scripſit Imperator.

Ejusdem epistolæ ad Albertum Episcopum.

Significamus tibi, ad aures nostras veraciter perventum esse, quòd Ecclesia beati Martini sita & in Episcopatu tuo, tam in fundo Tegernſeensis Ecclesie constructa, quàm ex bonis ejus ampliata & dotata contra matrem suam Tegernſeensem Ecclesiam superbam cervicem exerxerit, nihil honoris seu reverentiae atque servitii volens ei exhibere. Audivimus præterea, quòd Canonici Regulares ejusdem

ejusdem Ecclesie contumaciter provisorum suum, quem Abbas Tegernseensis eis prefecit, ab Ecclesia sua ejecerint, & tam de serviciis Imperii, quam Abbatis Ecclesie sue nullatenus ei velint respondere. Quod quia irrationabile est & equitati contrarium, mandamus dilectioni tuae quam intime rogantes, & moneites, quatinus eos Ecclesiasticam censuram ad obedientiam Matris sue Tegernseensis Ecclesie coherceas, & dignos honores, & debita servicia ei cogas exhibere.

Alia lis Albertum inter, & Rupertum Abbatem Tegernseensem super Ecclesia Wall aliquando contigit, quo tempore Albertus Ruperto sequentem epistolam scripsit.

Albertus DEI gratia Frisingensis Ecclesie Minister dilecto fratri & amico Ruperto, Venerabili Tegernseensis Congregationis Abbati sinceram dilectionem, salutem & omne bonum. Audivimus, quod de discretione tua vix & inviti credimus, quod jussione tua homines tui homines nostros fugaverint & expulerint de terra frugum nostrarum in Ecclesia quadam, quam ad opus aedificii Ecclesie nostrae destinatae per multos jam annos quiete habuimus, nomine Wall. Et quia nos tibi iudicii nostri justitiam nunquam negavimus, ideo magis miramur, quod super nos & homines nostros servos advocati tui induci feceris, ut quasi ad contentum nostrum de advocato tuo justitiam tibi requiras. Quod quia in Ecclesiasticis causis inconveniens esse non te latet, dilectionem tuam rogamus, ut justitiam nobis de hominibus tuis facias, & quietem, quam diu in Ecclesia illa habuimus, nobis concedas, donec iudicio Ecclesiastico justitiam, quam habes, vel habere putas, unde debes accipias.

Albertus Episcopus scribit Ruperto Tegernseensi Abbati Super Parochiali Ecclesia in Wall.

Respondit Abbas Episcopo in hunc modum.

Literas vestrae Paternitatis accipientes graviter perturbati sumus, quia Ecclesias nostras, in fundo sancti Quirini constitutas, nobis subtrahere, & juri vestro mancipare velle per eas accepimus. Siquidem Ecclesiam in Wall, quam speciali nota dignastis, cum ceteris adjacentibus nulla unquam praedecessorum vestrorum contradicione ex antiquitate liberè possedimus, & sacerdotes earum, quorum adhuc quidam superstites sumus, tam per nos, quam praedecessores nostros investituram acceperunt. Quamobrem prudentiam vestram flagitamus, ne alicujus consilio sive suggestione Ecclesia nostra jura, cunctorum assensum testimonio comprobata, & nobis ex antiquitate jure fundi corroborata infringere velitis, sed respectu justitiae & obtentu servitii nostri secundum Decretales institutiones pro temporalibus nos liberè & inconvulsa habere permittatis.

Alia ejusdem argumenti Ruperti Abbatis epistola sic habet.

Paternitati vestrae plurimum confidentes non modicè contristamur, si quam adversum nos pro Ecclesia Wall in fundo S. Quirini constituta, simultatem habeatis. Ergo prudentia vestra scire dignetur, quia res Episcopii nequaquam vindicamus: sed quae ex antiquitate tam nos, quam & praedecessores nostri secundum decreta pro temporalibus instituta liberè possedimus, Ecclesia nostra jura pro debito requirimus, quae & gratia vestri omnino inconvulsa habere desideramus. Proinde pietatem vestram humiliter flagitamus, ut respectu justitiae, & obtentu servitii nostri animam vestram ab hac gravitate nostra coerceatis, & Ecclesia nostra jura sua tranquilla mente recognoscatis.

Adjecit Abbas aliam epistolam ad quendam (cujus tamen nomen & officium non exprimitur) ut credimus ministrum Episcopi, tenore sequenti.

Frequens est, & utilitati proficuum, ut, quibus adversas aliquando occurrerit, ad vos possimum confugiant, quorum industria ea se expedire praevalent. Hac ergo fiducia & nos ad vos confugimus, quam intime flagitantes, ut apud Dominum Episcopum pro nobis stes, quatenus Ecclesie nostrae jura, quae in temporalibus ex antiquitate liberè detinuit, nos habere permittat, ne alicujus consilio ab hac possessione repellat.

Sanè plures etiam alias controversias super aliis quoque Ecclesiis inter laudatum Episcopum Albertum, & Abbatem Tegernicensem fuisse exortas, patebit ex epistolis aliis, in Parte Altera adducendis.

Cæterum in iis causis Abbatem postea ad Alexandrum III. Summum Pontificem provocasse, ex sequentibus Papæ ad Albertum datis literis colligimus.

Frisingensi Episcopo. Cum dilecti filii nostri Abbas & fratres S. Quirini postpositis secularibus desideriis sub Religioni habitu Divinis obsequiis mancipati, Ordo juris exoptulat, ut eorum jura specialiter conservemus. Inde est, quòd fraternitati tue per Apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus non cuiuslibet, eis invitis, Ecclesias dare presumas, que in fundo sui Monasterii sui sunt fundata, sed eos, cum in Episcopatu tuo vacaverint, secundum privilegium Patris & Prædecessoris nostri Eugenii de Personis idoneis ad representationem eorum studeas ordinare.

Hæc Alexander Papa ad Albertum Episcopum. Sanè quomodo postea inter utramque partem convenerit, nobis non constat.

Præmissis inter Acta Alberti Episcopi memorabilis est charta sententiæ, quam circa electionem Episcopi Gurcensis pro Archiepiscopo Salisburgensi delegata sibi Apostolica autoritate tulit in hunc modum.

*In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Nos Albertus Frisingensis Episcopus, & Henricus Abbas S. Crucis * delegati iudices à Domino Papa Alexandro III. super causa, que vertebatur inter Dominum Cbuaradam III. Salzbürgensis Ecclesie Archiepiscopum, Apostolicæ Sedis Legatum, & Canonicos & Ministeriales Gurcensis Ecclesie, videlicet de electione Episcopi, quam sibi ipsi Gurcenses liberam vendicabant tam de jure communi, quam privilegii Lucii Papæ, quòd se habere profitebantur, tum etiam longa consuetudine. Verùm quia nec longam consuetudinem probare potuerunt, nec privilegium, quòd se habere profitebantur, exhibuerunt, cum, etiamsi exhibuissent, Archiepiscopus allegabat per subreptionem impetratum fuisse, cum in eo mentio non fieret Privilegii II. Alexandri, nec Privilegii Henrici Regis, quibus munita erat Salzbürgensis Ecclesia super electione, institutione, consecratione Gurcensis Episcopi. Afferbat etiam Archiepiscopus, quia eo nunquam fuissent usi. Illis non insipientibus introducebat & Archiepiscopus Privilegia Alexandri Papæ III. & Friderici Imperatoris, quibus confirmabatur prædicta Privilegia. Produxit quoque testes omni exceptione majores Sibotomem Salzbürgensis Ecclesie Præpositum Majorem, Fridericum ejusdem Ecclesie Decanum, Robertum de Grebnic, Robertum de Halle, Otonem de Gloese, Meingozam de Engilbamingen, Marcwardum Dapiferum Seniores, Rudolphum de Werven, quorum plures viderunt Archiepiscopum Salzp. Episcopos ibi elegisse, investisse, consecrassè. His itaque omnibus moti, præsertim quia pars adversa omnia - - - testificata: & cum nil pro ea faceret; volens omninò cesserit, consueus etiam se peccasse, quia Salzp. Ecclesiam litibus & sumptibus gravaverat, auctoritate DEI, & Apostolorum Petri & Pauli sententiando pronuntiamus coram Nuntiis Cardinalium, Apostolicæ Sedis Legatorum Centbio, Romana Ecclesie Subdiacono, & Magistro Hognone Jannerensi Diacono, Egilolfo quoque Imperialis Aula Capellano, quorum consilio usi fuimus, Gurcenses Canonicos sive Ministeriales electionem Gurcensem injustè sibi vendicare, & ad Archiepiscopum Salzp. omninò pertinere. Hec sunt nomina testium. Diopoldus Pataviensis Episcopus, Siboto Salisburgensis Præpositus, Henricus Abbas S. Petri, Henricus Abbas de Admonte, Fridericus Præpositus Berchtesgaden, Meingoz de Buomborg, Rudolphus Præpositus de Chiemse, Siboto Abbas de Sewen, Rudolphus Decanus de Frisinga, Cbuaradam Præpositus S. Andree, Bertoldus Præpositus de Hsana, Magister*

N. 1358.
1359-1360.
1364.

Alexander
III. PP. AL-
berto Episcopo

Albertus Episcopus pro
Archiepiscopo
Salisburgensi pro-
nuntiat contra
Gurcenses
* facti in
Austria,
Ord. Cisterc.

Magister Hartmündus, Ortuinus, Otricus Frisingenses Canonici, Otto Præpositus Patavienſis, Henricus Præpoſitus de Abufen, Albertus Præpoſitus de Maſſe, Albarſus Præpoſitus de Randsboven, Babo Præpoſitus de Suben, Henricus Abbas de Menſe, * Hermanus Ratisbonenſis Decanus, Egilolfus ^{Maſſe,} Imperatoris Capellanus, Albarſus Præpoſitus de Halle, Oſſibalcus Auguſtenſis Præpoſitus, Vicedominus Aquilejenſis, Otto Palatii Major, & frater epus Fridericus. Rudolſus de Pbuld. - - - Comes, Dietricus Comes de Wazerburc, Chunradus Comes de Mitterfel, Comes Ekkebertus de Tekendorf, Berchtoldus Marchio de Andachſe.

Hoc Inſtrumentum Vir Clarifſ. P. Bernardus Pezius ex membraneo Codice Monaſterii S. Petri Salisburgi, ſignato litera S. Num. XII. cœva manu exarato, unâ cum plerisque ſupra recitatis Tegernſenſibus epiftoſis nobiſcum amicè communicavit. Cui eidem etiam debemus alias duas Tegernſenſes, vel potiùs Friſingenſes epiftoſas, quibus Albertus Epifcopus Rupertum Tegernſenſem Abbatem ad Capitulum ſeu Synodum celebrandam, Friſingam vocavit. Prima hæc continet.

A. DEI gratiâ Friſingenſis Epifcopus dilecto & Venerabili Fratri R. ^{Albertus Ep. Abbatem Tegernſenſem vocat ad ſynodum,} Tegriſenſi Abbati dilectionem & omne bonum. Plurimis de cauſis ultra diſſerre non poſſumus, quin ad Capitulum Fratres convocemus. Ea propter charitati tue per præſentia ſcripta mandamus, quatenùs hebdomadâ proximâ ante proximam Pentecoſten ad Capitulum ritè celebrandum ſeriâ II. horâ tertiâ, ad nos Friſingam venias, quumâ ſeriâ dimittendus.

Alterâ epiftoſa majori attentione digna ſequentibus verbis ſuit expreſſa.

A. DEI gratia Friſingenſis Eccleſie Epifcopus, dilecto & Venerabili ^{Rurſus eundem ad conventum vocat.} Fratri R. Abbati Tegriſe, dilectionem fraternam & omne bonum. Ad Capitulum noſtrum, quod in XIV. Kal. Jul. celebrare ſtatuiſmus, tuam quæ charitatem venire charum habemus. In ambiguo enim Eccleſie ſtatu non eſſet inutile, perſonas Eccleſiaſticas & religioſas ſepiùs convenire, ut ſchiſma, quod per diutnam patientiam vexat orbem terrarum, ſi fieri poſſit, ſaltem in modico ambitu noſtræ Dioceſis prudentium communicato conſilio declinetur. Rogando itaque mandamus tue dilectioni, quatenùs ad idem Capitulum ea, qua diximus, die, apud Friſingas tuam vobis præſentiam ſtudeas exhibere. Ex qua epiftoſa egregiè firmantur ea, quæ ſupra memoravimus, nempe Alberti Epifcopi animum à ſchiſmate ſemper, ac maximè abhorruiffe, totòque ſtudiò laboraſſe, ut diſſidia, quæ tollere ipſe non poterat, unâ cum Dioceſanis ſuis ſaltem declinaret.

Quas poenas Alberti Epifcopi tempore incurrerint tum mulieres, quæ partus ſuos in lecto oppreſſerunt: tum ii, qui neglectâ thori religione adulteri ſeſe conſtituere, ſequens ad Albertum Epifcopum exarata epiftoſa docet.

Alberto Venerabili Friſingenſi Epifcopo F. Plebanus in Gemunden obedi- ^{Plebanus adu- terorum tempo- re Alberti Epifcopi.} entiam cum omni ſubjectione. Mulierem hanc, cujus inſanus agrotus in lecto ſecum recubans, ex ipſius negligentia, ut putat, obiit, jam per ſeptem annos in poenitentia conſtitutum Paternitati veſtræ deſtinavimus, humiliter obſecran- tes, ut eam communioni Eccleſie reſtituat. Verùm hunc pro adulterio novem annis in poenitentia conſtitutum ad vos deſtinavimus, humiliter obſecran- tes, ut eum communioni Eccleſie reſtituat. Hæc ibi. Bone Lector, quàm ſunt mitiora temporum modernorum erga id genus noxas ſupplicia?

Albertum Epifcopum noſtrum inter cæteras Eccleſias aràsque confe- ^{Aſta Alberti Ep. varia.} crâſſe Altare S. Caſtuli in Moſpurg, Hundius tradit. Idem confecravit aram S. Benedicî in Weißenſtephan, uti in Libro Traditionum ejus ^{N. 1173.} Monaſterii legimus. De consecratione Cathedralis Eccleſie ſupra dictum eſt.

Præterea

Tom. III. p. 45.
159.

X. 1176.

Mort. ejus-
dem.

Præterea Hundius asserit, eundem Albertum Episcopum interfuisse solenni illi donationi, qua Welfo Dux bona sua hæreditaria in Amergau præsentæ ac consentiente Friderico Imperatore Campidonensi Monasterio donavit. Verum bona illa securis temporibus certo quodam tractatu in aliorum venere manus.

Obiisse Albertum nostrum anno Christi 1183, dicere videmur ex Libro Traditionum quarto seu Magno, ubi eodem anno ei successisse dicitur Otto, eo nomine secundus Frisingensis Episcopus. Consonant Facti Weisfontani Monasterii, ubi sic legimus: *Anno Domini 1183. defuncto Alberto Episcopo Frisingensi Otto Canonicus Magdeburgensis eligitur, & introducitur in Kalendis Januarii.* Aliter habet Særo inferioris Altahæ Monachus in annalibus suis, ubi ad sequentem annum Christi 1184. hæc ponit. *Albertus Frisingensis Episcopus obiit: pro quo Otto succedit.* Særoni subscribit Kalendarium vicini Monasterii Weihenstephanensis, ubi datâ (ut insipienti patebit) operâ ad annum Christi 1184. manu synchrona notantur hæc verba: *Adilbertus Frisingensis Episcopus moritur: Otto Magdeburgensis Canonicus eligitur, & incipiente hoc anno (1185.) id est in Kalendis Januarii in Episcopatum introducitur.* His accedit Chronicon Salisburgense à Clar. P. Hieron. Pezio nuper editum: ubi ad annum Christi 1184. habetur: *Albertus Frisingensis Episcopus obiit.* Vides, Lector, quinque finitimos ejusdem særæ ævi Scriptores sibi oppositos, dum duo obitum Alberti ad annum Christi 1183. revocant, quem tres reliqui ad annum primùm sequentem differunt. Inde est, cur judicium nostrum suspendamus, nec definiamus, num Albertus in sacro Magistratu 25. vel 26. annos exegisse dicendus sit? Aliqua tamen vero similitudo in rebus gestis Ottonis successoris suggeremus. Porro diem obitus signat Frisingense Necrologium undecimum Novembris iis verbis, *Albertus Episcopus noster obiit. Unde habemus servitium* (nempe pensionem annuam) *de Curia in Perg 11. M. 8., id est undecim libras denariorum.* Ecclesiæ Catholicæ eo tempore adhuc præerat Lucius III. Summus Pontifex; Imperio Fridericus: Salisburgensi Ecclesiæ Adalbertus, Pataviensi Theobaldus, Ratisbonensi Chuno II, Brixinensi Henricus, Bojaria Ludovici Quarti, sub patruorum tutela constituti, nomine gubernabatur.

Dicitur bea-
tus.

Summam Alberti nostri laudem uno vocabulo Liber Traditionum Quartus, seu Magnus complectitur, dum eum discretè *beatum* à morte appellat, haud sanè immerito. Nam si Spiritus Sancti effato, *beatus vir* ille dicitur, *qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite:* cur beatus non dicitur Albertus noster, qui non solum igne tantorum incendiorum gravissimè probatus fuit, sed insuper se totum ac sua omnia DEO Divisque coelitibus, dum vixit, addixit. Extant de Alberto in mox laudato Traditionum libro versus sequentes.

*Anxit Adilbertus virtutis in ordine certus
Clero servitia, & minuit vitia.*



CAPUT

CAPUT IV.

Otto, ejus nominis II. inter Frisingenses Episcopos XXIV.

§. I.

Genus, Electio, & initia Regiminis Ottonis II. Episcopi.

OTtonis hujus Natales exactè recententur in Quarto Traditionum Frisingensium Libro, ubi ferè sequentia legimus. Natus est Otto fol. 121. r. Patre Dietpoldo Bergensi in Suevia Comite, Matre verò Gisla Otto ex Co. mibus Bergensibus. Dieffensi Comitissa. Dietpoldo nati suère filii sex, è quibus patrens quatuor sacris disciplinis erudiri voluit. Quantos sane tum in virtute tum in literis progressus fecerit illa illustrissimorum juvenum quadriga, orbis mirari debuit. Dietpoldus enim (aliis Theobaldus) qui primò locò nominatur, deinceps Pataviensem: Henricus Herbipolensem, Manegoldus itidem Pataviensem: Otto verò noster Frisingensem Cathedralam conscendere iussus est: reliquorum duorum fratrum nomina Scriptor noster equidem nobis non exprimit: ea tamen reperiuntur in Instrumento quodam dato Ratisbonæ anno 1187. continente tractatum inter Ottonem Episcopum nostrum, ac Gebhardum Sulzbacensem Comitem, ubi fratres illi Bertoldus atque Udalricus appellantur, autographum in Chartario Collegii Cathedralis reperitur. Hunc Udalricum in Episcopatu Pataviensi successisse fratri suo Manegoldo quidam post Aventinum tradunt. Verùm cum Scriptor noster Synchronus, & quidem domesticus, nullam ejus rei mentionem faciat, ac solos quatuor filios à Dietpoldo sacris disciplinis traditos fuisse scribat, sanè non est, cur Aventino ejusque sequacibus fidem faciliè adstruamus. Ejus fratres.

Ottonem nostrum è proprio Frisingensi gremio fuisse electum, Codex Fest Canon. cus Magdeburgensis. ille noster nullibi affirmat, neque Ottonis ulla memoria sub Alberto prædecessore Episcopo occurrit. Scribunt verò plerique Recentiores Historiographi, cum è Metropolitano Collegio Magdeburgensi fuisse evocatum: quibus cum antiqui sacri Weihenstephanensis atque Wessofontani concinant, fidem iis negare nec possumus, nec volumus: vero quàm simillimum nobis videtur, Ottonem à Friderico Cæsare, velut popularem, imò cognatum suum Cathedrali Ecclesiæ Frisingensis Collegio fuisse commendatum. Certè monumenta Tegerensia apud P. Bernardum Pezium Manigoldum, Ottonis nostri fratrem, de *Semine Regio* prognatum proclamant. Cæterùm dignissimum fuisse, qui ad apicem Episcopalis dignitatis eveheretur, Scriptor laudati Codicis luculenter prodit, dum asserit, facultatis suæ non esse explicare, qua morum integritate, quanta animi demissione, in pauperes charitate, animique infracti robore Otto præfulserit. Anced. T. III. part. III. col. 51. Ejus virtutes.

Illud de Ottone prorsus singulare commemorat prædictus scriptor, quod Uno eodè- que die à Pontifice & Imperatore instituit. is uno eodèque anno ac die Veronæ & à Pontifice spiritualia (quo vocabulo vel confirmationem, vel etiam consecrationem intelligere possumus) & ab Imperatore Regalia acceperit. Id num anno Christi 1184. an verò 1185. actum sit, dubium videri queat. Priori enim anno Imperator cum Pontifice Lucio: posteriori verò cum ejusdem successore Urbano III. Veronæ negotia tractavit, uti apud Pagium legimus. Nobis vero similis est,

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Bbb

id

id contigisse anno Christi 1184. ne scilicet absque causa rationabili nimium protrahamus Ottonis consecrationem ac legitimam institutionem. Ubi etiam illud non dissimulamus, ex his nos prioriorem reddi ad electionem Ottonis eidem anno 1184. assignendam, ita ut eodem anno Otto electus, consecratusque, Kalendis Januarii anni 1185. Frisingam venerit, quod Weihenstephanensis Codex disertè pronunciat: idemque demonstratur ex Instrumentis Ottonis, Tegernseensibus, & Neocellenfibus concessis, ubi annus Christi 1190. vocatur Ottonis nostri sextus, ut suo loco videbimus. Otto noster paulò post acceptum Frisingensem lituum, nempe anno 1185. concessit sub certis conditionibus feudum quoddam Sophiæ Andechsiæ, quod antehac ejusdem Parenti, Comiti de Weixberg concessum fuerat: qua de re literæ in Archivo Cathedralis Collegii asservantur.

Cæterum in vicina Ratisbonensi Cathedra hoc eodem anno mortuo Chunoni Episcopo, ex Falkensteinii Comitibus assumpto, successus est Gottfridus, Bambergâ oriundus, qui tamen sequenti statim anno Mitram Conrado II. sponte sua cessit. Hic deinceps ab Adalberto Salisburgenfi Archiepiscopo cooperantibus 14. aliis Episcopis sacram inaugurationem suscepit, uti ex Divi Emmerami Maulolæo edocetur. Porro in suprema Divi Petri Cathedra postea anno Christi 1187. Urbano III. die 19. Octobris è vivis sublato, die 21. ejusdem mensis successit Albertus de Mora, dictus Gregorius VIII. quem ex ordine sancti Benedicti evocatum ad Purpuram, de vicino summo omnium consensu electum fuisse R. P. Gregorius Kolb S. J. scribit: cui nihil contradicit Ferdinandus Ughellus in sua Italia sacra, dum eum Monachum Cisterciensem fuisse asserit. Nam etiam Cistercienses sub Divi Benedicti Regula militant.

Consecratio
Gottfridi Epi-
scopi Ratis-
bonensis.

14p. 42.

Gregorius
VIII. PP.

In Ser. Rom.
PP.
7. l. col. mi-
hi 30.

§. II.

Acta publica ac Frisingensia ab anno Christi 1187. usque 1191.

Tristis ex O-
mine Nun-
tius.

PAULò ante Gregorii electionem tristissimus ex Asia nuntius venerat, nempe Hierosolymam cum suo Rege à Saladino Ægypti Tyranno fuisse captam, ac insuper sanctam illam Crucem, in qua, Apostolo teste, *gloriari nos oportet*, in Barbarorum potestatem venisse. Hinc prima cura Gregorii fuit, ut ad Christianos Principes literas expediret, eosque ad bellum adversus Saladinum moliendum cohortaretur. Scribunt, adeò placuisse piissimam Pontificis mentem Christianis Proceribus, cæteroque dissidentibus, ut septem annorum inducias inter se pacti fuerint, pœnis singularibus in eos decretis, qui pacem in Ecclesia, ea temporis intercapedine, essent turbaturi. Tantà potuit Gregorius, cum tamen solos duos menses, & quidem non integros Ecclesiæ præfuerit, morte sanctissima Viri vota, ac majora etiam facinora præcludente XVI. Kal. Jan. id est, die 17. Decembris: in cujus locum Clemens III. natione Romanus successit.

Christianos
ad bellum sa-
cerum incitat.

Clemens III.
PP.

Dedicatio
Basilicæ
S. Udalrici
Augusti,
Hierarch.
Aug. surtia
Ecclesiastica.
Contribuit
Codex Frisingen-
sium Traditio-
num
quartos.
fol. 1. a.

Cum eodem anno, Christi 1187. Conradus Moguntinus Archiepiscopus recens restauratam SS. Udalrici & Afræ Augustæ templum (quod ante quadrennium in cineres resederat) sacris cæremonis intaret, Otto Episcopus noster unâ cum Udalrichalco Augustano Episcopo eidem cooperatus est.

Eodem anno conscribitur Magni ille Traditionum Frisingensium Codex, quem nos Quartum appellare solemus, & quo hæcenus toties usi sumus. Id indicatur in ipso libri præmio verbis sequentibus. *Conradus DEI gratiâ quàm humilis hujus Ecclesiæ sacrista, & Canonicus, contraclaus & perspicuus volumina hujus Ecclesiæ, sum traditiones Regum, sum collatio-*

nes

ues & conquassationes Episcoporum aliorumque Principum, nobilium seu aliarum familiarum personarum constantia, aut vetustate consumpta (nam duro lapidi longa senecta nocet) aut per incuriam Custodum, vel per jacturam incendiis penitus amissa, ut pater filius Matris suae, cujus lacte nutritus est, indoluit, eademque innovanda & reintegranda opere dignum duxit. - - - facta est autem hac descriptio MCLXXXII. Hæc ibi: verum Codicem illum prolecuræ fuere manus posteriores, quamquam non adeo liberales.

Eodem anno Fridericus Imperator edidit Constitutionem contra incendiarios, quam in Parte Altera totam recitamus.

N. 1762.

In Fastis Tegernseensibus de Conrado II. ejus loci Abbate, & Ottone Episcopo nostro ad eundem annum hæc notantur: *Domino Rudberto devotum humanitatis persolvente, successit ei in regimine Dominus Conradus hujus nominis secundus. Hujus temporibus Ecclesia sancti Michaelis in Gmunden Parochialis erat totius anguli Tegernsee. Sed quia onerosum erat Parochianis, temporibus decemibus propter asperitatem & longinquitatem via illuc ire, prædictus Dominus Conradus Abbas impetravit à Domino Ottone secundo Episcopo Frisingensi, ut populus posset in futuris perpetuis temporibus baptismum & sepulturam, & omnia alia sacramenta recipere in Tegernsee, & Egern, ut patet in litera. Additur: hic etiam impetravit anno Domini 1187. à Papa Gregorio VIII. confirmationem Ecclesie Cella S. Martini, nempe Monasterii Dietramicellensis. Literas Pontificis Gewoldus in Additionibus ad Hundium expressit.*

p. Bern. Fox
Tom. 2. A-
necdot part.
3. col. 522.
& seqq.
In vicinia Te-
gernsensi ex
una Parochia
sunt tres.

Tom. II pag.
256.

Cæterum eodem anno Otto Episcopus noster Schefflariensi Monasterio tradidit decimas quasdam ex Vineis in *Severs*: ac præterea adjectum prædium quoddam in Haidelsing: pro quo tamen ab Hainrico Schefflariensi Præposito recepit aliud prædium in Dietersheim, idque ob majorem commoditatem, eò quòd Dietersheimense prædium aliis Frisingensis Ecclesie bonis propius adjaceret. Nec ita multo post idem Episcopus eidem Monasterio indulxit decimas, quæ ex vinea quadam Schefflariensi prope Bulsanum sita, debebantur Frisingensi Ecclesie: ea tamen conditione, ut intuitu illius Donationis sororibus illius Monasterii, quoties sanguine minuerentur, solatium ministraretur. Ex quo intelligimus, etiam Schefflariensis Virorum Monasterio eo tempore sacrum Parthenonem fuisse adjuncum, id quod apud pleraque virorum Coenobia ea ætate per Bojarum observabatur.

Otto ergo
Schefflarien-
ses beneficia
N. 1763.

N. 1764.

Cum interim Hierosolyma, cæteraque loca Christi servatoris vestigiis consecrata sub Saladini tyrannide ingemiscerent, Fridericus Imperator una cum plurimis Imperii Principibus in Comitibus mense Majo anno Christi 1188. Moguntie celebratis, sacram adversus barbaros expeditionem decrevit, congregatumque numerosissimum exercitum anno sequenti in Palaestinam duxit: ubi dum plura adversus Turcas præclare fortiterque gerit, Serræ anni ad disjiciendum calorem fortè sese immergens, aquis haustus, & aliquantò post extinctus, spes maximas simul extinxit. Friderici Patris Imperium Henricus Filius excepit, eo nomine inter Henricos sextus appellatus.

Montales in
Schefflariis

Fridericus
movet in Pa-
læstinam,

Aquis hauri-
tur.

Henricus VI.

Antequam Fridericus sacre illi expeditioni sese accingeret, anno 1188. 8. Kal. Augusti licent inter Abbatissam Gandersheimensem, ejusque Officiales compulsiit Goslarie. Literis Cæsareis etiam Otto noster subscripsit, ut in antiquitatibus Gandersheimensibus Leukfeldius tradit.

pag. 303-

Priusquam in itinere Fridericus in Pannoniam veniret, Viennæ Ottoni Episcopo nostro varia in Austria jura adjudicavit, veluti ex Diplomate subjuncto conspicimus, quod sic habet.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fridericus DEI gratia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem nostram decet Auctoritatem, ut quæcumque de ratione fieri decreveris, litterarum notitia commendari facias, ne

Varia jura in
Austria adu-
dicavit Fri-
singensi Ec-
clesia.

R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising.

Bbb a

curju

*** utpote
jura instituen-
dandi mori-
tuum, pœssan-
tem iudicia-
riam exer-
cendi, & ar-
ces construendi.
* & d. d. s. r. m.
l. i. n.

curfu temporum labente facilius à memoria succedentium facta præteritorum evanescent. Unde noverim tam presentes, quàm post futuri fideles Christi, quòd cum dilecti nostri consanguinei, Dux videlicet Austria Leopoldus, ejusque filius Fridericus omnem Majestati nostræ resignassent justitiam, quam per Dominicalia Frisingensis Episcopi quondam ab Imperio possederant in Austria, id est Marchbret, * & Lausgerichte, * & Burchwerch, * que specialiter ad usus ipsorum respiciebant, tam in officio * Enzinsdorf, & Alarn, quàm etiam in Hohenberch & Ebersdorf, nos ob instantem eorundem petitionem, atque dilecti nobis, ac venerabilis Episcopi Ottonii amorem ad hoc sumus inducti, quòd prædictam justitiam nobis resignatam Ecclesie beate Virginis, sanctique Corbiniani Frisinge donatione Regali tradidimus, proinde sperantes, præmiò nos æterna beatitudinis in futuro remunerari. Ut autem hæc nostra traditio sine retractatione stabilis & incorrupta omni permaneant ævo, hæc inde paginam conscripsi, ac impressionis nostræ sigillò justissimus insigniri, cum testibus subnotatis, quorum hæc sunt nomina. Otto Babenbergensis Episcopus, Theobaldus Pataviensis Episcopus, Henricus Babenbergensis Præpositus, Bertoldus Dux Dalnaciae. Chunradus Comes de Pilslein. Albertus Comes de Bogen. Otto Comes de Veleburch. Chunradus Burchgravius de Nuorenberch. Otto Ratisbonensis Advocatus. Hainricus de Alendorf, Chrafti de Amzmesbach. De Choro Frisingensi Chunradus felix puer. Ortolphus Intycinensis Præpositus. De Ministerialibus Ecclesie Frisingensis. Hainricus felix puer. Gerwicus de Pubenhausen. Otto de Waldekke. Fridericus de Pastberch. Ulricus Vertinck. Albanus de Elbpach. De Ministerialibus Ducis Austriae. Wilbardus de Sevelde. Hadmarus de Kuwringen. Lutwinus de Sunnenberch. Rodolphus Stubich. Ego Joannes Imperialis Aule Cancellarius in vice Domini Chunradi Moguntini Archiepiscopi, Germanie Archicancellarii recognovi. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVIII. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore semper Augusto, anno Regni ejus XXXVIII. Imperii verò XXXVI. datum Vienna XV. Kal. Junii Indictione VII. feliciter Amen.

Tam insigni gratia auctus Otto Episcopus noster sequenti anno Fratri suo Manegoldo, qui ex Cremifanensi Abbacia ad Tegernleensem translatus fuerat, jura antiquæ circa Monasterium Dietramicellense datis novis literis confirmavit hunc in modum.

Jura Tegern-
leensis con-
firmavit.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, Otto DEI gratiâ Frisingensis Episcopus secundus. Quæ à fundatoribus venerabilium locorum seu Ecclesiarum justè & religiosè instituta sunt, ut futuris temporibus majori firmitate convalescant, dignum duximus ea literis mandare, ne quod venerabiliter institutum est, vel oblivio deleat, vel injuria pravorum hominum subvertat. Eapropter universis in Christo filiis & fratribus nostræ Diocesis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, & universis sub eorum regimine degentibus, cunctisque Christi fidelibus futuris & presentibus significamus, quia accedentibus nobis ad Episcopalem dignitatem, motum est verbum in consilio nostro, quòd Ecclesie, quæ Cella beati Martini dicitur, ad nostrum spectaret Episcopatum. Cui rationi se Abbas Tegernseensis Monasterii Rupertus opposuit, & eandem Ecclesiam, ad quòd in fundo & de fundo S. Quirini fundata & ditata esset, privilegium & sufficienti ratione obtinuit. Nos verò, quos decet prava corrigere, justitiam diligere, non infringere, pulsante justitia, nec non pro dilectione fratris nostri Manigoldi ejusdem Monasterii Abbatis; utriusque enim intuitu animum ab insolita vexatione revocavimus, & ea, quæ religiosè instituta sunt, auctoritate nostra confirmavimus, & presentis scripti privilegio communimus, ita videlicet, ut, sicut in principio tempore Henrici Antecessoris nostri institutum est, & electio Præpositorum prædictæ Cella ad consensum & consilium celebretur. Abba-

Abbatum Tegernseensis Monasterii, & electi possessiones & investituram temporalium ab eis accipiant, & omnem honorem & reverentiam, quam filia Matri pro exhibitione multiplicis gratia, & jure fundationis exhibere debet, exhibeat, nobis de spiritalibus responsuri. Acta sunt hæc conventio totius Capituli Frisingensis Ecclesie & Ministerialium in villa, quæ Laneskirchen dicitur, anno Incarnationis Dominice MCXC. Indiæ. VIII. Anno verò Episcopatus nostri sexto. Regnante Frederico Imperatore Romanorum Augusto, & filio ejus Hainrico feliciter. Amen. Testes de Choro Frisingensi Berchtoldus Decanus. Ortwinus Slierfensis Præpositus. Fridericus Wertjedimus Præpositus. Cunradus S. Viti Præpositus. Cunradus Custos, * Hainricus Scolasticus, Eberhardus de Schlierse. De nobilibus Hainricus de Brucke, Hainricus de Rainingen. Berchtoldus de Vogene. De Ministerialibus. Hainricus felix puer. Gerwicus præ de Pubenhausen. Adiloldus de Dorimbach. Eberhardus de Werde, & filius ejus Eberhardus. Harwicus de Richolfesdorf, & filius ejus Otto. Otto de Pasingen, & fratres ejus Hainricus, Ulricus Fertinck, Alanus de Elbpach, Otto de Herbercbingen. Hainricus & Siboto de Wacharingen. Arnoldus de Herbetsbusen. Alanus de Richersbörn, & alii quàm plures. Datum Frisinge per manum Gotisfridi Notarii XVIII. Kal. Sept.

Signum Domini Ottonis Frisingensis Episcopi.

Hæc ex Gewoldo in additionibus ad Hundii Metropolim exscriptimus, ^{7m. 2. pag. 256.} ubi ille plures ejusmodi Juris Tegernseensis confirmationes adduxit. Copiosiores adhuc exhibet Codex ille coævus Tegernseensis, inscriptus: Acta Papalis & Imperialia, qui exhiberi & videri potest.

Ista Otto Episcopus Tegernseensis: sequentia eodem anno Neocellenfibz contulit, quæ ex Libro Traditionum ejus celeberrimi Collegii extrahimus, & cum Lectore communicamus.

IN nomine sancte & individue Trinitatis Otto DEI gratiâ Frisingensis Episcopus. Dispensationes Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum rerum, quæ vel per religiosorum petitionem, vel pro urgente venerabilium locorum necessitate rationabiliter sunt, ad notitiam presentium & memoriam futurorum de ratione debent pervenire. Quia ergo loca venerabilia summa devotione amplectenda sunt, tum quia ibi vigent orationes sanctorum, quorum patrocinia sancta letatur Ecclesia, tum quia in eis elemosina indigentibus hospitaliter impenduntur, nos Divino instigante amore ac mediante Frisingensis Capituli univcrsitate, Ecclesiam, quæ in Alerhusen dicitur, fratribz in Nova Cella Deo servientibus pro remedio anime nostræ ac prædecessorum nostrorum contulimus, & Episcopali nostra auctoritate stabilimus, ita tamen, ut Præpositus ejusdem loci, vel etiam quinquam Dominum Engelcalcum quondam Præpositum, qui jam dictam Ecclesiam à prædecessore nostro beate memorie Domino Alberto personaliter tenuerat, quamdiu ipse superest, in nullo comurbet. Fratres etiam, qui de collegio suo in sacerdotes ibidem ordinandi sunt, aspectibus nostris debent presentari, qui & Synodum nostram adeant, & de spiritalibus reddant rationem; qui si fortè mutati fuerint, substituendi nobis denuò presententur. Quod ut firmum sit, & ab omnibus ratum habeatur, presentem paginam scribi, ac sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Actum est autem assidentibus sancte Frisingensis Ecclesie Cathedralibus Bertoldo Decano. Albinus S. Castuli Præposito. Cuonrado S. Andreae Præposito. Ortwinus S. Sixti Præposito. Cuonrado Custode. Friderico Præposito. Cuonrado S. Viti Præposito. Anno Domini MCXC, Indiæ. VIII. Anno Pontificatus nostri VI. feliciter. Amen.

Ecclesia Allershusiana hunc in modum Neocellenfibz stabilita proximo statim anno Ruodegerus quidam, Richershusianus Curio, item iisdem

* Hæc du-
bæ sacriss,
de quo ju-

Otto Episco-
pus Ecclesiam
in Alerhusen
Neocellenfibz con-
cedit.

* Giesling. super Capella in Grunelingen * coram Ottone Episcopo intentavit: qui causâ probe discussâ Capellam eidem Monasterio adjudicavit, expedito in eam rem sequenti Instrumento.

Eisdem Ecclesiam in Giesling adjudicavit.

OTTO DEI gratiâ Frisingensis Episcopus secundus feliciter. Amen. Ad tuenda Ecclesiasticarum rerum jura nos, qui cottidianis incommodis quæmur, & violentiâ injustorum opprimimur, scriptis firmare studuimus, quæ pro utilitate Ecclesiarum à fidelibus Christi rationabiliter tractantur, ne à memoria posterorum labantur. Proin omnium fidelium notitiæ certum tradimus, qualiter fratres S. Petri Novæ Cella, & quidam Plebanus in Richersbusen nomine Ruodegerus contenderunt pro capella in Grunelingen, quam locus & conventus S. Petri à die foundationis sue sine omni contradictione & molestia quietè possederant, quod nullius invasoris violenti in ipsa Capella gravamen senserant, quousque idem R. eam in usus suos injustè trahere cogitabat. Prædicti itaque Fratres præsentiam nostram adierunt, querimoniam super gravamine sibi à prædicto R. Plebano illato proponentes, & condicito Placiti die data sententiâ cathedralium & nobilium Episcopatus nostri præscriptionem XL. annorum, quam prætendebant, testibus idoneis & legitimis probaverunt, & sic omne jus, quod ante possederant, in ipsa Capella Domino adjuvante obtinuerunt. Et ne de cetero super his ulla possit oriri questio vel controversia, dedimus eis in testimonium præsentem paginam, sigilli nostri impressione roboratam. Hujus rei testes sunt Ortwinus Decanus. Fridericus Præpositus de Wertsee. Cuonradus Felix puer, Præpositus S. Viti. Cuonradus Præpositus Moseburgensis. Cuonradus Custos. Arnoldus de Gildebigen. Sieghoto Pulcher panis. Ulricus de Abedorf. Tageno Canonicus. Gosfridus de Angulo. De Ministerialibus nostris. Hainricus Felix puer. Gerwicus de Pubenbusen. Arnoldus de Dornbach. Diepoldus de Wipenbusen. Ulricus Verinck & fratres sui Hainricus & Rudolfus. Cuonradus de Humbelen. Engelwanus de Abedorf & frater suus Hainricus. Hainricus de Albersbusen & filii sui Hainricus & Cuonradus Diepoldus de Grimersbusen. Henrich de Tanne, & alii quàm plures. Acta sunt hæc in præsentia Capituli nostri. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCI. anno Pontificatus nostri XI. feliciter. Amen. Hæc Neocellenfis Otto secundus. Ubi tamen monendus est Lector, annum Christi MCXCI. non fuisse Ottonis XI. sed VII. ut adeò libarius Neocellenfis eam temporis notam ex autographo non bene deprompsisse deprehendatur.

Existimamus, istas literas tunc Tegernseensibus tum Neocellenfisibus datas fuisse statim ad initium prædicti anni 1191. reliquo enim ejus anni decursu Ottonem Episcopum extra Bavariam fuisse, mox videbimus.

§. III.

Continuatio Actuum usque ad annum Christi 1205.

Cælestinus III. PP.

Henricum VI. coronat.

HÆC dum apud Frisingenses aguntur, Clemens III. Romanus Pontifex mortis arbitrio parus; cui Cælestinus III. successit, qui ipsa Dominicæ Resurrectionis solennitate Pontifex consecratus, sequenti statim die, secundâ scilicet Paschæ feriâ, Henricum, Germaniæ hætenus Regem, eo nomine sextum, conjugemque ejus Constantiam Augustorum nomine ac coronâ condecoravit, postquam Henricus dictò sacramentò promissit, se Ecclesiæ Romanæ jura illibata constanter servaturum, justitiam custoditurum; si quid ex Divi Petri Patrimonio ablatum fuerit, redditurum &c. Hæc, & plura alia ad hunc annum Baronius: qui nihilominus ab oculatissimo Pagio circa

circa plura hujus anni acta emendatur. Itineri ac coronationi Imperatoris interfuisset Ottonem Episcopum nostrum, docemur ex variis Henrici Diplomatis, à Ferdinando Ughello in *Italia sacra* exhibitis, in quibus inter testes numeratur Episcopus noster: quale est, quod ab Henrico Rege concessum fuit Ecclesie Regii Lepidi Bononiæ III, Idus Februarii. Aliud datum Civibus Eugubinis ante Neapolim, nempe in ejus urbis obsidione. Aliud expeditum Lucæ 4. Kal. Augusti pro Episcopis Lunensibus. Eundem Ottonem Episcopum sæpius etiam alibi fuisse in comitatu Henrici Imperatoris mox iterum videbimus.

Presente Ottonis Episcopo nostro.

Rel. Sac. T. I. col. 302. col. 642. col. 870.

Ludovicum, eo nomine quartum Bojarie Ducem, Ottonis Wittelspachii filium, ephebos egressum, prætextâ positâ anno Christi 1192. bakhèò accinctum, gubernandæque Bojarie ab Henrico VI. Cesare fuisse adnotum, produnt Boicæ Gentis Annales, Adelzreittero tribui soliti. Ad alia ejus temporis Bojarie acta non diffundimur, cum ad res Frisingenses dilucidandas nihil admodum conferant.

Ludovicus IV. Dux Bojarie.

Ottonem Episcopum nostrum anno proximo, Christi 1193. cum Henrico Imperatore Wormatic fuisse commoratum, docemur ex Diplomate Cæsareo, Bebenhusano Monasterio in hodiernæ Wirtembergie Ducatu Sito, concessio, ubi Otto noster inter testes primum locum habet, uti D. Franciscus Petrus Canonicus Reg. in *Suevis Ecclesiastica* tradit. Ex Italia sacra discimus, eundem Episcopum eodem anno pridie Nonas Julii cum eodem Imperatore fuisse apud Luceriam * Italicæ Urbem, ubi inter testes Privilegii à Frederico Ascalanæ Ecclesie concessi rursus primò locò ponitur.

Pag. 170. a. Tom. I. pag. 479.

Luc. ara.

Sequenti anno, Christi 1194. Otto Episcopus noster Capellam in Forstneried, quæ eousque filia fuerat Parochialis Ecclesie in Neuenried, accedente assensu Alberti Præpositi in Raitenbuech, Parochialem esse jussit. Extant ejus rei testes literæ in Pollingano tabulario tenoris sequentis.

Ecclesia in Forstneried sita Parochialis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & * individua Trinitatè. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, ad quos scriptum istud pervenerit, quod ego Otto Frisingensis Episcopus Capellam in Forstneried, quæ quondam subiecta fuerat Ecclesie in Neuenried jure filiationis respiciens eam sicut filiam Matricem Ecclesiam: hanc, inquam, capellam à potestate & jurisdictione & omni subjectione prædictæ Matricis Ecclesie exemi, concedens ei jus baptismi, & jus sepulture, & pleno jure dant eam suæ libertati. Factum est autem hoc cum voluntate Alberti Præpositi de Raitenbuech, qui eo tempore prædictam Ecclesiam de Neuenried tenebat. Hic idè suum adhibuit consensum: nam Præpositus de Pollingen ad recompensationem istius exemptionis prædium quoddam in Parschalbesriet prædictæ Ecclesie Matrici donavit decimatione excepta & sibi reservata. Factum est hoc anno ab Incarn. Domini MCVIII. * Pontificatum tenente Papa Celestino. Regnante quoque gloriosissimo Imperatore Henrico. Hujus rei testes sunt. Ortwinus Decanus, Magister Chunradus. Chunradus Archidiaconus. Felix puer. Henricus majoris Ecclesie plebanus. Fridericus in Angulo. Herrardus. Luterinus. Magister Henricus Pabo. Ulrichus Præpositus Jfenensis. Otto de Eringspurch. Henricus de Strubestorf. Ortolfus de Utingen. Arnoldus de Gillichingen. Henricus Vertinger.

* Particula & videtur adiecta à libano.

Error libano.

Hoc apographum malè signare annum Christi M.C.VIII. moniti fuimus à fida manu Pollingana, quæ Instrumentum isthoc ad annum Christi 1194. reponendum esse scripsit; & sanè prudenter. Pontifex enim Celestinus, Otto Frisingensis Episcopus, Ortwinus Decanus & alii testes ad annum Christi MCVIII. minime pertinent, uti eruditi advertent. Verum est, anno 1194. nullum Albertum Præpositum in Catalogo Raitenbuecheni reperiri.

periri. Verùm quia in hoc Instrumento Albertus Præpositus ejus loci ex-
primitur, opinamur, eum in prædicto catalogo deinceps non esse omittendum.

Ista Otto Pollingani: sequenti anno Christi 1195. rursus Schefflarien-
sibus sequentia præstitit, quæ in Instrumento subiuncto exhibemus.

IN nomine S. & individ. Trinitatis. Otto DEI gratiâ Frisingensis Ecclesie
Episcopus secundus. Ob hoc disponente Domino sumus ad Regimen Eccle-
siarum assumpti, ut earum indigentis cura Pastoralis providendo non solum ea,
quæ nos ob amorem Divinum ipsius donaria largiamur: verum etiam, quæ
pie memorie Antecessores nostri divinitus eis inducî contulerunt, Privilegio-
rum nostrorum attestacione confirmanda roboremus. Noverit itaque tam præ-
sentium, quàm post futurorum Ecclesie nostræ fidelium sagacitas, quòd dilecti
filii nostri, Hainricus videlicet Schefflariensis Ecclesie Præpositus, suiq; Con-
fratres ad nos accedentes humillima precum apud nos obtinuerunt instantiâ,
quòd nos traditiones Antecessorum nostrorum, Dominî scilicet Ottonis, ac Do-
mini Adalberti reverendorum Antistitum, quibus eandem Ecclesiam larga do-
natione ditaverant, pariter cum bis, quæ & nos pro modulo nostro ipsis con-
tulimus. Privilegii nostri renovatione confirmavimus, sub scripta distincione de-
terminando, quid iste vel ille eidem Ecclesie contulerit Episcopus. Siquidem
Dominus Otto, qui primitus in eadem Ecclesia Præmonstratensium initiavit
Ordinem, Paterna sollicitudine deliberans, qualiter ibi DEO simulaculum su-
sistentationi succurreret, Ecclesias ei adjacentes, quæ in Privilegiis antiquioribus
monstrantur adnotate, privilegiata attestacione pariter cum monte, qui
dicitur Wackersperch assignavit, ex indulgentia sue Auctoritatis hoc adiciens,
ut, si fortè possessionum earundem Advocati plus debitò fratres memoratos mole-
stare niterentur, potestatem habeant alium, sive alios instituenti. Similiter
& Dominus Adalbertus supra memoratus Antistes propriæ salutis consuleus dec-
imationes apud Ibingesboven, & Cbeverloch prætaxatis fratribus legitime
contradidit, scriptis & privilegiatis eandem & ipse traditionem corroboravit.
Cui cum nos permissione Divina suggestissemus, cupientes & eorundem fra-
trum indigentis ex aliqua parte subvenire, placuit, ut ad petitionem ipsorum
quasdam apud Bozen decimationes, quæ nostrum quondam deputata fuerant Do-
minicalibus, & quas nos à quodam Egilolfô Augystensis Ecclesie Ministeriali
feudali jure exemimus, ad communem eorum utilitatem conferretur, & Ca-
pellam apud Strazloch. Præterea sicut ab antiquo eî indultum fuerat, & nos
indulgemus, ut, quicumque Ministerialium Ecclesie nostræ testamentum faciens
aliquid eis de prædio suo voluerit impertiri, ratum à nobis. & successoribus
nostris observetur, & quicumque moriens sepulturam apud eos elegerit, licitè
ab eis, & sine contradictione sepeliatur. Hæc autem omnia, quamvis aliis
alibi privilegiorum instrumentis communita reperiantur, nos tamen ubilomi-
nus ob majoris cautelæ providentiam, ut ita deinceps rata, & inconversa
permaneat, presentis paginâ renovamus impressionis nostræ sigillò corrobora-
ta. Testes. Ortwinus Matricis Ecclesie Decanus. Cbunradus Felix puer,
& S. Viti Præpositus. Ortolfus Inticimensis Præpositus. Cbunradus Custos.
Godefridus sancti Andree Canonicus, & Capellanus. Actum Frisinge anno
Dominicæ Incarnationis M. C. XCV. feliciter. Amen.

Dum tanta per Diocesin Ottò Episcopus beneficia spargit, etiam erga
domesticos suos liberalem sese exhibuit, & primò quidem Cathedrali suo
Collegio prædium in Hansen contulit testibus Ortwinò Præposito in Schlier-
see: Friderico Præposito in Wertsee: Chunrado Ecclesie majoris Custode:
Ottone de Iringspurch, ac Babone de Frikendorf. Deinde idem Religio-
sissimus Antistes anno Christi 1195. Decano prædicti Collegii assignavit aliud
prædium in Stuthaulen Mospurgensis præfecturæ, & rursus aliud prædium
cum duabus partibus decimarum in Gunzhausen ad structuram & conserva-
tionem

Donationes
Schefflarien-
sibus factæ
confirmantur.

Otto Episc.
enim Cathed-
rali Collegio
munificum
felic exhibet.

tionem fontis prope ædes ipsius Decani, uti legitur in Catalogo Episcoporum Frisingensium, circa annum 1500. conscripto. Rursus areas in civitate duas ab Alberto prædecessore sacello S. Joannis assignatas eidem anno Christi 1196. confirmavit: quo eodem anno Ecclesiam in Tatenhausen in honorem Dominicæ Crucis, B. M. V. ac S. Georgii M. dedicavit, prout in tabula quadam prædictæ Ecclesiæ annotatum legitur.

Inter hæc Henricus Leo, Boicæ olim Dux (de quo in superioribus plura) diem obiit, à rebus fortissimè gestis Leonis nomen adeptus. Eum post biennium, nempe anno salutis 1197. ad tumulum Messanæ secutus est Henricus VI. Imperator, postquam Germanum nomen mira in quosvis suspectos, etiam innocentes tyrannide exosissimum, Siculis maximè & Anglis reddiderat, Asperi idcirco cognomen promeritus.

Optaverat Henricus, ut Fridericus filius, è Constantia Augusta susceptus, sibi in Imperio succederet, ac deinceps Imperium non ex electione, sed sanguinis successione ac hæreditario jure transfunderetur: verùm irrita fuere ambitiosi Cæsaris vota. Rejeto enim tantisper puerulo Friderico, Principum aliqui in Philippum Sueviæ Ducem, defuncti Henrici fratrem: alii in Othonem Brunsvicensem, Henrici Leonis filium suffragia contulère, unde immensitas quardam fluctuum Germaniam deinceps concussit. Othonem Episcopum nostrum cum cæteris Boiis Philippo tanquam vicino potentissimo Duci adhæsisse certum videtur. Roma nec Philippum, nec Othonem probavit. Tentata sæpius duorum Regum conciliatio, selectique fuere plures Episcopi, & inter hos etiam Otto Episcopus noster, qui acerbissimam litem componerent, ac collatis consiliis alterutrum Regem Germaniæ pronunciant, à tota posthac Germania recipiendum: ast incassum omnia, donec tandem Imperium, Philippo interfecto, Otoni delatum fuit, ut suo locò dicemus.

Dum tantis discordiis quassatur Germania, Coelestinus III. Romæ moritur, ultimus eorum Pontificum, quorum res gestas Cardinalis Baronius, Ecclesiasticæ Historiæ Princeps, conscripsit. Coelestino summo omnium eligentium consensu ac plausu successit Innocentius III. Anagninus Italus, qui Othonis Brunsvicensis causam tantis studiis fovit, ut demùm Philippo Regium titulum ademerit. Idem Pontifex anno Christi 1200. beatam Chune-gundam Augustam, S. Henrici Imperatoris Conjugem Virginem, ac deinceps Sanctimonialem piissimam factis Sanctorum adscripsit, uti Raynaldus Baroni continuator ad annum supra dictum annotavit. Ejus festum posteriori Pontifices non solum Martyrologio Romano, verùm etiam Breviario Monastico Benedictino inseruere: eamque uti olim in terris de hac Frisingensi Ecclesia optimè meritam, ita modo in coelis ceu singularem Patronam Frisingensium Clerus annuò officio veneratur.

Vicinum Weihenstephanense Monasterium juxta loci quidem Chronicon anno Christi 1197. at verò juxta vetustum ejusdem Abbatæ Calendarium anno Christi 1194. in cineres subsederat sub Abbate Altonum, quem posteri Altonem nominant, cui dimisso clavò Eberhardus successus est. Restaurato Monasterio, cum Conradus Wittelspachius Moguntinus Archiepiscopus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ex Hungaria redux, in Bojariam, patriam suam, devenisset, Ecclesiam Weihenstephanensem sacris ritibus inauguravit. Sic enim cœva manu habet Calendarium Weihenstephanense ad annum Christi 1200. *Hoc anno dedicatum est Monasterium loci istius impetrante Eberbarado Abbate, à Venerabili Domino Kunrado Moguntinæ Sedis Archiepiscopo & Sabinensi Episcopo, cooperante sibi Otone secundo Frisingensi Episcopo. Addit: Idem Dominus Kunradus Archiepiscopus paucis interjectis diebus diem ultimum clausit, & ad sedem suam deportatus.*

R. P. Caroli Meibellbeck Hist. Frising.

Ccc latus,

*Chronicon
Frising.
in Ottone
Ep. XXIV
Uti etiam Sa-
cello S. Joan-
nis.
Consecrat Ec-
clesiam in Ta-
tenhausen in
districta Ko-
sch-zimb
Ann. 1199.
Obiit Hen-
ricus Leonis,
Et Henrici VI.
Imp.*

*Schisma in
Impero.*

*Innocentius
III. PP.
Favet Othoni
Brunsvicensi.*

*S. Chune-
gundis Albo Im-
porum infer-
tus.*

*Consecratio
Ecclesiæ in
Weihen-
stephan.*

tatum, ibidem sepultura traditus est. E quibus merito dubitabit prudens Lector, num verum sit illud, quod nonnulli tradunt, nempe Conradum Archiepiscopum Moguntinum in itinere in Diocesi Pataviensi decessisse. Cur enim Conradus ex Hungaria veniens Frisingam, ac ad suam sedem properans, consecrata Weihenstephanensi Ecclesia redisset in Diocesin Pataviensem, ex qua primum venerat? Itaque mors illius potiori jure in Frisingensi, quam Pataviensi Episcopatu evenisse omnino dicenda est, ut nemo non videt. Eodem interim anno ad superos etiam evasit Adalbertus Salisburgensis Archiepiscopus, ut Mezgerus tradit. Is sedem Metropolitanam Eberhardo II. Truchsesio, antehac Brixinensi Episcopo, commendendam reliquit.

Ubi mortuus sit Conradus Archiep. Moguntinus?

Eberhardus M. Salisburg Archiepiscopus. *Hist. Salisb. l. 4. cap. 19. c. 21.*

Papa optat Ottonem ab omnibus recipi in Imperatorem.

Turbæ in Bojaria.

Gravis impositura.

Detegitur.

Anno Christi 1201. (ut fuscè Raynaldus meminit) Innocentius III. Pontifex Maximus missis in Germaniam Legatis causam Ottonis Brunsvicensis approbavit, eumque datis singularibus ad Coloniensem atque Salisburgensem Archiepiscopos: uti etiam ad hujus Suffraganeos Episcopos literis velut legitimum Regem coli præcepit. Diris devovebantur, qui Pontifici motem gerere detrectabant. Inter hos Pataviensis Episcopus, cum Pontifici contumaciter sese opponeret, Romæ ad dicendam causam se sistere sequenti anno jussus est. Plura similia de aliis etiam Germaniæ Episcopis ad utrumque illum annum Raynaldus conscripsit, nihil verò de Ottone nostro: unde conjecturam ducimus, eum votis Pontificis aut planè obtemperasse, aut cautissima dexteritate censuras evitasse. Bojaria anno proximo Christi 1203. rursus grandes ruinas perpeffa est. Cum enim Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus ob clientelam & Parochiam Utinensem à Ludovico Bojarie Duce dissidetur, & Conradus Ratisbonensis Episcopus profanos Ecclesiarum tutores, sive *Advocatos*, eo munere vi deturbare conaretur, utrique verò Antistiti Dux etiam arma opponeret, Bojaria pene universa cladbùs ingentibus, rapinis, atque incendiis misere vastata est. Neque veto simile videtur, iis malis Frisingam subducere sese potuisse, quamquam nullibi legamus, Ottonem Episcopum alterutri litigantium parti favisse. In Weihenstephanensi Calendario ad eum annum synchrona manu hæc fuere notata sequentibus verbis: *Hoc anno, inquit Chronologus, Bojaria multis malis subjacuit Ludovico Duce Werram habente. Nam incendiis & rapina tota terra devastata est. Concinnunt Fasti Wessofontani in hæc verba. Anno Domini 1203. propter Guerram inter Episcopum Conradum Ratisbonensem, & Ludovicum Ducem Bavariae pene tota provincia incendio periclitatur. Huic Conrado confederatus fuit Dominus Bernardus Archiepiscopus Salisburgensis &c. Simillima Stero Altaheulsi Monachus scripta reliquit. Frisingam nostram eo turbine fuisse tandem involutam, ex infra dicendis clarius apparebit. Ita dum Principes mutuis inter se odiis committuntur, etiam innocentes turbæ ac diris vexationibus implicantur.*

Eodem anno dum Apostolica Sedes multas in Germaniam literas pro Ottonem mittit, quædam etiam epistola consignata est Pataviensi, Frisingensi, & Eistetteni Episcopis, qua non Ottonis, sed Philippi causa majorem etiam in modum commendabatur. Impostorum hæc stropa erat, ut rumor in Getmania spargeretur, Pontificem mentem mutasse, eoque pacto, qui Philippi factioni adhererant, confirmarentur, ceteri verò in Philippi partes adducerentur. Verùm ea re Romam delata literas in Germaniam Pontifex misit, quibus dolum detexit, afflictasque sibi literas verbis gravissimis confuta-

lutavit. Et quoniam Cardinalium quoque nomine per Germaniam ejusdem farinae literæ circumferebantur, ipsi quoque Cardinales datis ad Germanos literis calumniam à se depulerunt. Sanè Pontifex eodem anno postea adhuc alias duas epistolas Salisburgensî Archiepiscopo, atque Episcôpis eidem subiectis scripsit, quibus dolorem animi super facinorosis sautorum Philippi scelentibus testatur fecit, eòsdemque Episcopos, ut Ottoni adhererent, impensè commouit.

Rebus Philippi eum in modum semper in deteriora inclinantibus Otto Brunsvicensis sequenti anno, Christi 1204. prosperum rerum suarum successum Pontifici significavit, addiditque, se annò præteritò convocasse Principum conventum, è quibus Archiepiscopus Salisburgensî cum Episcopis Suffraganeis, Dux item Austriæ ac Bojarie fidelitatem sibi propediem juraturi essent. Latus eo nuncio Pontifex rursus novis cohortationibus eosdem Principes animavit, ut fidem Ottoni tum præstarent, tum servarent. Ast quid tunc quidem Pontifex effecerit, meritò dubium nobis relinquatur, maximè cum constet, Philippum adhuc postea Ratisbonæ tractatum quendam inter Bojarie Ducem, ac Episcopum Ratisbonensem conclusum, ratum habuisse. Fortassis ut supra diximus, Boii vicinæ Suevicæ, eidemque sœderatarum potentiarum metu à Philippo palàm recedere nondum consultum existimant. Ratisbonensis ille Episcopus, de quo modo diximus, erat Conradus Frontenhufius, stirpis suæ ultimus, antehac summæ ædis Frisingensî Præpositus, & hoc eodem anno ad Mytram Ratisbonensem vocatus, Successor Conradî II. veluti in Maulolæo S. Emmerammi refertur: cui consonat Chronicon generale Andree Presbyteri Canonici Regularis apud P. Bernardum Pezium, eadèmq; ad eundem annum tradit Sigro Altahensis, qui addit, eodem anno Eberhardum Salisburgensem Archipræsullem, ac laudatum Conradum Ratisbonensem Antistitem cum Ludovico Bojarie Duce in gratiam rediisse. Caterùm eodem anno Landishutana elegantissima civitas primordia sua accepit, uti ex factis Welfosontanis intelligimus, ubi sequentia legimus. *Anno Domini 1204. Ludovicus Dux Bojarie castrum & civitatem Landsbuet construere cepit.* Idem ex Andree Presbytero atque Arenbeckio Adelzreiterus docet, atque adjungit, ad prohibendam grassatorum licentiam, speculam monti, in quo hodie Ducum Regia visitur, fuisse impositam, unde civitas nomen *Provincia Defensatrix* (nempe Landshuet) accepit. Ita illi.

Legimus in *Suevia sacra* Domini Francisci Petri, eodem anno Ecclesiam Imperialis Monasterii Ottoburani pridie Festi S. Michaelis sacris ceremoniis fuisse initiatam ab Ottone Episcopo nostro Frisingensî. Id cur factum sit, colligimus ex Hierarchia Augustana Viri Clar. P. Corbiniani Khamm, dum de Hartwico II. Episcopo Augustano scribit, eum quidem anno Christi 1202. fuisse ad normam Canonum electum; ast Pontificiam confirmationem primùm post quinquennium fuisse consecutum, eò quòd illo tempore Philippo adhaesisset. Vacante igitur Augustana sede absque dubio Dedicatones Ecclesiarum extranei Episcopi operâ fieri debuere.

Ad annum sequentem hæc annotavit Welfosontanus Chronologus: *Anno 1205. Major domus Frisinge Sanctæ Mariæ consecratur, & Corpus Beati Corbiniani Episcopi gloriosa translatione sublimatur.* Ex quo, ni fallimur, egregiè stabilitur illud, quod supra annotavimus, nempe inter alia Bojarie loca etiam Frisingam ex bello Bavarico ruinas passam fuisse. Restaurationem Majoris Ecclesie, atque Divi Corbiniani gloriosam illam Translationem Ottoni Episcopo esse referendam in acceptis, nemo prudens inficiabitur. Addit ad eundem annum idem Scriptor Welfosontanus. *Poppo Pataviensis Episcopus obiit. Cui Manigoldus Episcopi nostri Ottonis Germani P. Caroli Meisbelbeck Hist. Frising.*

Papa constantino pro Ottonis.

Conradus ex Præposito Frisingensi Episcopus Ratisbonensis.

cap. 42.

Tom II. A. necdet. part. III. Pax in Bojaria. Orig. Landshuet.

Otto nosse consecrat Ecclesiam Ottoburanam.

Consecratio Ecclesie Cath. Frising. & Translatio S. Corbiniani.

Abbas Tegernseensis sit Episcopus Patavienis,

Tom. 2 pag. 237.

manus) Abbas de Tegernsee successit. Verum Manigoldi electionem tum monumenta Tegernseensia, tum Stero Alahensis ad annum sequentem, Christi 1206. differunt. Fortè ad annum superiorem pertinet electio Manigoldi, ad posteriorem consecratio. Eisdem Tegernseenses membrana innuunt, Innocentium III. Pontificem anno superiori (Christi 1203.) omnia Privilegia suorum Antecessorum pro Monasterio Cellæ S. Martini, nempe Dietrami-Cellenis, confirmasse. Pontificias literas iterum Gewoldus in Additionibus ad Hundium in lucem protraxit.

§. IV.

Novæ in Imperio turbæ cum gestis Synchronis usque ad annum Christi 1220.

Adolphus Metropolitanius Colonienis gradu movetur.

Colloquium duorum Regni Candidatorum infrascriptum.

Philippus occupatur favore Pontificis,

Legati Pontificis veniunt in Germaniam,

Raitenbuchenensis Monasterio tributum Ecclesie in Gressfolding.

Annò Christi 1205. Adolphus Colonienis Archiepiscopus, ab Otone Brunsvicensi, legitimo Rege atque electo Imperatore turpiter discedens, Philippo ausus est coronam imponere, meritis ipse, accusante proprio Clero exauctorari à Pontifice, qui in protegendo Otone totus erat. Tristior eidem Ottoni sequens annus (Christi 1206.) erat, quo is à Philippo, proditoris cujusdam operâ, eò adactus est, ut fugâ salutem quaerere ægrè potuerit. Et quamvis postea uterque electus agente Henrico de Kaliuthin Coloniarum ad colloquium convenit, multaque de restauranda amicitia tractaverit, adeò tamen nihil effectum est, ut Otto, fuso exercitu suo, ad petenda à Joanne Rege, avunculo suo, auxilia in Angliam sese conferre debuisset, uti etiam ab eodem Rege magno cum honore susceptus, ingentique vi auri donatus, postea rursus in Germaniam ad suos reversus est.

Philippo eum in modum feliciter quidem suebant cætera omnia, præterquam quòd Pontificem sibi constanter adversari, nescire non posset. Hinc Papæ quoque favores sibi conciliaturus Oratores quosdam quâ nobilitate quâ rerum gerendarum dexteritate conspicuos, Romam misit, qui honestissimis conditionibus propositis Pontificem exorarent, ut sui electionem tandem ratam habere dignaretur. Verum Pontifex, qui Ottonis ordinationem jam antehac probaverat, Regnum Ottoni abrogare nec volebat, nec poterat. Id unum proinde consilii capere tunc placuit, ut in Germaniam legati mitterentur, qui ad conciliandos conjungendosque Principum animos omnem operam studiumque conferrent. Illi tuere Hugo Ostiensis Episcopus, & Leo tituli S. Crucis Presbyter Cardinalis, qui acceptis à Germaniæ Principes Pontificiis literis iter ingressi sunt. Otto Episcopus noster anno MCCVL. IIII. decima Kalendas Martii efflorescenti indies Monasterio Regularium Canonorum in Raitenbuech Ecclesiam B. M. V. in Gressfoldingem donavit. Extant ejus rei testes literæ in hunc modum conscriptæ.

IN nomine Domini & individue sancte Trinitatis feliciter Amen. Otto DEI gratiâ Frisingensis Episcopus. Quam sibi fiduciale, quàmque meritum locum Religiosis subvenire, ubi devota DEO jugiter impenduntur obsequia, nemo, qui Sacre Scripture novis testimonia, poterit ignorare. Omnis enim, qui ex caritate hoc fecerit, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Nos igitur desiderio & spe tante remunerationis & intuitu Divine pietatis Ecclesie beate Marie in Raytempuch, & hominibus ibidem DEO servientibus in tantillo subvenimus, quòd eis Ecclesiam in Gressfoldingem cum omnibus sibi attinentibus pleno jure tradidimus possidendam, & ad prebendam ejusdem Conventus, quantum exinde fieri potest, meliorandam. Ita tamen, ut presbyter ibidem à Præposito Raytempuchensi institutus à nobis investiaur, & lege Dyocefiana nobis & Ar-

& Archipresbytero per omnia teneatur: & investitus non removeatur, nisi pro rationabili causa coram nobis vel Archipresbytero nostro proposita & probata. Facta est autem hec traditio anno ab Incarnatione Domini MCCV. III. decima Kal. Mart. Ut autem hec traditio nostra in perpetuum firma permaneat, impressione sigilli nostri & Chori nostri procuravimus insigniri. Hujus rei Testes sunt ex Clericis Eggebertus Episcopus Pabenbergensis filius Ducis Meraniae. Hainricus Præpositus de Schlechdorf. Ortwinus Decanus Frisingensis. Conradus Præpositus Mospurgensis. Chunradus Custos. Hainricus Major Plebanus. Hainricus Scholasticus. Arnoldus de Gilli Archipresbyter. Hermannus Canonicus S. Andreae. Ulricus Canonicus S. Viti, & ceteri. Ex Laicis verò testes sunt Otto de Grienenperg. Hainricus de Grandberch. Pernbardus de Wilbain. Otto de Richefsdorf. Hainricus de Pasingen. Albanus de Ellebach. Aber Thomech. Chunradus Camerarius Episcopi. Fridericus de Schwabingeu & alii quam plures. Hæc tunc Otto Raitenbuechenfibus. Qui idem Episcopus anno sequenti, Christi 1207. ab Innocentio III. Summo Pontifice iustus fuit controversias, quibus Salzbürgenses & Berchtesgadenfes Canonici Regulares collidebantur, cognoscere, decidere, & quidquid judicaturus esset, non obstante ulla appellatione, etiam adhibitis censuris executioni mandare. Literas Gewoldus in Additionibus ad Hundium recitat. Nos eas N. 1366. exhibemus.

Otto Ep. composuit litem inter Salzbürgenses & Berchtesgadenfes Canonicos. Tom. 2. pag. 166

Legati, de quibus diximus, Pontificii sequenti anno in Germaniam delati, Augustam venère. Ibi rursùm actum est de pace & concordia, sed nullo secuto effectu. Cœperat tamen Pontifex Philippo fieri placatio, quippe quem, Raynaldo teste, eodem adhuc anno sacris restituit, cum prius è fidelium coetu expunctus fuisset. Id Adelzreiterus Wolfkero, Aquilejensi Patriarchæ tribuit, qui Pontificis animum qua excusando, qua rogando leniverit. Et sanè Philippus tum missis, ut diximus, Oratoribus, tum etiam humilibus datis literis id promeritus esse videbatur. Intercessère etiam missis ultrò citroque legationibus tractatus, quibus Philippo Imperium, dum proviveret, obveniret, eique Otto succederet. Verùm totum illud negotium abruptit Otto Wittelspachius, qui apud Philippum Prætorii præfecturam gerebat. Hic injuria quadam à Philippo irritatus, adeò exarsit, ut, cum Philippus Bambergæ post vixæ incisionem quietis causâ in cubiculum quoddam recessisset, stricò gladiò irrueret, regiumque guttur ferro transfigeret.

Papa propitiatur Philippo.

Qui ab Otto- re Wittelspachio interfectus.

Regis cæde vulgata, nemine deinceps contradicente, Otto, eo nomine quartus in Imperium successit, ingenti animorum alacritate salutatus Augustus. Otto Wittelspachius scelus suum proscriptioe luit: neque alia fors Henrico Andecensi, ejusque fratri Ecberto Babenbergensi Episcopo, scelestis conscis, obtigit. Ludovico tamen Bojaræ Duci, ejusque hæredibus non solum ejusdem provinciæ Ducatum Otto Rex confirmavit, verùm etiam Wittelspachiorum atque Andecensium feuda, quæ ii ab Imperatoribus acceperant, concessit, anno Christi 1209. Romæ ritu solemnè coronatus Imperator, postquam juramentò sese adstrinxerat, se rebus Ecclesiæ nihil detracturum: quam tamen promissionem eodem adhuc anno Pontifici luculenter sefellit, dum eidem Falscos, Flammiamque ademit, & insuper Apuliam occupavit. Quo eodem anno Otto Wittelspachius, qui Philippum interfecerat, ultione Divina ab Henrico Pappenheimio occisus est. Porro Ottonem Imperatorem, perfidiæ frustra commonitum, Pontifex deinceps semel, iterùmque diris devovit: cujus idcirco Imperium nutare cœpit, cum plures Regni status cum desererent, ac de subrogando Fridenco, Friderici I. filio, cui adhuc puerulo sacramentum dixerant, quique interim in Regno Neapolitano adoleverat, consilia agitare: eumque tandem in-

Otto unanimè prolatione fit Imperator.

Et coronatur.

Papam gratos pro faventibus Pundicis.

Et hinc diris devotus.

Germaniam ad sceptrum revocarent. Bojariam nostram anno Christi 1211. cum peste & fame confictatam fuisse, fideli ac synchrona manu Weihenstephanensi annotatum vidimus.

Cùm anno Christi 1212. Fridericus II. Imp. Berchtesgadenſi Monasterio Privilegia sua in Comitibus Ratisbonæ celebratis rata habuisset, post Syfridum Moguntinum Archiepiscopum primò locò Otto Episcopus noster nomen suum appofuit. Literæ in Additionibus ad Hundii Metropolitim exhibentur.

Tom. 2. pag. 181. item pag. 191.

Traſtus inter Ottonem Episcopum & Comitem Hollenheimum.

Literæ in Archivo Reverendi. & Illustrissimi. Collegii Cathedraſis.

N. 1367.

Paulò post Otto Episcopus noster cum Gebhardo Comite de Hollenſtein ſequentem tractatum inuit. Comes eouſque ab Ecclesia Frisingenſi beneficiario jure bona quædam in alpiſibus; item pagum Eching prope Ottenburgum, ac manſum in Günzenhauſen poſſederat. Ceſſit verò jure ſuo Comes, poſtquam Otto Episcopus eidem 205. marcas numeravit, ſicque ut Jurisperiti loquuntur, dominium directum cum utili consolidavit. Con- tractui Hartwicus Aichſtettenſis Episcopus cum magno nobilium numero interſuit. Legimus in quodam cenſuali Episcopalis Cameræ libro, etiam ipſum caſtrum Ottenburgenſe fuiſſe Episcopo venditum à dicto Comite. Aſſertum manet, dictum caſtrum jam antehac proprietatis jure ad Eccleſiam Frisingenſem pertinuiſſe. Quòd ſi qualecunque jus aut ibi, aut in vicina Comes habuit, eidem renunciâſſe itidem certum manet. Fortaſſis librarius hallucinatus eſt, dum ſub bonis caſtro vicinis, Ehunganis videlicet, & Günzenhuſianis, ipſum caſtrum intellexit. Cæterum eodem anno Episcopus noster tractatum, inter Albertum Weſſofontanum Abbatem, ac Eberhardum nobilem de Swabing ſuper certis decimis Menzinganis initum, ſua autoritate roboravit, veluti ex quodam Weſſofontanorum Abbatum catalogo edocemur.

Fridericus II. Imp.

Sequenti anno Fridericus, cùm præliò non unò Ottonem Regem ſuperâſſet, Conventum Aquas indixit, ubi à Germaniæ Proceribus in ſede Magni Caroli reſoſitus eſt. Qui ut Romanum Imperium ſibi ſtabiliret, provido conſilio ſœdus cum Galliæ Rege Philippo pepigit: ac annò proximo Ottonem exautoratum memorabili pugna debellavit.

Inſtitutio Episcopatus Chiemeniſis.

Legimus in Chronico quodam Salſburgenſi, quòd Henricus Caniſius Sexto Tomo antiquarum Lectionum inſeruit, eodem anno, Chriſti 1214. in quadam Synodo Romæ celebrata Chiemeniſem Episcopatum fuiſſe inſtitutum, & Rudigerum (de Radeck) ſedi noviter erectæ fuiſſe impoſitum. Additur, eodem anno Concilium provinciale ab Eberhardo Salſburgenſi Archiepiscopo fuiſſe celebratum, cui Patavienſis, Frisingenſis, Gurceniſis, & Chiemeniſis Episcopi interſuerint; Ratisbonenſem verò propter ſeditionem ſuæ civitatis comparere non potuiſſe, & ideò Præpoſitum, Decanum, atque Scholaſticum majoris Eccleſiæ ſuò locò miſiſſe. Subjungitur, in eo Concilio Prælatos Monasteriorum totius Provinciæ, qui non comparuerant, fuiſſe excommunicationis fulmine percuffos à Metropolitano, ejusque ſententiam ab Honorio Papa fuiſſe poſtea confirmatam. Hæc ibi: verum juxta aliud Chronicon Salſburgenſe, quod nuper P. Hier. Pezius edidit, item juxta alios etiam Scriptores plerâque horum rectius ad ſequentes duos annos differuntur, ita ſcilicet, ut erectio quidem Episcopatus Chiemeniſis ad annum 1214. Confirmatio verò atque primi Episcopi Inſtitutio ad annum 1215. Synodus denique, & Archiepiscopalia anathemata ad 1216. rependantur. Neque enim Honorius III. Pontifex ante annum Chriſti 1216. Innocentio III. in folio Petri ſucceſſit, ut ad eum annum Raynaldus demonſtrat: qui acta illa omnia uſque ad annum Chriſti 1219. & 1220. dif- fert, quod etiam dudum Stero noster in annalibus ſcripſit. Cauſas in præ- dictâ ſynodo tractatas, ut Mezgerus ait, etſi à Scriptoribus ſingulatim non pro-

proditas, facillè est conjicere: nempe Reformationem rerum & morum ad Decreta celeberrimi Lateranensis Concilii nuper Romæ ab Innocentio III. celebrati. Item institutionem novi Episcopatus Seccoviensis in Styria, cuius primus Episcopus dicitur est Carolus, antea Frisingensis Præpositus, cui institutioni facilem assensum Honorius Pontifex præbuit.

Erigitur Episcopatus Seccoviensis.

Verùm ne Innocentium III. (Pontificis verè maximi) laudes penitus neglexisse videamur, monemus Lectorem cum R. P. Gregorio Kolb S. J. eum summa auctoritate rexisse Christianos Principes, adeo, ut eorum moderator, & Ludimagister per jocum sæpe fuerit appellatus. Inter cæteras res maximas plurimisque gestas ad Innocentium non postremò locò pertinet, quòd ab eo quatuor celeberrimi Ordines noviter instituti Romanam Ecclesiam ornare, ac per orbem universum promovere cœperint. Primus eorum sub ejus Pontificatu surrexit fundatore Divo Dominico anno salutis 1205. Alter inchoatus à Divo Francisco anno 1209. Tertius erat Fratrum Eremitarum Divi Pauli Eremitæ in Hungaria à D. Eusebio Strigonicensi fundatus anno 1215. Quartus denique à sanctissima Trinitate appellatus, cui Romæ initium eodem anno S. Joannes de Matha dedit. Hæc serè laudatus P. Kolb. Decesit Innocentius Perusii sive XVI. sive XVII. Kal. Augusti anno Christi 1216. Pontificatus sui decimo nonò, uti Raynaldus probat, Sedem Petri Centio Romano, illustri Sabellorum genere nato relinquens, qui Honorii III. nomen assumpsit: de quo jamjam dicere cœpimus. Sed nunc ad viciniora reducendus est stilus.

Laudes Innocentii III. PP.

SS. Dominicus, Franciscus, Eusebius Strigonicensis, & Joannes de Matha.

Honorius III. PP.

Novum civitatis Frisingensis incendium Weihenstephanenses facti ad annum 1215. Westfontani ad 1216. Arembekius ad annum 1217. repouunt. Hic, Sixti Frisingensis Episcopi Capellanus, qui anno Christi 1495. Opus suum eidem Episcopo inscripsit, sic habet: *Anno Christi 1217. - - - Civitas Frisingensis & Major Ecclesia, atque S. Andrea, domusque Canoniorum igne conflagravit, & ab Episcopo Ottone II. eodem anno renovantur.* Ita ille. Nos, quamquam in membranis Episcopalis chartarii de hoc incendio nihil annotatum reperimus, atque ex tot unius urbis incendiis pene perplexi reddamur, testimonis tamen illis fidem denegare nequitium audemus. Quòd si Otto Episcopus inter tot alias curas Ecclesiam tuam urbemque rursus in cineres collapsam vidit ac restituit, verè multa tulit, *fecitque.*

Novum Frisingæ incendium.

In Schyrensi Chronico legimus, Ottonem nostrum anno Christi 1225. loci illius Ecclesiam DEI atque Deiparæ honoribus dedicasse. Ast errorem irrepsisse in designationem anni manifestum est, cum Otto II. Episcopus jam decesserit anno Christi 1220. uti suo loco demonstrabimus. Itaque Ecclesiam Schyrensem potiùs anno Christi 1215. consecratam fuisse existimabimus. Id quod dièrte legimus in Codice Tegernsensi, cui titulus: *Catalogus Paparum, Imperatorum &c. ubi dum de Conrado primo Schyrensi Abbate agitur, sequentia habentur. Sub eo Monasterium Deiparæ Virginis (Schyrense) consecratum est septimo Idus Octobris ab Ottone III. (rectius II.) Episcopo Friflorum (nempe Frisingensium) Anno 1215.*

Dedicatio Ecclesie Schyrensis.

fol. 62. b.

Ejusdem Ottonis fratrem Manegoldum Pataviensem Episcopum, eodem anno è vita migrasse Brunncrus alique scribunt. Hic Manegoldus Ottoni II. Episcopo nostro, fratri suo, recognovit jus præsentationis Capellæ in Enzerthorff Pataviensis Diocesis, quæ Frisingensi Ecclesie aliquanto tempore fuerat subtracta. Literarum tenor est, qui sequitur.

Jus præsentandi in Enzerthorff.

IN nomine sanctæ & indivisæ Trinitatis. Mangoldus Pataviensis Episcopus &c. Cùm quilibet hominum suo jure contentus esse debeat, ad noticiam cunctorum Christi fidelium revocamus, qualiter pie memoria frater & Antecessor

decessor noster Theobaldus venerabilis Pataviensis Episcopus Ecclesia Frisingensi sua presentationis in Capella Enzinsdorf diu sibi alienatam, & indebitè subreptam recognovit, salvo jure Pataviensis Ecclesie, quod in decimationibus hactenus habuisse dinoscitur, & deinceps est habitura. Hoc autem factum est annuentibus & consensientibus Canonicis pariter & Ministerialibus Ecclesie Pataviensis, quorum hæc nomina sunt. Tagino Decanus. Ulrichus Ardenkensis Præpositus. Burcbardus de Kambe Canonicus. Magimbalmus Plebanus & Canonicus. Chunradus de Gorchusen Canonicus. Rodigerus de Abeim Canonicus. Richerus Scholasticus & Canonicus. Chunradus de Sernich Canonicus. Richkerus de Wesen. Luitboldus de Sauersteten. Comes Ulrichus de Berge. Nos igitur memoratum fratris nostri factum tali modo confirmantes decernimus, quod ad petitionem Frisingensis Episcopi in prænotata Capella Sacerdos instituitur, & sicut prælibatum est, Pataviensis Ecclesie decimationes locis prædii subjurisdictione dictæ Capelle consistentes integraliter & in omni tranquillitate possideat. Et ut hæc ita deinceps rata & incorrupta permaneant, hæc inde paginam conscribi fecimus, impressionis nostræ sigillò roboratam. Hæc Manegoldus fratri suo Frisingensi Episcopo, Successorem Manegoldi Udalicum fuisse itidem fratrem tum Manegoldi, tum Ottonis nostri, Brunnerus existimat. Verùm eam opinionem jam alibi impugnavimus. Quòd si successor Udalicus sanguine tum Ottoni, tum Manegoldo junctus fuit, cognatus potiùs quàm frater ejus dicendus esse videtur.

Wolferstorfensis Ecclesie auctoritas Neocellenfis.

Otto Episcopus noster anno 1215. Neocellenfis Ecclesiam in Wolferstorf, quam quidam Decanus in Artenkirchen in controversiam traxerat, stabilivit. Literas Ottonis asservant Neocellenfes, quas, quia solis nominibus mutatis, planè conveniunt cum iis, quas alibi, nempe ad annum 1191. de Capella in Grunelingen adduximus, hic inferendas esse, non censuimus. Testes tamen numerantur hoc ordine: Eberhardus Abbas de Wibensteden. Chunradus Abbas de Schieren. Ulrichus decanus de Moseburch. Conradus de Sandoltesbushen. Hartliebicus de Muoren. Geroldus Notarius Ducis. Ortwinus Canonicus Majoris Ecclesie. De Ministerialibus Episcopi. Gumberus Marschalculus. Hainricus Camerarius, & frater suus Fridericus. Rudolphus Vering. Bertoldus de Vogen. Sigebardus Dapifer. Herrandus de Risen. Ulrichus Thube. Ulrichus de Stizzingen. Albero de Altenbushen. De familia S. Petri. Ulrichus Zudrinch. Chunradus Wunel. Albertus edificator. Wernberus Villicus de Altenbushen. Eberhardus de Ruodelsingen, & Chunradus Muel. Acta sunt hæc in præsentia nostri (nempe Ottonis Episcopi) Anno Dominice Incarnationis MCCXV. anno Pontificatus nostri XXXIII. feliciter Amen. Hæc habentur in Libro Traditionum Neocellenfium. Ubi tamen advertimus, in numero anni Pontificatus Ottonis delendas esse tres monades, cum annus Christi MCCXV. non respondeat anno Ottonis XXXIII. sed XXX.

1482

Anno Christi 1217. rursus sacram expeditionem moluntur Christiani Prineipes, de qua Brunnerus, Raynaldus, Dükerus alique agunt, ad quos Lectorem remittimus.

Confirmatio privilegiorum Cremifanensium.

Otto Episcopus noster eodem anno numeratur inter testes in Diplomate Cremifanensi, dato Pataviæ Kalendis Julii, quo Fridericus II. Rex, atque electus Imperator ei Monasterio libertatem confirmavit. Testes hoc ordine ponuntur. Otto Frisingensis Episcopus. Ulrichus Pataviensis Episcopus. Ludwicus Dux Warwarie Palatinus Rbeni, Diepoldus Comes de Hohenburch. Rapoto Palatinus Warwarie, Henricus Comes de Ortenburch, Egeno Comes de Urach. Chunradus Hallegravius de Wazzerburch. Ulrichus Comes de Chlamm &c. &c.

Eodem

Eodem anno Otto Episcopus noster Henrico Tegernseensi Abbati omne jus, quod in Ecclesia Saxeniam habebat, resignavit, ut Hundius in Metropoli refert: cui consonant Monumenta Tegernseensia apud Cl. P. Bernardum Pezium, sapiens hæcenus allegata. Ex quibus omnibus constat, Ottonem nostrum ad varia beneficia Viris Religiosis exhibenda fuisse semper paratissimum.

Ecclesia Saxeniam.
Tam. III.
p. 399.

In vetusto Calendario Weihenstephanensi legimus, eodem anno Christi 1217. Cometam apparuisse, fame per universam Bojariam, Austriam, Marchiam atque Hungariam secuto. Refert Raynaldus in continuatione Annalium Baronianorum ex Alberto Stadenfi, & Thoma Cantipratano, Ottonem IV. Imperatorem exaudivoratum anno Christi 1218. maximis pœnitentiæ signis editis ab excommunicationis sententiâ demùm feliciter absolutum fuisse, ac per ignem purgatorii ad cœlos evolâsse. Sero tamen noster ejus obitum ad annum sequentem differt, & addit, eum insignia Regalia consignâsse Henrico Palatino Rheni, Friderico Regi tradenda. Ad hunc tamen annum 1218. idem Scriptor tradit, Straubingam oppidum à Ludovico Duce fuisse conditum: quod rursus alii itidem ponunt ad annum sequentem 1219. quo Fridericus Rex varia jura ac privilegia Norimbergensibus concessit. Diploma Palatius refert, in quo inter testes primo loco notantur Eberhardus Salzburgensis Archiepiscopus. Osbo Freisingensis Episcopus. Seyfridus Augustanus Episcopus. Aquensis Præpositus. Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavarie. Leopoldus Dux Austriae. Bernbardus Dux Carinthie, ac plures alii primæ nobilitatis viri.

Otonis IV.
Imp. mors.

Origo civitas Straubingam.

Ipsò annò Christiani pugiles Damiatam, Ægypti urbem munitissimam admirabili tum astu, tum fortitudine expugnârunt, præcente, ut quidam addunt, S. Francisco Seraphico. Sero tamen ei factò annum superiorem assignat: quo, Bucelino teste, natus est Rudolphus Habsburgicus, postea Imperator, vel pro ipsa felicitate, & tanti generis per ipsam ad summum gloriæ culmen elevatione imprimis memorandus.

Rursus eodem anno Otto Episcopus Schefflaricnsibus sequentem gratiam concessit, quam verbis illius exprimimus.

OTTO DEI gratiâ Frisingensis Episcopus dilectis in Christo C. * Præposito, * Conrado. & universis fratribus in Sebestlarn salutem in Domino. Super eo, quod jam diu, ac multâ instantiâ postulastis à nobis, videlicet, ut apud capellam, que in vestro prædio in loco, qui dicitur Wakkersperch, sita est, & à nobis consecrata, permitteremis Droma, & cetera sacramenta necessitatibus fieri. Vos ea de causa in vestre petitionis assensu tardiores nos invenistis, quia hæc talia Ecclesiastica insignia, videlicet Baptismus, fumeratio, & decimatio ad Parochiales Ecclesias, & nequaquam ad earundem ancillas, scilicet capellam, jure canonico pertinet. Verumtamen postmodum super hoc plenius habita consideratione, & ad animum revocantes, quòd in omnibus obsequiis nobis, & Ecclesie tam devotam, quàm debitam geritis voluntatem, & reverenciam, tamen etiam, quia in supra dicto prædio vestro habitantes, tanquam laboriosi cultores inculte terre sparsim in convallibus, & nemoribus quoquo modo vix adberent, ne de cetero per suam negligentiam, aut ex tanta, sicut hæcenus, Ecclesiastici provisoris absentia in sacramentis habeant periclitari, vestram petitionem pleno effectu admittimus, ipsamque præfenti scripto nostri sigilli auctoritate munito confirmavimus. Actum est hoc anno Incarnationis Dominice MCCXIX. Frisinge in Cena Domini. Sed hæc omnia absque prejudicio Matricis Ecclesie sue. Ita ibi.

Ecclesia in Wakkersperch.

Anno Christi 1220. Henricus, Friderici II. filius, in comitis Francfortensibus, Romanorum Rex fuit proclamatus. Fridericus ipse eodem R. P. Caroli Meichelbeck Hist. Frising. Ddd anno

Fridericus II.
coronatur.

anno Dominicâ ante Adventum proximâ unâ cum consorte sua Constantia Imperialem coronam Romæ à Pontifice accepit, postquam eidem promisit, se non solum militaria subsidia in terram sanctam missurum, verum etiam suâ ipsius præsentia rem Christianam ibidem pro viribus curaturum. Ludovicum Boium coronationi interfuisse, Brunnerus narrat. Addit Raynaldus, eodem die Fridericum post Imperialis coronationis pompam in Vaticanâ Basilica egregias pro tuenda Ecclesiastica immunitate ac dignitate leges tulisse. Has si postea servasset ipse Fridericus, nunquam Pontificis indignationem incurrisset. Verum de his plura in consequentibus.

Idem annus Christi 1220. supremus fuit Ottoni nostro, ut tum monumenta Frisingensia, Weihenstephanensia & alia, tum Scriptores consensu tradunt, quamquam Mellicensis Chronicon à P. Hier. Pezio edium statuat annum Christi MCCXX. Priusquam tamen Ottonis mortem referamus, ea commemoranda sunt, quæ sub ejus regimine certò gesta fuere, tempore tamen & anno incertis.

§. V.

*Acta certa sub Ottone II. Episcopo, annis tamen dubiis.
Item Ottonis mors.*

Incommoda
Ecclesiarum
ab Advocatis.

Neminem unquam Germaniæ Ecclesiis magis noxium fuisse, quam eos, quibus earum defensio, seu, ut appellare consueverant, Advocacia fide optima commissa fuerat, si facile intelligent, qui & antiqua Ecclesiarum chartaria, & Annales Ecclesiasticos attentè excusserunt. Certè id genus hominum non solum patrimonia Ecclesiarum sibi sepius turpiter usurparunt, locisque sacris subtraxerunt, verum etiam litium gravissimarum materias sacris Præsulibus frequentissimè sacessiverunt. Id post & inter tpe alios Episcopos, & Ecclesiarum Rectores luculenter expertus est Otto Episcopus noster, quando ejus tempore Frisingensi arario non solum in Bojaria, verum etiam in Austria & Carniola ab ejusmodi peculatoribus ingentia damna fuere illata. Et licet aliquando ejusmodi prædones iniquitatis suæ commoniti ablata prædia Ecclesiis restituerint, id tamen commodi è rixis inde exortis plerumque retulere, ut prædia, quæ vel antehac non sine manifesta injuria in suos usus converterant, vel de suis redhibere compulsi fuerant, posthac sibi suisque hæredibus jure beneficiario committerentur. In eorum numero sub Ottone Episcopo nostro recensendus venit Bernardus Carinthiæ Dux, qui, teste Megjiero, fratri suo Udalrico anno Christi 1202. in Ducatu successerat. Huic commissa à Frisingensibus Episcopis fuerat defensio Frisingensis domini in Lonkke, id est Lacopoli, vulgò Bischoffs-Lak, Carniolæ urbe. Verum is factâ sibi gratiâ abusus, non solum debita Defensoris munia non explevit, verum etiam Frisingensibus censibus plurimum detraxit, adeò, ut Otto Episcopus coactus fuerit Ducis avaritiæ sese quovis modo opponere. Post plures tractatus conventum denique est, ut Dux è bonis suis hæreditariis Ecclesiæ Frisingensi assignaret *mansos triginta*, nempe duodecim in *Tunelindorf*, decem in *Hauloch*, & octo in *Arch*, ita tamen, ut eos ab Ecclesiâ Frisingensi tum ipse, tum ipsius hæredes utriusque sexus, filii scilicet, filixque, vel etiam, si Duci videretur, ipsius uxor hæreditario ac perpetuo jure in feudum reciperent. Cùm postea idem Dux nova

Annal. Ca
rimba Lib.
2. pag. 839.
Ejus lites cum
Bernardo Ca
rinthiæ Duce

Lacopo-

Lacopolitanis damna intulisset, rursus novas contra eundem querelas movere Otto Episcopus debuit. Quare idem Dux ad retarciendam Ecclesie Frisingensis iacturam rursus triginta *Hubas* apud Nazzenum Episcopo assignavit, ita tamen, ut easdem rursus in beneficium ab eodem reciperet: quo facta tandem litibus datus est finis: ac Bernardus Dux suas, parentumque suorum culpas quadantenus eluit. Instrumenta horum tractatum in Parte Altera recitamus.

N. 136.
1369.

In eadem quoque Lacopolitana ditione Hainricus Hiltriz Marchio, Ottonis Episcopi nostri consanguineus (quippe cujus avus Bertholdus Gisle, quæ Mater Ottonis fuerat, frater fuit) in Bona Frisingensis Ecclesie involaverat. Cùm verò Episcopus Majorem Ecclesie suæ, quàm sanguinis rationem haberet, effect, ut Hainricus eidem quinquaginta *Hubas* sub castro Michob * addiceret, quas tamen itidem in feudum accepit. Tractatus utriusque Principis sigillò communitus fuit.

Aliud iuram-
modum cum
Henrico Mar-
chione Hilt-
ricæ.* *had. Mij-
chan*
Lib. Trad. 17,
pag. 121. d.
Aliud cum
Comite de
Pilsenhu.

Graviora passus est Otto Episcopus noster in bonis Austriacis Chunratshaim, & Waidhofen à Chunrado Comite de Pilsenstain. Cùm enim prædictus Comes castra illa, atque eorum prædia sibi usurpasset; ea quidem Imperatoris mandato Otto Episcopus recepit: verùm Chunrado mortuo, ea rursus à Friderico ejus filio Ecclesie suæ erepta vidit. Ab hoc cùm prædia illa atque oppida non sine gravium sumptuum & laborum impendio iterum evicisset, Nepos Friderici ea hæreditario jure sibi vindicare studuit. Illo quoque ejusque filio rebus humanis exempto Fridericus Comes de Moren, ex eodem sanguine oriundus, prædicta bona invasit, tantaque damna Episcopo intulit, ut is denique ad Austriæ Ducem appellare compulsius fuerit. Pronunciavit Austriæ Dux, castrum unum imposterum in Episcopi, alterum in Comitibus usum convertendum esse. Verùm aliter judicavit supremus Judex DEUS, dum Comitem ad Divinum tribunal evocavit, ac terris & iniquis possessionibus eripuit: quo factò Episcopus etiam alterum castrum recuperavit: qui nemini posthac defensionem castrorum illorum committere voluit. Eodem ferè modo Episcopus Ecclesie suæ vindicavit Castrum *Rainberg*: quod ut alteri deinceps beneficiario jure concederet, nec terroribus nec precibus flexi potuit. Ea de re rursus agimus in Altera parte, cui Instrumentum inferimus.

N. 1370.

Bojariz quoque Dux Frisingensium ærario gravibus exactioibus multa subtraxerat, ac sponte sibi assertas Defensoris partes neutiquam expleverat. Hinc ut sese Otto Episcopus opponeret, Castrum Ottenburgense gravibus impensis communit, ac tandem liti finem feliciter imposuit. Ita habet Quartus seu Magnus Traditionum Frisingensium liber. Clarius scripsere Aventinus, Brunnerus atque Adelzreiterus. Brunnerum audiamus. „Frisinga, inquit, interim Ottonem Episcopum maximis rebus patrat, & optimè gesta republica charum omnibus, publico luctu extulit. Inter Ottonis operæ etiam belli cum Monacensibus & Ludovico Duce ob vectigal salinarum gesti fit mentio, cui Philippus Rex pro summo jure intercessit, certam auri summam ærario Episcopali inferendam faciens: quo temperamento Episcopis deinùm est satisfactum. „ Hæc Brunnerus.

Item cum
Bosnia Du-
ca.

Similia jurgia ne circa castrum Wartenberch in Carniola haud procul Lacopoli situm, emergerent, Otto, providissimus rerum suæ Ecclesie custos, illud unà cum prædiis adjacentibus à Comite Ortone de Ottenberch ingenti pretio redemit: qui Comes, dum adhuc inter vivos degebat, castrum cum prædiis Episcopo cessit, ne post ipsius fata fractuiles sui Episcopum possent impetere, vel castrum hæreditatis titulò

Nova cuncte-
la in Carnio-
la.

sibi deposcere. Otto capta castri possessione statim illud solo æquavit, tum ne illud dicti Comitibus fratruelcs occuparent, eoque presidio sese tueri possent: tum quòd ipsa Frisingensis Ecclesia in vicina Lakopoli castrum haberet pro ratione illius temporis munitissimum, è quo loci Præfectus injurias à prædiis redemptis depellere facile valeret. Tractatus hic fuit conclusus præsentente Udalrico Carinthiæ Duce, Bernardi fratre atque prædecessore. Eòdem modo feudum in villa Mutradorf prope Kats situm Otto Episcopus numeratis 80. marcis: item à Gebhardo Comite de Kreglingen vicum Ehing, ac vineas in Velteras 300. marcis redemit.

N. 1371.

N. 1372.

N. 1373.

Otto Episcopus
semper
providus
Oekonomus.

N. 1374.

N. 1375.

N. 1376.

Lik IV Tra-
dit. fol. 121. d.

Ex Codice
Annversari-
umum Ec-
clesiæ Ca-
thedr. Fri-
sing.

Geroldus ad
Hund. T. 3.
pag. 416.
N. 1377.

N. 1377.

Facultas con-
cessi Episco-
pis numerandi
suas civitates

N. 1378.

Ad augendas quoque Ecclesiæ suæ possessiones multò aurò expensò villas Carniolæ *Costeb* & *Paumgart* dictas: item sexaginta hubas tum in Zlab, Marchiæ Illyricæ vico, tum Lakopoli sitas Otto Antistes à Domino Ottone de Næzenauz comparavit. Coëmit item prædium in Guntruhfen, haud procul Mamburgo Oppido, à nobili viro Ottone de Irensburg, quod deputavit ad *Herbergam*, id est, diverforium, in quo ipse, sique successores, Ratisbonam iter agentes, pernoctare possent. Alia tria prædia in villa Wihse sub castro Hüllnstein vir nobilis Otto de Ruite Ottoni Episcopo nostro pretiò vendidit. Eidem Grimoldus de Ismaning omnia, quæ jure feudi ab Episcopis Frisingensibus possederat, sponte ac ultrò cessit. Denique Ottoni Episcopo Austriæ Dux in omnibus bonis Frisingensibus, in Austria sitis, gratiam, quæ antiquò vocabulo *Marchvotr* dicitur, concessit.

Actis cum in modum, firmatisque Frisingensibus proventibus Otto Episcopus Collegio Cathedralis Ecclesiæ certum annuum censum attribuit ad condecorandum quotannis festum S. Mauriti & sociorum Martyrum. Certè antiquis etiam temporibus S. Maurium inter Patronos Frisingensis Ecclesiæ cultum habuisse, in Actis Nitkeri Episcopi ex Mabillonio demonstravimus: & probant antiqua ejusdem Ecclesiæ Breviaria. Collegio quoque S. Vin contulit Parochiam in Anzing, quam postea eidem Ecclesiæ Honorius III. Pontifex anno Christi 1222. prid. Kal. Aprilis confirmavit. Officium hæreditarium Marechalei sui redditibus auxit. Wolfherus de Rindingen *dispensator panum*, nempe Episcopalis granarii Præfectus, assentientibus Ottone Episcopo, & Ludovico Duce, prædium in Haelbach, quod ad illud officium tum spectabat, cum proprio suo patrimonio permutavit.

Scribit Freibergerus, Ottonem Episcopum unà cum Cathedrali suo Collegio legem sancivisse, ut Ecclesiæ Frisingensis prædia clientelaria, quæ morte benedictiorum ad eandem Ecclesiam reditura essent, nemini deinceps concedantur. Hanc legem, si majores, ac posterì observassent, superi! quantò amplioribus centibus Frisinga gavisa fuisset, & adhuc gauderet? Reperimus in Libro Traditionum Frisingensium quinto Diploma Regium, quò uti alius Episcopis, ita nominatim Frisingensi conceditur plena facultas fossis, murisque civitates suas muniendi. Inter testes adducitur Meranæ Dux: ex quo intelligimus, id accidisse post annum Christi 1182. quo primùm Merania Duces habere cœpit. Litera H. in initio posita, non alium unque, quàm Henricum VI. denotare potest. Verùm quia in fine ponitur Indictio IV. quæ sub Henrico VI. concurrebat cum anno Christi 1216. quo anno idem Henricus VI. jam dudùm Imperatoris insignibus decoratus erat; Imperatoris autem titulum Instrumento non insertum deprehendimus, verum ejus facti annum eruere non possumus. Credibile est, incurià librarii notam Chronologicam fuisse depravatam, & Imperatoris titulum fuisse neglectum.

Ottone II. Episcopum nostrum patris rebûs maximis obiisse anno Christi 1220. supra jamjam monuimus. Diem 17. Martii Frisingenses tabulæ designant. Reverendissimus atque Celsissimus Episcopus & Princeps Joannes Franciscus ejus exuvias, jam antehac è primario tumulo prope aram S. Mathæi aliò translatas anno Christi 1701. 15. Martii coram ara S. Pauli in Ecclesia Cathedrali invenit, cum ejusdem Ecclesie aream, ut sæpe diximus, complanari jussisset.

Præfuit Otto Ecclesie suæ annis omnino triginta sex, ac grandibus suis meritis nomen æternitati consecravit. De eo extant sequentes duo antiqui versus:

*Accessit mundus, & nobilis Otto secundus,
Qui dispersa gregas, & ad incrementa reservat.*

Imperio tum præerat Fridericus II. Romanæ Ecclesie Honorius III. Sedi Salisburgensi Eberhardus II. Patavienus Udalicus II. Ratisbonensi Conradus III. Brixinensi Bertholdus: Ludovico IV. Bojarie Ducatum obtinente.

Plura alia tum Instrumenta tum epistolas sub hoc Ottone scriptas in ^{d. N. 1179.} _{supra 1224.} Partem Alteram rejicimus.



CAPUT V.
Geroldus XXV. Episcopus
Frisingensis.

§. *unicus.*

Natales, Electio & Acta tum Geroldi, tum publica usque ad annum Christi 1224.

CUnas Geroldi in chartariis Frisingensibus frustra inquirimus. Extant verò in inlyto Monasterio Schyrensi literæ, anno Christi 1224. conscriptæ, in quibus legimus, tumulo ibi illarum fuisse Ottonem de *Richolesdorf*, & Henricum ejus filium, Geroldi Episcopi Frisingensis Pincernam: eundemque Episcopum Monasterio idcirco assignasse bona quædam in Waizenau. Unde cum Hündio forte conjicere licebit, Geroldum nostrum ex eadem nobili stirpe progenitum, aut eidem saltem fuisse propinquum. *Richolesdorf* pagus est Præfecturæ Aiblingensis, prope Monasterium Weyarenæ Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini situs, qui hodie vulgari nomine *Reicherstorf* appellatur. Fratres Geroldus habuit Taginonem, Frisingensis Ecclesiæ Canonicum ac Præpositum in Schliersee: item Conradum, Beyhartingensis, ut videtur, Monasterii Præpositum: quod ex Instrumento statim inferiùs adduceado colligimus. Porro quòd ipse Geroldus fuerit è Gremio Cathedralis Collegii assumptus, dubitare nos minime sinunt Annales Steronis Althienfis Monachi, uti etiam Chronicon Salisburgense, nuper à Viro Clar. P. Hieronymo Pez editum, ubi disertis verbis indicatur, Geroldum fuisse Frisingensis Ecclesiæ Canonicum. Electionem Geroldi contigisse anno Christi 1220. consentiunt Catalogi Frisingensium Episcoporum. Additur alicubi, eam 4. Kal. Maji, nempe 28. Aprilis celebratam fuisse. De actis Geroldi ante assumptum lituum nihil hæcenus constat.

Geroldus in Cathedram Frisingensem sublimatus primis Regiminis annis Divino cultui augendo, Ecclesiisque, quæ tenuiores census numerabant, dotandis strenuam operam navavit. Ac primò quidem celebri Canonicorum Regularium Monasterio Beyhartingensi celeberrimam B. M. V. Ecclesiam Parochialem in Tuntenhauhen unà cum subiectis quibusdam Ecclesiis, quas *filie* vocamus, nec non bonis & juribus attinentibus anno Christi 1221. liberaliter concessit. Dudùm enim in dictum Monasterium jam immigraverant Canonici Regulares, postquam sanctimoniales, quæ circa annum Christi 1130. illuc à quadam Matriona nobili Jutta introductæ fuerant, in Parthenonem Alteshobenau, Salisburgensis Dioceseos, secesserant, uti dudùm monuimus. Ea donatio in turri Tuntenhusianæ Ecclesiæ, qua parte meridiem respicit, notata conspicitur, vel certè paucis abhinc annis à testibus, omni exceptione majoribus, inspecta fuit. Literæ donationis, nobiscum communicatæ sic habent.

Apud Henric. Cant. Tom. 1. an. 119. l. 2. pag. 247. Tom. 1. Script. Rer. Austr. fol. 351. Annot.

& dies electionis.

Fuit liberaliter ergo Beyhartingem.

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatû Geroldus DEI gratia Frisingensis Episcopus feliciter Amen. Notum sit omnibus tam futuris, quàm presentibus: quòd Nos recognoscentes paupertatem, & defectum Ecclesie in Pibarting: ad petitionem & instantiam dilecti fratris nostri Taginonis Ecclesie nostre Canonici, ac Seblirjensis Præpositi, nec non ob remedium animæ nostræ, omniumque parentum nostrorum, contulimus Ecclesiam in Tuntzenhausen cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis, Canoniis in Pibarting perpetualiter, in supplementum præbende personarum DEO ibidem famulantium. Ita tamen, quòd Nobis omnibusque Successoribus nostris tam in Cathedralitico quàm in alio jure ex debito Diacessano persolvendo, à venerabili fratre nostro Chunrado, qui tunc eandem rexit Ecclesiam, hujusque negotii fidelis exstitit Procurator, ejusque Successoribus respondeatur? ut autem hoc factum semper ratum maneat, & inconcussum, præsentem paginam cum subscriptione testium, cum impressione sigilli nostri ac Chori fecimus communiri. Sunt autem hi testes. Rudolphus Decanus. Eberhardus Scholasticus. Tagino Seblirjensis Præpositus. Ortwinus sancti Viti Præpositus. Chunradus Mosburgensis Præpositus. Chunradus Isniensis Præpositus. Eberhardus Archidiaconus. Vitus Archidiaconus. Wernherus Canonicus. Cuno Canonicus. Hermanus Canonicus. Ulfcalcus Canonicus. Magister Leopoldus Canonicus. Magister Hugo Ratisponensis Canonicus. Albertus Canonicus sancti Andree. Henricus Rotensis plebanus de Ebmaring, & alii quàm plures. Acta sunt hæc Frisinga Anno Incarnationis Dominice MCCXXI. Pontificatû nostri anno secundo. Ex qua temporis nota intelligimus, hoc instrumentum fuisse conscriptum anno Christi 1221. post mensem Aprilem, quo Geroldus annum sui Regiminis primum compleverat. Idem Geroldus eodem anno Frisingensibus Divi Viti Canonicis, consentiente Cathedrali Collegio, Parochialem Ecclesiam Sinzhufianam, unà cum annexis Kynhufiana, & Burckhufiana perpetuo jure contulit: quam donationem Honorius III. Romanus Pontifex sequenti anno prid. Kal. Aprilis confirmavit. Pontificias literas Gewoldus in Additionibus ad Hündium in lucem extulit.

Ex Collegium
S. Viti.

N. 138.

Tom. III. pag.
436.

Inter hæc Christiani nostri militis in partibus Orientis perquam infelicis prælia consensere, Damiatà rursus à Barbaris in potestatem redactà, grandique strage sacro exercitui illata, qua etiam Udalricus Pataviensis Episcopus, cruce signatus, cecidit: cui posthac Gebhardus Comes de Plain suffectus est. Culpa tantæ cladis secundæ Friderici Imperatoris adscripta fuit: contra quem etiam eam querelam Pontifex Romanus movit, quòd Episcopos quosdam Ecclesiis contra tot Pontificum Conciliorumque decreta Cæsar intruserit.

Notum in O-
rientis pug-
nant infeliciter.

Studiose rei Christianæ fuit Eberhardus Salisburgensis Pontifex, quippe qui Episcopatum S. Andree in Lavantina valle, contempto fuz Ecclesie detrimento, ex quorundam opinione, circa eundem annum erexit. Reperio tamen in antiquo Chronico Salisburgensi supra laudato, ejus sedis institutionem potius ad annum 1226. esse referendam, quod ipsum Stero in Annalibus affirmat. Tradunt monumenta Tegernscensia, anno Christi 1222. ab Honorio III. Pontifice ei Monasterio jura sua circa Cellam Dietram duplici Bulla fuisse confirmata. Eas Pontificias literas Gewoldus in Additionibus ad res Dietramicellenfes exhibet. Sequenti anno Brixinensem Episcopum ab Eberhardo II. Archiepiscopo Salisburgensi Venetis, presentibus Magdeburgensi Archiepiscopo, & Austriæ Duce, Dominica Palmarum fuisse consecratum, Dükerus scripsit.

Episcopus
Lavantinus
instituitur.

Chron. Sa-
luk. pag.
144.

Rebûs interim Christiani exercitûs in Palæstina semper magis ac magis attritis Honorius Papa anno Christi 1224. rursus sacrum classicum intonuit, & inter cæteros Germaniæ Episcopos etiam Eberhardum Salisburgensem Archiepiscopum, aliisque eidem subjectos Episcopos ad ferendam opem animavit;

Cure Pon-
tificis pro Terra
Sancit.

Socordia Im-
peratoris.

mavit; at irritò conatu, cum Fridericus Imperator fidem constanter falleret, & specioso verborum apparatu Pontifici illuderet.

Geroldus Episcopus noster eodem anno jura Ecclesie suae Frisingensis circa electionem Præpositi Ardacensis in Austria evicit. Ejus rei Instrumentum apponimus.

Electio Præ-
positi Arda-
censis Frisingensis Episcopi
po officio.

IN nomine Domini Amen. Quis post multos labores & expensas Ecclesia Frisingensis & Capitulum Ardacense respirare desiderant à litis, & in totum desistere super præpositura Ardacensi, coram venerabili Patre Gebbarde Pataviensi Episcopo tanquam Ordinario, & ejusdem Ecclesie Capitulo, Decanus cum Capitulo Ardacensi, præstatum est in jure & confessum, se non habere jus in electione Præpositi Ardacensis, vel, si quid habet, aut habuit, vel videbatur habere in dicta Præpositura, sollempniter renunciavit dictus Decanus cum ejusdem Ecclesie Capitulo, & illam renunciationem juramento roboravit sollempni, quod in perpetuum recognosceret Geroldo Frisingensi Episcopo, & omnibus ejus successoribus plenum jus, & liberam potestatem eligendi Præpositum & conferendi Præposituram Ardacensem, præfato Domino Gebbarde Pataviensi Episcopo judice Ordinario præsentis, & ejus Capitulo ac aliis multis ibidem presentibus. Insuper Decanus dictus cum suo Capitulo Ardacensi juramento etiam sollempniter interpositio firmavit, quod prænominato Episcopo G. Frisingensi, & ejus successoribus nunquam in Præpositura contradiceret Ardacensi, aut contradicentibus consentiret. Adjecit etiam suo juramento Decanus Ardacensis cum ejus Capitulo, quòd, quicunque de cetero fuerit in Ecclesia Ardacensi in Præpositum, aut Decanum, vel Canonicum assumptus, idem prestare teneatur juramentum. Sed ut ista Protestatio & renunciatio su in perpetuum valitura, rata, & illibata & incorrupta, præsentis pagina sigilli prædicti Domini Gebbarde Pataviensis Episcopi, & Capituli ejusdem Ecclesie, nec non Ardacensis Capituli, communisur. Hujus rei testes sunt. Dominus Otto major Præpositus. Magister Chunradus Decanus. Dominus Kalobus. Magister Henricus Zobello. Dominus Chunradus Major Plebanus. Dominus Henricus de Mistelbâch. Dominus Eberhardus de Jobanstorf. Dominus Siboto. Magister Albertus de Possennunster. Dominus Wilbelmus Cantor. Dominus Albertus Custos senior. Dominus Chunradus Custos junior. Magister Einwicus, & alii quàm plures. Anno Incarnationis Domini M. CC. XXIII. In Annunciatione Beate Virginis Anni præsentis. Acta sunt hæc Patavia in Choro Majoris Ecclesie.

Ita Geroldus factò præclaro hunc annum, Diocesis suae Frisingensis quingentesimum ac secularem egregiè exornavit, futurus utique felicitior, gloriosiorque, nisi deinceps vitam suam factis sequioribus inquinasset.

In omnibus glorificetur DEUS! S. Bened. cap. Regni, 57.
§. ultimo.



Ob absentiam Scriptoris sequentia Errata irrepsêre in Partem primam Tomi primi.

- P. Aginâ. l. 31. diem huoc *lego* diem suum.
 Pag. 2. l. 50. pauperum usus *adde* conuersenda.
 Pag. 3. l. 26. *præscripi*. *leg.* seruari.
 Pag. 5. in margine Reubellus. *lege* Ughellon.
ibid. l. 21. demississimo *lege* demississimo.
 Pag. 6. l. 42. iudicium. *leg.* iudicium.
 Pag. 7. l. 20. venit. *adde* &
ibid. l. 25. Corbimani. *leg.* Corbimaua.
ibid. l. 47. factos. *leg.* factio.
 Pag. 9. l. 26. ab eo. *leg.* in eo.
 Pag. 15. l. 11. uoluit. *leg.* ualuit.
 Pag. 17. l. 14. incerti. *leg.* iocera.
ibid. l. 35. donum. *leg.* domum.
 Pag. 19. l. 15. Jezabelis furia. pessima mulieris. *leg.*
 Jezabelis. pessimæ mulieris furis.
 Pag. 21. l. 23. interpretatus. *leg.* interpretatus.
 Pag. 23. l. 34. Vallensium. *leg.* Vallescaudum.
ibid. l. 35. Remi. *leg.* Oeni.
 Pag. 24. l. 9. Pallarem. *leg.* Pallarium.
ibid. l. 12. conuiderent. *leg.* exarararent.
 Pag. 27. l. 27. rum. *leg.* tum.
 Pag. 29. l. 33. Rudolus. *leg.* Rudolfus.
ibid. l. 48. Villingiones. *leg.* Vimbriationes.
 Pag. 37. l. 14. ut. Wendrus. *leg.* Wentarus.
 Pag. 31. l. 16. Dei. *leg.* Vin Dei.
 Pag. 32. l. 23. milinz. *leg.* malitia.
 Pag. 33. l. 2. multitudine. *leg.* multitudini.
 Pag. 34. l. 10. antepen. iudicium. *leg.* iudicium.
 Pag. 37. l. 31. sua. *leg.* in sua.
ibid. l. 42. corruptione. *leg.* corruptione.
ibid. l. 46. Germani. *leg.* Germanorum.
 Pag. 58. l. 13. 636. *lege* 736.
 Pag. 60. l. 43. alibi. *leg.* albi.
 Pag. 69. l. 35. dicimus. *leg.* ducimus.
 Pag. 70. l. 17. primogenorum. *leg.* primigeniorum.
 P. 77. f. Landfridum. Passerus. *leg.* Gasserus.
 P. 86. l. 15. DCCCLXXXVIII. *leg.* DCCLXXXVIII.
 P. 88. l. 14. Mense Octobris. *leg.* Octobri.
 P. 90. f. Erat. Aras. Cantuariensis. *leg.* Cantuariensis.
 P. 97. l. 6. Cyrcola. *leg.* Cyrcola.
 P. 105. f. dum interea. capram. *leg.* caplam.
 P. 107. l. 21. Ita ubi. *adde* interpunctionem, &
quidem punctum.
 P. 112. l. 20. donationibus. *leg.* donatoribus.
ibid. f. donabatur. Mentio Ludouici. *leg.* Mentio
 de Ludouici.
 Pag. 113. f. caterina propria. *leg.* propria.
 P. 121. f. ubi non solum uocatur. *leg.* uocetur.
 P. 131. l. 47. ponde. *leg.* ponde.
 P. 132. l. 7. suscepi. *leg.* suscepi.
 P. 135. l. 14. DCCCLXXXVIII. *leg.* DCCLXXXVIII.
 P. 141. l. 22. Achenloe. *leg.* Hoehenloe.
 P. 147. f. anno Christi. Tribuna. *leg.* Triburina.
 P. 146. l. 28. Domni Regni. *leg.* Regni Domai.

- Pag. 154. l. 39. malleum. *leg.* melleum.
 P. 162. l. antepen. avrum. *leg.* accrum.
 P. 164. l. 19. tabella. *leg.* tabula.
 P. 169. l. penult. superior. *subpage.* Benedictobu-
 ranum.
 P. 170. l. 32. sequiorem. *leg.* legiorem.
 P. 174. l. 16. duodecim annorum.
 NB. alii plures annos Joanni XII. regis oleste
 tribuunt.
 P. 191. l. 15. confulo. *leg.* inconfulo.
 P. 208. in marg. Archiepiscopus. *leg.* Episcopus.
 P. 226. l. 15. NB. Pontifices, dicti Joannes, uariis
 numerantur a variis, hinc arguendi non su-
 mus, signande sequende uariis, circa num-
 rum uari sumus.
 P. 231. f. deinceps. NB. Coronatus Conradi Salici
 pertinet ad annum Christi 1027.
 P. 235. ubi agitur de Natalibus Nicken Episcopi, anno-
 tatus, reperisse eos Scriptorum aliquem, qui
 Nickeris cuius nobles assignat.
 P. 242. l. 44. Præcepto. *leg.* Præcepte.
 P. 247. l. 17. post uerba: Apostolus &c. &c. ad-
 dendum: Quo dicto, eodem uocamento inole-
 ribilia dolor guttibus uasit, & impatiens die
 terio vitam cecit.
ibid. l. 23. uiculis. *leg.* uincula.
 P. 259. l. 46. alio in fine. *leg.* alio sine.
 P. 260. l. 22. contra, & *leg.* contra, ac.
 P. 264. in marg. Archiepiscopus Salidus genem. *leg.*
 Patrisiam Aquileiensem.
 P. 269. l. 32. orgelita. *leg.* neglecta.
 P. 270. l. 38. contractui. *leg.* uactui.
 P. 275. l. 16. quorum. *leg.* quorum.
 P. 281. in marg. ad uota. *leg.* ad uota.
ibid. l. 22. Duca. *leg.* Duc.
 P. 285. l. 5. Yfua. *leg.* Yfua.
 P. 286. l. 2. Officium. *leg.* officium.
 P. 290. l. 6. Jhilingen. *leg.* Flurlingen.
 P. 295. l. 21. uerbi. *leg.* uerbo.
 P. 307. l. 4. Fagnano. *leg.* Fagnano.
 P. 323. l. 22. fuisse. *adde* iupula.
 P. 328. l. 41. Gallia. *leg.* Italia.
 P. 330. l. 8. ad leg. &
 P. 334. l. penult. encyclicia. *leg.* encyclica.
 P. 347. l. 8. Vin noo. *leg.* Vin uoo.
 P. 354. l. 38. leuocnit. *leg.* leuocnitia.
 P. 355. in marg. Concilium Papie. *leg.* Concilia-
 bulum Laudense.
 P. 365. l. 32. stumque. *leg.* stumque.
 P. 366. l. 17. fidei. *leg.* fidei.
 P. 368. l. 14. Curiam. *leg.* curiam.
 P. 373. l. 27. dignitas. *leg.* dignitas.
 P. 384. l. 29. successilemus. *leg.* successilemus.
 P. 388. l. 21. un. *leg.* ubi.
 P. 393. l. 9. securo. *leg.* securo.

Aliorum errorum emendationem Lectoris benignitati com-
 mendamus.

